
B 440842

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn



BX
350
.A29

www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

ACTA
SANCTAE SEDIS

www.libtool.com.cn

QUAE POST

CL. AVANZINI ET ZITELLI

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

A

IOSEPHO PENNACCHI ET VICTORIO PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi: praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

EDITIO STEREOTYPA

Volumen X.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MCMVIII.

www.libtool.com.cn

ACTA

SANCTAE SEDIS

QUAE POST

CL. AVANZINI ET ZITELLI

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

A

IOSEPHO PENNACCHI ET VICTORIO PIAZZESI

SEU

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi: praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

EDITIO STEREOTYPA

Volumen X.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MCMVIII.

www.libtool.com.cn

Ref.-Stach
Literna
8-11-37
34492

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

www.libtool.com.cn

PAPAE IX

EPISTOLA ENCYCLICA

AD ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS, CLERICOS, MONACHOS UNIVERSOSQUE FIDELES PATRIARCHATUS BABYLONIENSIS CHALDAEORUM

GRATIAM ET COMMUNIONEM APOSTOLICAE SEDIS

HABENTES

Ven. Fratribus Archiepiscopis Episcopis, et dilectis Filiis Clericis, Monachis, universisque fidelibus Patriarchatus Babyloniensis Chaldaeorum gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus.

PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres ac dilecti Filii
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

1. Quae in patriarchatu chaldaici ritus nonnullis abhinc annis gesta sunt et etiam nunc geruntur etsi vos ignorare non credamus, ea tamen recolere iuvat, ut probe sciatis quonam res devenerint, quid a nobis factum fuerit, quid modo agendum supersit, ut imminentia catholicae vestrae fidei et unitati damna propulsentur. Veremur enim, ne minus sincere actum vobiscum fuerit, et captiosis verborum ambagibus veritas obscurata sit; facta autem vel calumniose exposita, vel in pravum omnino sensum fuerint detorta. Quapropter praedecessorum Nostrorum exempla sectantes, qui in similibus rerum adiunctis Episcopos, Clerum et populum edocere non praetermiserunt quis esset verus status rerum, hoc ipsum

apud vos praestare volumus, ne ulla ex parte Apostolatus Nostri officio deesse videamur.

2. Tanta est clades a Nestoriana haeresi in vestras regiones invecta, ut dominicam vineam istic olim florentem exterminaverit sicut aper de sylva, atque uti singularis ferus depastus sit eam. Siquidem paulatim evanuit accurata canonum disciplina, periit gravitas Pontificum, hominum Deum non timentium ambitio in ecclesiasticas dignitates insiliit, hereditariae patriarcharum successionis opprobrium invectum fuit: et catholica doctrina, nedum antiquis iam ferme obsoletis, sed etiam novis erroribus adeo infecta est, ut ipsum etiam Christianum nomen iam iam ferme delendum videretur. Horum malorum assiduam curam Romani Pontifices gerere non praetermiserunt, vix dum licuit Apostolicos viros in Orientem mittere; quorum laboribus et curis nonnulli identidem Nestoriani Praesules, haeresi eiurata, ad catholicam fidem et unitatem reversi sunt. Quo autem studio quantaque charitate iidem excepti fuerint, sive qui litteras ad Praedecessores Nostros dederunt, sive qui posthabitis longae peregrinationis molestiis et laboribus, ad hanc sanctam Urbem venere, manifeste apparet ex Apostolicae Sedis actis, eiusque litteris quas in archivis vestris adhuc extare credimus.

3. Exoptata tandem illuxit dies, qua pluribus difficultatibus e medio sublatis, et praesertim haereditariae patriarcharum successionis impedimento amoto, sperare licuit, ut restituto atque composito ordine ecclesiasticae disciplinae, quae fidei repagulum est et custodia, revirescere ac reflorere posset Chaldaici ritus Ecclesia. Id Nos sperabamus futurum opera Ven. Fr. Iosephi Audu tunc episcopi Amediensis, quem hac spe permoti Vicarium Apostolicum patriarchatus Chaldaici constituimus, quando hunc vacare contigit per renuntiationem Isaiae Iacobi in manibus Nostris factam: et valde gavisi fuimus cum postea eumdem virum suffragiis Episcoporum ad patriarchalem dignitatem electum seu postulatum fuisse accepimus. Hanc proinde electionem seu postulationem in consistorio diei undecimae Septembris ann. MDCCCXLVIII liben-

tissime confirmavimus, eumque patriarcham Babyloniensem Chaldeorum auctoritate Nostra Apostolica instituimus, et a multis contradictoribus statim appetitum, strenue defendimus. Praeconceptam spem confirmarunt non solum fides et obedientia quam Nobis Nostrisque successoribus, sicuti omnium catholicorum patriarcharum mos est ac debitum, interposita iurisiurandi religione ipse promisit, verum et obsequentissimae eius litterae, quibus egregios sensus suae devotae voluntatis, et animi Nobis atque huic S. Sedi devincti significavit.

4. Verum haud multo post et semel et iterum scripsit ad Nostram Congregationem de Propaganda fide, delatas ad se fuisse Malabarensium litteras, opera et studio haeretici cuiusdam Syro-Iacobitarum Episcopi ibidem commorantis; in quibus iidem Malabarenses, multis querimoniis et accusationibus congestis contra Latinos Missionarios et Episcopos, eorum curam Nostro nomine gerentes, postulabant sibi dari a Patriarca Episcopum sui ritus. Etsi exploratum esset, ipsum Patriarcham nulla pollere iurisdictione in Malabarenses, horum tamen querimoniae expendendae erant diligenter, ut spiritualibus illorum necessitatibus eo efficacius et alacrius occurreremus, quo maiorem eorum sollicitudinem Apostolica Sedes habere debet, quos per suos Vicarios regit et gubernat. Quapropter accuratissima veri investigatio instituta est, ut quid demum in eorum utilitatem decernendum esset, tuto iudicaremus. Cum itaque definitivum responsum differretur, innotuit, quod postea comprobatum est autographis eius litteris datis die XXI Decembris an. MDCCCLVI ad quemdam Malabarensem presbyterum Emmanuelem nomine, ab ipso Patriarcha Malabarensium desideria excitari, spem foveri, modum quoque insinuari, quo demum voti compotes fierent, eosque moneri, ut querimoniis contra Missionarios crebrisque ac repetitis postulationibus Apostolicam sedem fatigarent. Interea Nos miti ratione rem componere cupientes, Pro-Delegato Nostro in Mesopotamia mandandum curavimus, ut Patriarcham a coeptis removeret, hic autem monitus est ne quid in Malabariam auderet.

5. Ipse vero dicto audiens non fuit, et Malabarensium regionem multo iure suam iam esse contendens, frustra obnitente et prohibente etiam sub interminatione censurarum Ven. Fratre Henrico Amanton Episcopo dum viveret Arcadiopolitano, Nostroque in Mesopotamia Delegato, Thomam Rokos e suis familiaribus elegit, et episcopali charactere auctum in Malabariam misit. Qui illuc profectus et falso asserens, se iussu Nostro ab eodem Patriarcha missum fuisse, ecclesiasticam iurisdictionem usurpavit, multos licet minus dignos ad ordines promovit, Malabarensem illam Ecclesiam sus deque vertere non dubitavit. Hisce ausibus permoti et querelis sacerdotum Malabarensium excitati, Ven. Fratri Bernardino Archiepiscopo Pharsaliensi, qui tunc temporis illi Ecclesiae vicaria nostra potestate praeerat, mandavimus, ut praedictum Episcopum Thomam moneret canonice ut illinc abiret, renuentem vero solemniter excommunicaret; quod et factum est. Nos interim accitum Romam Patriarcham coram graviter reprehendimus de admisso facinore, eique praecepimus, ut quem in Malabariam temere intruserat Episcopum Rokos ipsemet illico revocaret. Obedienti Patriarchae expetitam ab eo veniam et absolutionem a censuris benigne concessimus.

6. Tum vero rem omnem et cuncta quae gesta fuerant, expendi iussimus a Ven. Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, in conventu habito die sexta Martii an. MDCCCLXV: in quo omnibus rite ac mature perpensis, concordibus suffragiis Nobisque probantibus definitum est, non expedire ut Patriarchae Babyloniensis Caldaeorum iurisdictio in Malabariam extenderetur, et multa simul constituta sunt, tam ad Malabariensium incolumitatem procurandam, quam ad perturbationem animorum sedandam, quae inter Chaldaeos excitata erat ob ea quae a Patriarcha temere facta fuerant. Hisce Apostolicis mandatis licet dolenter Patriarca acquievit aut saltem acquiescere visus est; quam opinionem confirmarunt posteriora eius gesta; etsi enim aliquid minus recte ab eo postmodum factum esse doleremus, se tamen Nobis mo-

rigerum uti par erat praebuit, Nostramque auctoritatem pro suo debito reveritus, praeclarum etiam obedientiae specimen exhibuit, tum evulgato uti iussimus Nostro decreto quo censuras ab eo temere latas abrogavimus, tum denegata consecratione episcopali cuidam Malabarensi, quam nonnulli in ea regione novarum rerum molitores ab eo flagitabant.

7. Cum ita se res haberent, quod iamdudum Apostolica Sedes et Nos ipsi in votis habueramus, chaldaicae Ecclesiae prospiciendum duximus, ut ecclesiasticam disciplinam, quae incerta prorsus, collapsa, et etiam propter temporum asperitatem ferme obliterata erat, instauraremus, salvis tamen eius ritibus, qui a SS. Patribus instituti et ab hac Apostolica Sede probati fuisse dignoscerentur. Hoc animi Nostri propositum per Nostram Congregationem de Propaganda Fide Patriarchae de mandato Nostro significatum est die tertia Septembris an. MDCCCLXVIII, atque una simul ad eum missum fuit exemplum Constitutionis Nostrae editae IV idus Iulii an. MDCCCLXVII, qua nonnulla disciplinae capita, praesertim de episcoporum electione, in Armenio patriarchatu servanda sancita fuerant. Quae ubi accepit, primo quidem per Episcopum Eliam Mellus, qui Romae tunc aderat, tum per suas litteras (1) ad praefatam Congregationem semel et iterum datas, significatum nobis voluit, se quoad certas regulas in Episcoporum electione servandas a Nostra voluntate minime dissentire, quam omni studio et obedientia excipiendam profitebatur; atque ex praemissa episcopalium electionum ordinatione bene sperare, si utilis Nobis et opportuna videretur; velle autem ut quod gaudio et laetitiae Nobis est, semper perficeretur. Inter haec vero, cum viduari contigisset pastoribus suis chaldaici ritus ecclesias Diarbekiriensem et Mardensem, aliquot sacerdotum nomina Nobis proposuit, ut quos digniores et magis idoneos in Domino iudicaremus, eos iisdem dioecesibus auctoritate Nostra praeficeremus; quod Apostolicis Nostris litteris datis die XXII Martii an. MDCCCLXIX

(1) Lit. dat. die 31 Iulii 1868, aliae dat. die 24 Mail 1869.

factum est. Quibus devotionis et obedientiae significationibus adeo permoti fuimus, ut cum ipse umiliter exposuisset, malle se ut quem Amediensi praefeceramus Ecclesiae, hunc Mardensi daremus episcopum, et vicissim, Nos eius petitioni annuendum omnino duxerimus.

www.libtool.com.cn

8. Post haec non diutius differendam censuimus ordinationem disciplinae in patriarchatu Chaldaici ritus, in qua ab Episcoporum electione rite peragenda initium ducendum omnino erat; nisi enim spectatissimi viri qui iuxta cor Dei et voluntatem eius faciant, ad onus illud angelicis humeris formidandum assumantur, gravissima damna et ferme immedicabiles calamitates Ecclesiae obvenîunt; quod omnium temporum et locorum historia testatur, experientia confirmat. Hunc in finem eoque consilio edita a Nobis est pridie Kalendas Septembris anno MDCCCLXIX Apostolica constitutio, cuius inititium *Cum ecclesiastica disciplina:* in qua circa electionem Episcoporum id ferme servandum constituebatur quod ipse Patriarcha, uti supra diximus, libenter egerat pro dioecesibus Diarbekiriensi et Mardensi; videlicet ut cum aliquam Sedem episcopalem vacare contingeret, tres Nobis spectati viri ab Episcoporum synodo proponerentur, ut quem digniorem et magis idoneum iudicaremus, eum vacanti dioecesi praeficeremus; irritum autem et inane fore decernebatur, si quid contra praemissa contingeret attentari.

9. Indictum iam tum fuerat oecumenicum Concilium Vaticanum, atque ad illud convocati cuiusque gentis et ritus Episcopi. Adfuit et inter eos idem Ven. Frater Patriarcha Chaldaeus cum omnibus ferme sui ritus Episcopis; quem tamen brevi valde mutatum ab illo dolentissime sensimus, a quo iampridem plura Nobis exhibita fuerant reverentiae et obedientiae argumenta. Nam diu renuit consecrare episcopos praedictarum Ecclesiarum Diarbekiriensis et Mardensis sacerdotes Petrum Attar et Gabrielem Farso, quos inter ceteros ab eo propositos elegeramus, assignata unicuique quam ille maluerat Ecclesia. Deinde cum ex Urbe esset discessurus, postulari ab eo iussimus declarationem adhaesionis ani-

mique sui submissionis Constitutioni de Ecclesia Christi editae in IV sessione oecumenici concilii Vaticani, cui sessioni ipse non adfuerat; quin et Nos ipsi ad hoc debitum officium praestandum illum hortati atque obtestati fuimus, exemplo proposito aliorum Episcoporum, qui eam declarationem, cum quartae sessioni non interfuissent, edere non dubitarunt. Ille autem primo moras nectere coepit ac tergiversari, tum pervicaciter asserere, id se utilius acturum, postquam in Sedem suam reversus esset, pollicendo simul se nihil omissurum quo Nobis satisfaceret. Hoc factum non potuit Nobis non afferre magnum dolorem et anxietatem, quae eo magis aucta fuit, cum ille Constantinopolim advectus, Neoschismaticorum Armeniorum blanditiis, et fraudibus circumventus ac exemplis incitatus, cum iis etiam aliquando in divinis communicare non dubitavit: et dum suam fidelitatem civilibus legibus solemni quodam actu profiteretur, non obscure insinuavit Apostolicas Nostras constitutiones iisdem adversari. Quo tempore illud etiam accessit, ut ipsi Legato Nostro extraordinario tunc Constantinopoli commoranti debita etiam urbanitatis officia exhibere neglexerit: et litteris a Nostra Congregatione missis, quibus opportuna monita erant concredita, nullum omnino responsum dederit; ac praeterea in Mesopotamiam reversus, novarum rerum molitoribus studuerit, et multa temere dixerit, quae, uti relatum fuit, non modo cum catholici Episcopi officio, sed etiam cum ipsa orthodoxa fide componi non poterant.

10. Haec nobis dolentissime audientibus, obversabatur animo dominicum praeceptum B. Petro datum confirmandi fratres, unaque debitum animarum salutis procurandae, et tuendi dominici gregis. Gravissima enim Nobis erat conditio, ad quam, inimicitia et pravis artibus quorumdam, qui se Patriarchae patrocinio suffultos dicebant, redactus erat Ven. Fr. Timotheus Archiepiscopus Chaldaeorum Diarbekiriensium: qui infensum in se eiusdem Patriarchae animum sentiens dolentissimas querimonias et preces et semel et iterum ad Nos dabat, ut eum permitteremus ab episcopali of-

ficio cessare. Itaque Nos Ven. Fr. Zachariae Episcopo dum viveret Maroneae mandavimus, ut Mauxilium profectus Patriarcham conveniret, et admissa a Nobis renunciatione praefati Ven. Fr. Thimothei, eum auctoritate Nostra Apostolicum Vicarium dioecesis Diarbekiriensis virum constitueret, quem idem Patriarcha maluisset. Hunc vero efficaciter adduceret ad debitam declarationem adhaesionis et submissionis suae decretis quartae sessionis Concilii Vaticani; quae omnino ipsi necessaria erat, non solum quia adversus illa Neoschismatici Armeni blaterabant, et ipsa quam post reditum suum Patriarcha tenuerat agendi ratio fidelibus admirationi erat, verum etiam ut aeternae suae saluti consuleret, et scandalum amoveret, aut saltem praeverteret quod ex eiusdem silentio iam suboriebatur.

11. Hisce monitis tandem aliquando memoratus Patriarcha acquievit, suamque edidit adhaesionem scriptis consignatam, adiecta tamen declaratione, qua sibi omnia iura et privilegia patriarchalia reservata et conservata volebat. Qua in re etsi suspicari possemus, minus sincere Nobiscum agi, tamen antiquam eius fidem, cuius in ipsa declaratione meminerat, et vim ac potestatem quam in eum iam tum exercebant improbi considerantes, unaque simul Eius exempla prae oculis habentes de quo scriptum est (1), calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet, maluimus in ea declaratione desiderium potius Patriarchae perspicere, quam iniquam conditionem, aut limitationem professionis fidei. Itaque eum adhaesionis actum ita Nos recipiendum duximus, ut manifeste declararemus quo eum sensu excipere intendebamus; ideoque catholicam doctrinam traderemus tam de Pontificio primatu quam de iuribus patriarcharum. Prohinde has dedimus ad eum Apostolicas litteras die XVI Novembris ann. MDCCCLXXII.

(1) Isaiae XLII. 3. — Matth. XII. 20.

Venerabili Fratri Iosepho
Patriarchae Babyloniensi Chaldaeorum

PIUS PP. IX.

www.libtool.com.cn

Ven. Frater salutem et Apostolicam benedictionem.

13. « Gratias agere bonorum omnium debemus Auctori, qui quod assiduis precibus exorare non omisimus, id benigne concedere dignatus est, uti per tuas litteras die XXIX Iulii huius anni datas, de tuae devotionis pietate gaudentes cognovimus. Siquidem aperte declarasti adhaerere Te Decretis et Constitutionibus Sacri Concilii Vaticani, et praesertim dogmatic.e definitioni de Romani Pontificis infallibili magisterio in rebus fidei et morum, quae edita fuit in IV eiusdem Concilii sessione. Et gratissimum Nobis accidit a Te ipso accipere, quod Apostolicae huic Sedi ab infantia devotus, his omnibus firmiter ac semper adhaeseris, quae sancta Ecclesia Romana docet ac praecipit ; et propterea, quae modo ad salutem ore confessus es, iam antea corde credidisse ad iustitiam.

« Neque profecto aliter fieri potuisset, quandoquidem nihil est manifestius in sacris litteris et in sanctorum Patrum scriptis, in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus, quam ea quae de suprema Romani Pontificis potestate Oecumenicum Concilium Vaticanum decrevit atque sancivit, renovando atque uberius declarando, prout recentiores errores postulabant, Oecumenicae Synodi Florentinae eadem super re definitionem, videlicet: Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum ; et hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse ; erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum

orbem diffusae pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam eiusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore: hanc autem esse catholicae veritatis doctrinam, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Quae quidem omnia et singula plene ac rite profiteri te voluisse, concilii Vaticani constitutionibus adhaerendo, minime ambigimus.

www.libool.com.cn

» Habes hinc Ven. Frater, quid Christus Dominus circa hierarchicum Ecclesiae regimen et ordinationem Ipse constituerit. Episcoporum vero (quibus iure divino communis dignitas est) distinctio et discretio potestatis iure ecclesiastico invecta fuit, *ne omnes sibi omnia vindicarent: sed essent in singulis provinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia, et rursus quidam in maioribus urbibus constituti sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiae cura confluereret, et nihil usquam a suo capite dissideret* (1). *Ab ipso enim quasi quodam capite dona sua voluit Dominus in corpus omne manare* (2): et revera ab Eo eiusve successoribus maiores Sedes habuere quidquid rite obtinent honoris et potestatis. Quoniam autem Beatus Petrus, qui in propria Sede et vivit et praesidet (3), praestat quaerentibus fidei veritatem, Eiusque dignitas in successoribus non deficit, vides Ven. Frater, horum esse et debitum et ius ea de praemissis decernere, quae Ecclesiae bonum ac utilitas, et vera animarum salus, quae suprema lex est, pro diversis temporibus ac locorum adiunctis, in Domino suggesserint.

» Haec porro catholicae fidei documenta dum arroganter posthabentur, schismatibus quin et haeresibus latum iter aperitur, quod omnium temporum historia testatur: et etiam nunc ipso rerum monstratur effectu, cum a nonnullis nec iustitiae moderatio, nec fidei sit servata religio. Nostri Venerabilis Frater, luctuosum schisma quod nuperrime excita-

(1) S. Leo PP. ad Anastas. Thessalonicen. ep. 14. Ed. Baller. Tom. I.
(2) S. Leo PP. ad Hilar. Arelaten. ep. 10. Ed. Baller. Tom. 1.
(3) Epist. S Petri Crysolog. ad Eutich. Inter Op. S. Leon. Tom. 1. edit. cit.

tum est Constantinopoli a nonnullis Armenis; qui etsi catholicos se nuncupare praesumat, ut incautis et imperitis fucum faciant, a veritate tamen et unitate catholica miserrime defecerunt, Nostroque iudicio et auctoritate condemnati sunt. Hi quidem pro recepto haereticorum more nihil non moliuntur, nihil non audent, ut abducant discipulos post se, suaeque perditissimae causae undequaque patrocinium conquirant: et eo consilio etiam fidelibus chaldaici ritus insidiati sunt et insidiari non praetermittunt. Hinc non dubitamus, quin Tu Ven. Frater, ad fideles tibi creditos in veritate et unitate catholica continendos, prouti dignitas et officium tuum omnino postulant, novum Armenium schisma a Nobis iam reprobatum fuisse aperte denuncies; atque illos doceas, nullam omnino eis licere communicationem cum iisdem Neoschismaticis praesertim in divinis. Ipsos quippe ab Ecclesia Catholica prorsus exclusos atque eiectos esse, vel ipsae litterae quae a Romano Pontifice, hoc est a prima et Apostolica Sede manaverunt, satis superque testantur (1).

www.libtool.com.cn

» Hac autem occasione tacere non possumus, Ven. Frater, de Diarbekiriensi tui patriarchatus Ecclesia, quam non ignoras multis abhinc annis contentionibus et aemulationibus vexari ac dividi; et propterea multa passum fuisse, qui novissime illi praefuit, Episcopum Petrum Di-Natale. Quo defuncto cum Te proponente eidem in Episcopum praefecerimus Ven. Fr. Petrum Timotheum Attar, contentiones praedictas non deferbuisse dolentissime accepimus; immo Neoschismatico spiritu afflante eo processisse ut, quod adeo improbabat Apostolus in Corinthiis, alius se dicat esse Pauli, alius vero Cephae: atque ipse Ven. Fr. Timotheus et semel et iterum a Nobis enixe flagitaverit, ut ipsum tanta iactatum tempestate, ab officio quod ei commisimus cessare permitteremus. Huiusmodi schismata et scandala e medio tollere necessarium omnino est. Quapropter Te hortamur et in Domino Nostro

(1) S. Nicephorus adv. Iconomachos cap. 13 ap. Zonaram in can. 28 Conc. Chalced.

Iesu Christo obsecramus, Ven. Frater, ut dissidiis istis componendis extinguendis operam omnem efficaciter et quamprimum adhibeas. Qua in re procuranda persuasum tibi esse volumus, consilium, operam atque auctoritatem Nostram nullo pacto tibi defuturam

www.libtool.com.cn

« Vetus porro est itemque notissimus haereticorum mos, catholicos quos fraudibus, metu, vi opprimere enituntur, dissociare primum et in factiones discindere; tum calumniis et contumeliis etiam apud Reges et Principes urgere, ut hac ratione istorum patrocinium aucupentur, in catholicos vero odium excitent atque indignationem. Nihil autem solicitius agunt, quam ut ab Apostolicae Sedis unitate et communione eos divellant, quos in factionem suam trahere, et socios proinde sceleris simul ac perditionis habere connituntur. Quam ob rem, dum fideles haeresi vel schismate exagitari contigit, solemne semper fuit catholicis, imprimis vero Episcopis, medicam Romani Pontificis manum, uti aiebat magnus ille Basilius Caesariensis, exposcere, auctoritatemque invocare; ut in Beati Petri Apostolorum Principis firmitate Orientalis Ecclesiae fundamenta solidarentur.

« Age itaque Ven. Frater, praecepta sectare atque exempla maiorum, qui loquuti sunt verbum vitae; quorum intuendo exitum conversationis, imitare fidem. Christus heri et hodie, ipse et in saecula: et quod Ipse constituit Ecclesiae fundamentum nemo unquam evellere poterit; sicuti ab eo, quem universis praeposuit Pastorem, secedere nemini unquam licebit, qui in grege Dominico manere velit.

« Haec doce et exhortare in Christo Iesu; in his esto, ut nemo accipiat coronam tuam. Consenuimus ambo Ven. Frater, et velox est depositio tabernaculi nostri: proinde ministerium nostrum strenue quam qui maxime implere satagamus; Tu quidem in populum quem tibi Deus per Nos regendum commisit: Nos vero in universam Ecclesiam, quam imperscrutabili iudicio infirmitati Nostrae pascendam et gubernandam ipse Dominus concredidit. Et si quid ea de causa nos pati contingat gaudeamus et exultemus, nos dignos habitos esse pro

nomine Iesu contumeliam pati, et mercedem nostram copiosam fore in coelis.

« Haec Tibi, Ven. Frater, quem sincera charitate prosecuti semper fuimus et prosequimur, non minus quam Nobis a Deo enixe adprecamur: novumque interim pignus et argumentum dilectionis Nostrae his addere volentes, ac spiritualibus animi tui necessitatibus ob praesentes Orientalis Ecclesiae perturbationes occurrere cupientes, illis quantum est opus per Nostras hasce litteras Apostolica Nostra potestate et indulgentia plene consulimus.

« Inter haec novas tuas litteras accepimus datas die XVI Septembris huius anni, atque una simul chirographum a Ven. Fr. Simeone Archiepiscopo Senhanen, die prima eiusdem mensis signatum ad suam adhaesionem Sacri Concilii Vaticani constitutionibus comprobandam: quod et a Ven. Fr. Thoma Archiepiscopo Bassoren. die XXIX Iulii huius anni actum fuerat. Qua de re iisdem Ven. Fratribus tibique gratulamur, quod Praesules omnes tui patriarchatus unanimes et cum consensu ambulantes in domo Domini, hanc animorum consensionem non corde tantum foveant, sed solemniter et palam profiteantur: quo nihil est opportunius ad schismata vel impedienda vel etiam extinguenda, et pacem inter fideles conservandam.

« Ipse autem Dominus pacis confirmet Te in omni opere bono, et det Tibi pacem sempiternam; cuius nomine et auctoritate Apostolicam Benedictionem Tibi, et universis Episcopis, clericis, monachis et fideli populo Babyloniensis Patriarchatus, in communione et obedientia Apostolicae Sedis perseverantibus, peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV Novembris an. MDCCCLXXII Pontificatus Nostri an. XXVII. »

14. In responso, quod hisce Nostris litteris dedit Patriarcha (1), multis verbis suam erga Nos et hanc Apostolicam B. Petri cathedram obedientiam ac devotionem profitebatur, seque omnino curaturum promittebat, ut fideles sui

(1) Lett. dat. die 12 Maii 1873.

patriarchatus ab erroribus novii Armenii schismatis immunes forent, eosque penitus et ex animo detestarentur. Et profecto rem prospere successisse gavisi fuissemus, nisi timendi occasionem praebuisset iterata petitio facultatis mittendi Episcopos sui ritus in Malabariam: ad quam obtinendam et gentis illius necessitates, quibus satis provisum non fuisse asserebat; et conscientiae suae anxietatem, nisi praesto esset, obtendere nitebatur. Quae omnia cum a memorata Nostra Congregatione Orientalium Rituum negotiis praeposita sedulo expensa fuissent, Nos relatione accepta Patriarchae responderi iussimus (1), eius postulatis quoad probe nosceremus id in utilitatem animarum minime cessurum: Malabarensium spirituali saluti satis per Nos consultum esse; ideoque acquiesceret, omnemque hac de causa animi anxietatem deponeret. Plura etiam in eodem responso addita sunt, ut eius animus erigeretur, quem sciebamus improborum consiliis tentatum, iniuriis lacessitum, minis perterritum.

www.libtool.com.cn

15. At paulo post apparuit quo hominem ceteroquin probum adducere valeant pravorum molimina, cum eos tempus iuvat: et profecto nullum opportunius ad suos ausus desiderare potuissent. Iam tum enim novum Armenium schisma conflatum fuerat, iam exarserat, ad persequendos et expoliandos catholicos, iam aliorum rituum orientalium Ecclesias vel invitas in suas partes et perfidiam trahere nitebatur. Itaque die vigesimaquarta Maii anno MDCCCLXXIV in solemni die festo Pentecostes, Ven. Fr. Iosephus Patriarcha non timuit contristare Spiritum Sanctum. Nam eo ipso die duos Sacerdotes sui ritus Eliam alterum, alterum Matthaeum nomine, ad episcopalem dignitatem sacrilege evehere non reformidavit, assistentibus Elia Mellus Episcopo Akrensi Chaldaeorum et Eliseo Abbate Generali Monachorum S. Hormisdae; eorumque alterum Iezirensi, alterum Amediensi Ecclesiis temere et inaniter praefecit: etenim quominus id fieri ab eo posset, impediebat praedicta Nostra Constitutio edita anno MDCCCLXIX.

(1) Litt. dat. die 30 Septembris 1878.

Tum, spretis aliis Apostolicae Sedis litteris et decretis, Episcopum Eliam Mellus in Malabariam destinavit: quem a suscipiendo itinere dimovere non valuerunt neque Nostra interdictio, neque indicta a Nobis suspensionis poena ipso facto incurrenda si illud aggredi ausus fuisset; quae omnia illi opportune significata fuerant.

www.libtool.com.cn

16. Horum facinorum serie et gravitate adducti, eumdem Patriarcham graviter admoneri iussimus per dilectum Filium Nostrum Alexandrum Tituli S. Mariae in Transtyberim S. R. E. Cardinalem Franchi, Praefectum memoratae Nostrae Congregationis de propaganda Fide pro Negotiis Rituum Orientalium. A quo litterae datae sunt ad Patriarcham die XXVII Augusti eiusdem anni, ac in eius memoriam revocata Apostolicae Sedis mandata et prohibitiones; argumenta quibus earum vim enervare ipse studuerat sunt dissoluta: improbata est missio memorati Episcopi Mellus in Malabariam, improbata illegittima consecratio duorum episcoporum: declaratum est, horum electionem nullam esse omnique effectum carere; interdictum eisdem quodvis episcopalis ordinis exercitium; ipsique Patriarchae expresse mandatum, ut Episcopum Mellus ex Malabaria, alios a dioecesibus in quas ab eo intrusi fuerant, ipsemet revocaret, suorumque actorum rationem redderet: id nisi intra statutum temporis spatium faceret, Summum Pontificem licet invitum canonicis in ipsum poenis omnino usurum esse. Item moniti sunt, mandantibus Nobis, duo presbyteri Matthaeus et Elias; denunciata eisdem nullitate electionis, interdicto exercitio pontificalium, iniuncto discessu a dioecesibus quas occupaverant, comminatis ni parerent ecclesiasticis poenis. Monendi adhuc erant qui sacrilegae consecrationis participes fuerant. Verum Abbatem Eliseum praeripuit Deus: ille enim haud multo post vita excessit, quin ulla daret poenitentiae argumenta. Episcopus vero Mellus cum in Malabariam advenisset, a Ven. Fr. Leonardo Archiepiscopo Nicomediensi Vicario Apostolico Verapolitano, auctoritate Nostra, iuxta litteras ad eumdem. Vicarium datas die prima Augusti an. MDCCCLXXIV, quarum initium est *Speculatores*, so-

lemniter fuit excommunicatus; quandoquidem intrusus ille canonice monitus, ut illinc abiret, obedire recusavit.

17. Diu expectatum Patriarchae responsum (1) satis probavit, nolle eum acquiescere monitionibus Nostris: totus enim in eo erat ut fidei suae integritatem assereret, suamque erga Apostolicam B. Petri Cathedram devotionem et submissionem profiteretur, simul tamen praetensa sua patriarchalia iura tueretur; et nos flagitaret, ut iisdem tranquille eum frui permitteremus, revocando quae circa Malabariam et electionem Episcoporum ab Apostolica Sede decreta sunt: demum suae aetatis canitiem et exantlatos a se labores commemorans, Nos ad sui suaeque gentis commiserationem excitabat. Interim vero neque a sententia desistebat, neque a temerariis ausibus, quandoquidem altera etiam vice epi copos temere et sacrilege consecrare non reformidavit, duos alios sui ritus presbyteros Cyriacum et Philippum Iacobum, quorum alterum dioecesi Zakuensi, alterum Indis destinavit, assistentibus et cooperantibus nefariae consecrationi Episcopo Thoma Rokos, et Matthaeo antea per eumdem Patriarcham sacrilege consecrato. Profecto Nos vehementissime doluimus considerantes, quo miserrime devenerit pravorum consiliis actus idem Ven. Frater Iosephus Patriarcha, qui olim catholicae fidei et unitatis studiosissimum se exhibuit. Ac porro cogitantes, misericordiam non remissam, sed cum iudicio esse debere; ne si inordinate culpa dimittitur, is qui est culpabilis in reatu gravius adstringatur; neque misericordiae esse, sed torporis et socordiae aliquid indulgere, quod unius vel plurium libito satisfaciat, multorum autem saluti damno et exitio futurum sit, alias ad ipsum Patriarcham dandas litteras censuimus, in quibus misericordiam et iudicium pariter servare volentes, summatim recoluimus quae ab eo perperam facta fuerant et fiebant, inanitatem rationum quibus se tueri conabatur patefacere voluimus, illumque rursus monere, ut Apostolicis mandatis tandem aliquando pro suo debito obediret; quod nisi quamprimum faceret, denunciabamus Nos abstinere non posse

(1) Litt. dat. die 20 Februarii 1875

a sectandis tandem praedecessorum Nostrorum vestigiis, qui veteres quoque patriarchas excommunicatione atque etiam depositiones cum opus fuit, mulctare non omiserunt. Hoc consilio die XV Sept. an. MDCCCLXXV sequentes monitorias litteras ad eum dedimus.

VEN. FRATRI IOSEPHO
PATRIARCHAE BABYLONIEN. CHALDAEORUM
PIUS PP. IX.

Ven. Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem

18. « Responsum a te redditum die vigesima Februarii huius anni monitoriis litteris, Nostro iussu et auctoritate ad te datis a nostra Congregatione de Propaganda Fide pro negotiis ritus orientalis, multo nos dolore et moerore affecit: ex eo enim intelleximus, adhuc cor tuum a Nobis longe esse, etsi verbis honorem Nobis redderes: quoniam non posse te exequi profitebaris, quae per eas litteras nostro nomine et auctoritate tibi significabantur. Cum itaque monitionibus praedictis obedire recusaveris, et hanc inobedientiam novis etiam sacrilegis factis confirmaveris, hoc unum superesset, ut ecclesiasticas regulas et sanctorum Patrum instituta sectantes, canonicis te censuris, uti par est, subiiceremus. Verum recogitantes; catholicam fidem debitamque erga hanc Apostolicam Sedem reverentiam alias professum fuisse ac modo in tuis litteris profiteri, eamque etiam factis olim comprobasse, existimare maluimus te deceptum fuisse vaferrimis neo-haereticorum cavillationibus, quibus conciliari posse eam reverentiam cum inobedientia contenditur, quam te a catholicis tuis sensibus reapse defecisse.

» Qnapropter Illius charitatem, quantum infirmitati Nostrae licet, imitari studentes, qui patienter agit, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti, a promeritis censuris contra te ferendis abstinemus, donec tibi haec Nostra reddatur epistola, quam peremptoriae et novissimae admonitionis loco esse volumus. Futurum enim speramus in Deo

Patre misericordiarum, ut tu gestorum tuorum pravitatem, et causarum quas iis excusandis praetexis futilitatem, nec non gravissimum debitum quo urgeris Ecclesiae Dei satisfaciendi agnoscens, redire velis ad cor; quaeque perperam gessisti, detestari ac retractare non moreris.

» Quae post tuum ab Urbe discessum, Constantinopoli primum, mox in tuo patriarchatu egeris usque ad declarationem tuae adhaesionis et submissionis decretis Concilii Vaticani editam die XXIX Iulii an. MDCCCLXXII praetermittere iuvat. Quae enim a te, eo temporis spatio, perperam patrata fuerunt, et Apostolicam Nostram sollicitudinem qua spiritualibus tuis necessitatibus consuluimus, probe cognoscis. Nos sperabamus nullam amplius doloris causam te Nobis esse praebiturum. Post hoc tempus litterae a te datae fuerunt die decimasecunda Maii an. MDCCCLXXII ad memoratam nostram Congregationem, quibus postulabas, ut tibi facultas daretur episcopos in Malabaria constituendi; cui petitioni cum Nos annuere non possemus ob causas iam pluries tibi significatas, haud multo post, praestitutos tibi terminos transgredi non dubitasti, posthabitis omnino et despectis tum. Apostolicis Nostris litteris, quarum initium *Cum ecclesiastica*, queis regulas circa episcoporum electionem servandas sancivimus, tum aliis quibus et semel et iterum tibi praecepimus, ne in Malabaria quidquam auderes. Nam duos presbyteros episcopali charactere, augere eosque dioecesibus regendis temere constituere, et episcopum Eliam Mellus in Malabariam destinare contra mandata nostra non es veritus, qui eiusdem regionis metropolitam se nuncupare praesumit.

» Hos tuos ausus quae mala statim consequuta fuerint, et quae damna iidem catholicae ecclesiae tam in Malabaria quam in Mesopotamia intulerint, et quantum dedecus tuae dignitati et fidei irrogarint, satis deflere non possumus. Nam, adnitente praedicto Episcopo Elia, quem violatis Nostris iussis in Malabariam misisti, et solemni excommunicatione, auctoritate Nostra confixum, illic manere iubes, perturbata ibi est disciplina ecclesiastica; ad ordines etiam sacros promoti iu-

venes vel minus idonei vel prorsus indigni; ecclesiae catholicis fraudulenter, vel etiam violenter ereptae; contumeliis et calumniis lacessiti non solum missionarii apostolici, sed et ipse Ven. Frater Leonardus Archiepiscopus Nicomedien. qui vicaria Nostra potestate in ea regione fungitur: et luctuosum schisma invectum est et fovetur. Hinc dissidia et contentiones excitatae inter fideles Malabaricos, aliis legitimo suo Praesuli firmiter adhaerentibus, aliis intruso Eliae studentibus; qui omnes subdolas et nequissimas artes ad decipiendos incautos et simplices adhibere non destitit. Quandoquidem filius iste perditionis, non solum Apostolicas Nostras litteras, quarum initium *Speculatores,* datas ad Malabarenses die prima Augusti elapsi anni commenticias esse publice affirmare ausus est; verum eo devenit, ut Breve quoddam apostolicum, cui diem inscripsit vicesimam Augusti ann. LDCCCLXXII, effinxerit omnino et commentus sit; illudque publice et solemniter tamquam nostras litteras promulgaverit. In quo ab isto falsario Apostolicarum litterarum calumniose dicitur, actum fuisse in oecumenico Concilio Vaticano de praetenso tuo iure in Malabariam, illudque a Patribus agnitum, et a Nobis probatum fuisse; non metuente huius sui mendacii tot testes, quot Patres oecumenico Concilio Vaticano interfuerunt. Interea per vos huiusmodi fallaciis offunditur animis error et caligo, et veritas in malitia adulteratur; fluctuant fideles in diversa abstracti, et nonnulli ex iis, schismatico invasori adhaerentes, putant se Apostolicae Beatissimi Petri cathedrae adherere.

» Si vero spectemus quae in Mesopotamia facta sunt, ibi cum gravi dolore respicimus, dioecesibus praeesse episcopos nullam cum hac Beatissimi Petri cathedra communionem habentes, quin contra apostolica mandata per te temere et irrito electos, sacrilege consecratos, perperam institutos. An poteras ignorare tu, qui ab infantia te in fide catholica studiose eruditum fuisse saepius commemoras, nullum posse, contradicente Apostolica Sede, legitimum episcopum institui; nullamque illi potestatem inesse, quem eadem Apostolica Sedes, omni iurisdictione carere declaraverit? An parum tibi vide-

www.libtool.com.cn

tur subversio ecclesiastici ordinis tua opera excitata, fidelium perturbatio, contentiones et aemulationes, et gravissimum scandalum quod fidelibus illatum est, et infertur per tuam inobedientiam Apostolicis mandatis; ob quam exultant infideles et haeretici, ancipites haerent qui debiles sunt in fide, firmiores autem dolent ac lugent; et non vident qua ratione Patriarchae subesse possint, qui debitam Romano Pontifici obedientiam detrectat?

www.libtool.com.cn

» Haec te ipsum intelligere ac timere satis ostendunt litterae, quibus ven. Fratres episcopos tui patriarchatus contra ipsas constitutiones et mandata Nostra commovere, et in tuas partes trahere voluisti. Istud confirmant dicteria calumniose contra missionarios apostolicos ipsumque Delegatum Nostrum Ven. Fratrem Ludovicum Archiepiscopum Damiaten. in vulgus sparsa; confirmat cura quam a te adhiberi accepimus, ne fideles et imprimis clerus cum missionariis versentur, eorumque ope, consilio, ministerio fruantur, intentato etiam per te censurarum metu pro iis qui ad eos accesserint; confirmat demum concitata in ipsos invidia civilis potestatis. cuius praesidium adversum Apostolicae Sedis mandata et censuras, quas te promeruisse sentis, diceris invocasse. His veluti cumulus accessit altera episcoporum nefaria consecratio, quorum unum Zakuensi dioecesi, alterum Indis destinasti: per quem eo maius scandalum fidelibus datum est, quo maiori illam apparatu et solemnitate in contemptum huius Apostolicae Sedis factam perspexerunt.

» Haec sunt Ven. Frater, ut alia omittamus, quae te auctore in Malabaria et in Mesopotamia evenerunt et eveniunt: quorum pro Nostro munere a te rationem exigere cogimur, qui longe graviorem redditurus es aeterno pastorum Principi. Verum te ista non recogitare, forte etiam contemnere, timere iubent memoratae tuae litterae ad Nostram Congregationem de Propaganda Fide, quibus innocentiam tuam demonstrare contendis, fidem tuam de pontificio primatu asserens, et argumenta adducens ad praetensa tua iura circa electionem episcoporum, et circa regiones Malabaricas comprobanda.

» Frustra autem primatum Romani Pontificis agnoscere te ac revereri in tuis litteris profiteris, nisi de eo ita ex omni parte sentias, sicuti oecumenicum concilium Florentinum definivit, et oecumenicum Vaticanum enucleatius explicavit et confirmavit. Primatum vero iurisdictionis admittere iure divino contitutum, eique patriarchalia, uti ais iura, ecclesiastica ordinatione instituta opponere, queis Romanus Pontifex pro temporum, locorum causarumque ratione derogare nequeat, catholicum certe non est: et catholico episcopo indigna prorsus est quaelibet iurium seu privilegiorum suorum reservatio, qua intendat eadem ipsa supremae, plenae ac legitimae B. Petri eiusque successorum ordinationi et potestati subducere.

» Iam vero Nos semper existimavimus, catholicam in te fidem in sua integritate vigere, et a totius Ecclesiae sensu ac doctrina te numquam dissentire voluisse. Quare cum in litteris adhaesionis tuae decretis Concilii Vaticani quas dedisti die XXIX Iulii an. MDCCCLXXII. declarabas tibi iura omnia, ut aiebas, et privilegia patriarchalia te velle reservata et conservata, existimare non potuimus, voluisse te limitationem vel conditionem catholicae illis professioni a te editae statuere: neutrum enim cum catholica veritate vel unitate componi potuisset. Quoniam vero durior et anceps haec tua dicendi ratio videbatur, Nos hanc ad sanam doctrinam, quam te profiteri velle affirmabas, perfecte exigendam putavimus, uti deprehendere potuisti in litteris quas occasione supradictae adhaesionis tuae, die XVI, ad te dedimus; atque ita declarationem Nostram in iis expressam recepisti, ut ex his quae Nobis rescripsisti plane illi et cumulate acquiescere videreris.

» Post haec tamen non dubitasti tuam illam professionem apud tuos Episcopos propagare ad praetensa tua iura sustinenda. Ad quos si etiam misisses exemplum memoratae Nostrae epistolae, ipsi profecto intellexissent, tuam reservationem Nobis probatam non fuisse, traditamque a Nobis de patriarcharum privilegiis veram catholicam doctrinam ex iisdem Nostris litteris hausissent; et demirati etiam essent benigni-

tatem erga te Nostram, quod cum Apostolicae Sedis indulgentia et absolutione indigeres ob ea quae a te perperam facta fuerant in illis orientalis Ecclesiae perturbationibus, eam tibi extraordinaria prorsus ratione et maxima verborum lenitate in eadem Nostra epistola impertivimus.

www.ibtool.com.cn

» Dissimulare autem non possumus, magnam Nobis afferri tristitiam et grave scandalum fidelibus, cum ad excusandam tuam inobedientiam Apostolicae Nostrae constitutioni, quae incipit *Cum ecclesiastica,* huius vim et efficaciam infirmare conaris asserendo a te acceptam non fuisse; id vero citra fidei dispendium fieri potuisse eo quod eadem constitutio non dogmaticis sed mere disciplinaribus accensenda sit. Quomodo vero admitti potest salva divina Ecclesiae constitutione, vim et efficaciam Apostolicarum Constitutionum ab acceptatione Episcoporum vel aliorum quorumcumque pendere; eas vero quae disciplinam, non fidem respiciant, impune reiici posse? Hoc certe non sentiebas tu, Ven. Frater, cum electionis tuae confirmationem postulans promittebas in tuis litteris (1), te Nobis obedientem et subiectum toto vitae tuae tempore futurum, et hanc subiectionem tua agendi ratione comprobabas. Hoc non senseruut qui ante te fuerunt catholici Chaldaeorum patriarchae. Hoc demum non sensit Simon ille Sulaka, quo praedecessore gloriaris. Is enim primatum iurisdictionis Romani Pontificis ita professus est, ut idcirco promitteret se « tamquam obedientiae filium ordinationibus, » praeceptis, censuris ac iussionibus Papae Iulii III moderni » et successorum suorum Rom. Pontificum canonice intran» tium, et Sedi Apostolicae fideliter et semper obtemperatu» rum. » Porro hanc fidei professionem in tuis archivis asservari existimamus, cum integre inscripta fuerit in Apostolicis litteris eiusdem Iulii praedecessoris Nostri datis ad eumdem Sulakam X Kalendas Martii an. MDLIII quibus eiusdem electio in patriarcham confirmata fuit.

» Quid vero dicendum de excusatione quam petis ex timore malorum, quae tibi tuisque impendere dicis ab civili

(1) Epist. 15 Decembris 1847.

potestate, si memoratae constitutioni Nostrae obedias, exemplum malorum afferens quae Ven. Fratri Armenio patriarchae, et catholicis eiusdem ritus Ecclesiis contigerunt? En quo deveniunt vel fortissimi Ecclesiae Praesules, cum recedere incipiunt ab hac Sede Bmi. Petri Apostolorum Principis, in cuius soliditate firmatur omnium fortitudo sacerdotum! Obediendum esse saeculi Principibus, iisque tributa solvenda docuerunt sancti Dei Apostoli: et in ecclesia catholica, quae hanc doctrinam constantissime tenuit ac tenet, improbata ac damnata semper fuit rebellio contra legitimas potestates. Non tamen licebit a debita divinis et ecclesiasticis legibus obedientia et fide deficere, si quid eis contrarium civilis potestas quandoque iuberet. Qui enim dixit reddenda esse Caesari quae sunt Caesaris, idem praecepit reddenda esse Deo, quae Dei sunt: et cum de Christi Domini nostri praeceptis servandis ageretur, Apostoli intrepide pronunciarunt coram publicis potestatibus: obedire oportet Deo magis quam hominibus. Si tot sanctissimorum virorum et veterum martyrum exempla, qui asperrima quaeque passi sunt a potestatibus huius saeculi, ne a divinae vel ecclesiasticae legis custodia recederent, mente recolere et recogitare non vacat, circumspice catholicas, Ecclesias, tam quae in Oriente sunt praesertim Armeniam, quam quae in Occidente, potissimum Germanicam et Helveticam; ibi episcopi, clerus, et primores etiam ex laicis, debitam plenamque fidem et subiectionem legitimis potestatibus servantes, earum minas non reformidant, cum reddenda sunt Deo quae Dei sunt; neque poenarum metu veritatem aut officium suum produnt, vel ab Apostolica Sede recedunt; sed rapinam bonorum, carceres, exilium libentissime ferunt, scientes optimam se habere repositam gratiam et mercedem in coelis.

» Quo autem praetensa tua iura in Malabariam tuearis, asseris eiusdem regionis fideles eo ipso tibi subiectos esse debere, quod chaldaicum ritum teneant, et quod chaldaeis patriarchis quondam obnoxii fuerint. Nostrum non est historicas quaestiones ingredi, de quibus diversi diversa sentiunt. Etsi autem ita se res haberent, uti ipse dicis, non tamen propo-

situm assequereris. Ex quo enim alicui episcopo, cuiusvis dignitatis et ordinis ille sit, aliqua regio subdita olim fuerit, non sequitur hanc perpetuo eiusdem sedis episcopo subditam esse debere, ac non posse, legitima auctoritate, et causa interveniente, in alterius episcopi potestatem venire : qua de re plura exempla ab Ecclesiae annalibus, et veterum conciliorum actis suppeditantur. Oecumenicam vero et universalem potestatem in omnes, ubivis terrarum sint, eiusdem ritus fideles, consueverunt sibi arrogare Nestoriani aliique schismatici patriarchae, qui disruptis vinculis queis huic Apostolicae Sedi coniuncti erant, superiorem non agnoscunt. Catholicis autem Praesulibus id numquam concessum aut permissum fuit a legitimis canonibus, neque a pontificiis constitutionibus.

www.libtool.com.cn

» Praeterea contendisti iurisdictionem in Malabaricas oras tibi fuisse promissam, affirmans id tibi Ven. Fratrem Zachariam Episcopum Maroneae nuper evivis ereptum spopondisse. Atqui is cum multa retulerit quae istic ab eo facta fuerunt, nihil tamen de huiusmodi sponsione ad nostram Congregationem scripsit ; neque Nos illius peragendae ullam umquam ei dedimus potestatem. Nec porro apparet valida ulla ratio quae illum potuisset ad eam promissionem faciendam adducere ; non enim admittere possumus eum id fecisse, ut adhaesionem tuam Vaticani Concilii constitutionibus haberet, cum Concilii auctoritas hac adhaesione non indigeret, et haec agendi ratio non solum in tuae, sed in eius etiam conscientiae ac honoris labem cessisset.

» Concessiones praeterea Apostolicae Sedis probaturus, litteras protulisti fel. rec. Iulii III praedecessoris Nostri datas IV Kalendas Maii an. MDLIII quibus memorato Sulakae Chaldaici ritus patriarchae sacrum pallium et nonnullae facultates concedebantur. Quarum litterarum arabicam versionem, eamque non satis fidelem, in ecclesiis vulgari iussisti, ut nostris mandatis et constitutionibus decreta opponeres et litteras praedecessorum Nostrorum ; quos dicis et potestatem confirmasse patriarcharum chaldaeorum in Indicas regiones, et episcopos eligendi arbitrium iisdem concessisse. Iulius III, ut tu ipse

cognoscis, in memoratis litteris patriarchae Sulakae facultatem concessit confirmandi episcoporum et archiepiscoporum ipsi iure suo patriarchali subditorum electiones, rite et recte factas secundum Romanae Ecclesiae ritum et morem, ac eis sic electis episcopis et archiepiscopis, postquam eorum electiones confirmatae fuissent, munus consecrationis impendendi iuxta ritum et morem praedictos, recepto prius ab eis, Romani Pontificis et dicta Romanae Ecclesiae nomine, fidelitatis debitae solito iuramento. Verum animadvertere debes, ut patet cuique eas litteras legenti, nihil ipsum sanxisse aut constituisse, quoad loca ad quae patriarchicum ius illud Sulakae extendi deberet: concessaeque potestatis usum expresse interdixisse his in locis, in quibus praesules a Romano Pontifice instituuntur. Quapropter nil tibi suffragantur litterae illae ad protendendam iurisdictionem tuam extra fines quibus in praesentia continetur; et ausibus tuis aperte contradicunt quoad Malabariam, ubi praesules a Romano Pontifice instituuntur, ex quo Christiani illi, eiurata in synodo Diamperitana anno MDXCIX haeresi Nestoriana, catholicae Ecclesiae aggregati sunt. In qua synodo ipsi formaliter spoponderunt, et iurarunt, nullum unquam episcopum, archiepiscopum, praelatum, pastorem vel gubernatorem se admissuros, praeter illum qui a sancta Sede Apostolica per Papam et Pontificem Romanum foret immediate constitutus. Quod Clementis VIII ac Pauli V praedecessorum Nostrorum auctoritate sancitum et confirmatum, ad hanc usque diem servandum est.

» Habes, Ven. Frater, in hac monitoria epistola argumentum singularis Nostrae erga te longanimitatis et charitatis; qua urgente curavimus sophismatum, quibus deciperis, inanitatem ostendere, teque ad salubria consilia revocare; sperantes fore ut opitulante Dei gratia vocem Nostram tandem aliquando audiens resipiscas, teque et ecclesias ritus chaldaici tibi concreditas ab imminenti schismatis periculo eripias. Quapropter auctoritate Nostra apostolica, in virtute sanctae obedientiae et sub interminatione divini iudicii, tibi Ven. Frater districte praecipimus, ut Episcopum Eliam Mellus et

alios quoscumque tui ritus presbyteros, monachos vel forte etiam episcopos a Malabaria quamprimum revoces; eamque regionem, in qua nullam tibi inesse potestatem iam declaravimus et rursus declaramus, in pace et catholica tranquillitate legitimo suo Praesuli gubernandam relinquas.

» Praecipimus insuper, et presbyteros Eliam Matthaeum aliosque quos contra Nostram constitutionem nuper episcopali charactere auxisti, revoces a dioecesibus quibus eos temere, sacrilege et inaniter praefecisti: earumque tui patriarchatus dioecesium, quae legitimo carent pastore, regimen et administrationem committas aliis dignis et idoneis tui ritus presbyteris, donec de legitimis et rite electis episcopis iisdem dioecesibus provideatur. Quod Nostrum mandatum si adimplere neglexeris, Nos ipsi pro debito Nostri Apostolatus officio, illis dioecesibus consulemus.

» Praeterea te admonemus, ut omnino abstineas a censurarum ecclesiasticarum abusu, quas temere et sine iusta causa te frequenter comminatum esse et irrogasse accepimus. Si enim eas, ob causas non iustas et graves adhibeas, facere non poterimus quin fideles indignis poenis subiectos, et ad Nos iam confugientes, auctoritate Nostra, uti alias in eam Nos necessitatem adduxisti, absolvamus. Volumus denique ut omnia quae a supradicta Nostra Congregatione tibi mandata fuerunt, litteris datis die XXVII Augusti elapsi anni, omnino exequaris.

» Confidimus te religiose impleturum quae tibi in Domino praecipimus; et in hunc finem in plenitudinem divininarum gratiarum tibi adprecamur. Quod si peremptoriae huic Nostrae admonitioni, quod absit, parere detrectes, et in contumacia persistas, noveris Nos praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui veteres etiam patriarchas, licet potentum patrocinio quandoque suffultos, ecclesiasticis poenis et censuris cum opus fuit coercere non praetermiserunt, et non solum excommunicationis sed etiam depositionis poena multarunt, hanc eamdem agendi rationem, dolentissime quidem at necessario tecum esse servaturos; ne ministerium Nostrum

prodidisse, ac fidei, et saluti tot animarum, quae in gravissimum discrimen adductae sunt, non prospexisse ab aeterno pastorum Principe arguamur.

« Caeterum rogamus te, Ven. Frater, et in Domino Nostro Iesu Christo obsecramus, ut coram Domino tuam pravam agendi rationem, tuae dignitatis gradum, aetatem tuam, et gravissimum tuae aeternae salutis periculum serio recogites: atque implorato humilibus precibus divino lumine, ea tandem consilia capias, quae tuum erga Apostolicam Sedem obsequium, verbis saepe declaratum, facto ipso probent; quaeque eam ruinam avertant, in quam dum iniquis consiliariis aurem praebes, te ipsum, commissumque tibi auctoritate Nostra populum, te praecipitem agere deploramus. Quod ut divina misericordia benigne largiatur, Apostolicam benedictionem tibi Ven. Frater, nec non episcopis, clero, monachis et fidelibus, in communione et obedientia Apostolicae Sedis manentibus amanter in Domino impertimus.

« Datum Romae apud S. Petrum die XV Soptembris Anno MDCCCLXXV Pontificatus Nostri anno Tricesimo ».

19. Responsio Nostris hisce litteris diu dilata est; quod quidem primum ex adversa eius valetudine contigisse accepimus, postquam vero convaluit nihil excusare poterat. Interim vero facta eius, quae potissimum spectabamus, eloquentius quam litterae responsum reddebant. Etenim neque ex Malabarensi regione, qui illuc missi fuerant, revocabantur; neque a dioecesibus queis incubuerunt avocati sunt presbyteri episcopali charactere temere insigniti. Quin intrusus Amediensis aliquot monachos ad ordines promovere praesumpsit, quos paulo post ipsemet Patriarcha sacerdotio initiare non timuit. Porro sacerdotes pravae eius agendi rationi consentire nolentes, minis vel censuris vexati, interdum traducti uti perturbatores populi et Patriarchae rebelles, interdum etiam civilis potestatis praesidio coerciti. Neque dissimulare possumus responsum ab eo datum die septima Februarii huius vertentis anni quorumdam Mauxiliensium epistolae. Etenim in eo perspicue declarabat, se neque cessisse, neque unquam

cessurum praetensis iuribus suis; idque satis probari suis actibus, ad instar solis, uti aiebat, perspicuis: seque patriarchali munere fungi, sicut sui praedecessores catholici patriarchae functi fuerant, et sicut illos cohaerere in fide et disciplina cum Summo Pontifice: qua super re eos iubebat nullum dubium, nullam suspicionem habere. Claram vero hanc declarationem, clariorem etiam reddiderunt litterae ab iisdem Mauxiliensibus ad Patriarcham datae die XX eiusdem mensis Februarii. Isti enim dum illi gratias agerent sibique animos et robur per eam declarationem augeri profiterentur, asserebant se idcirco unanimes esse et fore usque ad extremum vitae spiritum cum eodem Patriarcha, in reiicienda Apostolica constitutione, in tuendis eius iuribus, atque continenter expediendis Episcopis in Malabariam.

www.libtool.com.cn

20. Dum haec passim et palam fierent, mirari fideles, virum hunc suae prorsus dignitatis immemorem totumque mutatum ab illo, qui fidem et obedientiam suam Apostolicae Sedi alias probaverat, adhuc impune abire: Chaldaeos Malabariae invasores hinc argumentum sumere ad tuendum schisma, quod illuc invexerunt, et ad negandam impudentissime veritatem vel iustitiam litterarum Apostolicarum, quibus in Episcopum Mellus eiusque sectatores animadverti iussimus: alios demum eo usque impudentiae devenisse relatum est, ut negarent posse a nobis excommunicari Patriarcham.

21. Eo itaque ventum erat, ut iam non liceret Nobis diutius abstinere a canonicis poenis adversus Patriarcham ferendis, qui semel et iterum monitus obedire detrectaverat, suamque inobedientiam et factis et scriptis palam profiteri non reformidabat. Inter haec autem diu expectatum eius responsum, die XIX Martii huius anni datum, ad Nos delatum est; quo contumaciam eius satis superque confirmari non sine multo animi nostri dolore cognovimus. Quid enim ineptius, vel iniuriosius excogitari potest, quam dubium, unde Patriarcha responsum exorditur, circa nostrarum litterarum authenticitatem, quae ad eum per Nostrum in Mesopotamia Delegatum de more missae fuerant? Totum autem respon-

sum in eo est, ut suam catholicam fidem, suamque erga Nos obedientiam et semel et iterum, magno verborum apparatu ac lenocinio, profiteatur. Tum iura sua tueri ac vindicare conatur, tam quoad episcoporum electionem, quam circa Malabariam; ea rursus repetendo, quae pluries iisdem de rebus ad Nos scripserat; dissimulatis tamen et omnino neglectis responsionibus quae, ut omnem iustitiam impleremus, in monitoriis Nostris litteris ei datae fuerant. His multas addit, eadem semper iterando, querimonias contra Missionarios Apostolicos; in quos non minus calumniose quam inverecunde, chaldaicae perturbationis causam confert. Deinde Nos obsecrare non veretur, ut approbationem Nostram manifestemus ad hoc, ut Episcopi chaldaici, ritus ab eo in Malabariam successive mittantur. Demum affirmat propositum sibi esse, aliquos e suis Episcopis post hyemale tempus convocare, et communicatis cum iisdem Nostris mandatis unanimiter decernere quid facto opus sit; id autem Nobis se quamprimum significaturum.

22. Videte, Ven. Fratres ac dilecti Filii, utrum post ea quae in praecedentibus Nostris litteris diximus, aliquod responsum huic postremae eius epistolae reddere possimus: monet enim divina Sapientia (1), ibi effundendum non esse sermonem, ubi auditus non est. Ipse quidem Patriarcha multa se passum commemorat ob tuendam ac propagandam catholicam fidem; et ideo maiori cum eo usi sumus patientia. Meminerit autem, eum qui etsi totam legem servaverit, offendat autem in uno, factum esse omnium reum (2): neque eum qui inceperit, sed qui perseveraverit usque in finem, hunc salvum fore. Quid de his dicendum quae adversus Missionarios congerit? Exploratum Nobis est, eos suis muneribus religiose fungi: si quid autem ab eis prave fieri contingat, deferatur ad Nos, tota rei serie diligenter et accurate exposita; neque debito decrimus reddendi unicuique ius suum. Vagis autem accusationibus faciles aures accommo-

(1) Eccli. XXXII. 6.
(2) Iacob. II. 10.

dandae non sunt, praesertim cum sciamus Missionarios malevolorum obtrectationes et invidiam sustinere, quin et gravissimis iniuriis interdum lacessitos fuisse, ipso Patriarcha nedum connivente ac dissimulante, sed ipsa etiam sua agendi ratione provocante.

www.libtool.com.cn

23. Quae cum ita sint, manifestum est, Ven. Fratrem Iosephum Patriarcham licet pluries monitum, Nobis et Apostolicae huic Sedi neque satisfecisse neque velle satisfacere. Quid enim iuvat catholicum dogma de Primatu B. Petri eiusque successorum profiteri, catholicae fidei et obedientiae erga Apostolicam Sedem toties declarationes edidisse, cum reipsa verbis opera eius aperte refragentur? Nonne immo eo inexcusabilior fit contumacia, quo magis debitum obedientiae officium agnoscitur? Num praeterea vel ad ea decernenda quae a Nobis mandata sunt Apostolicae Sedis auctoritas non protenditur, aut sufficit communionem fidei habere cum ea sine obedientiae subiectione quae quidem salva catholica fide, dici non possunt? Nos tamen hactenus cum eodem Patriarcha mitissime egimus, tantaque patientia erga eum usi sumus, quantam a Nobis expectare minime debuisset. Verum et patientia et longanimitas modum habeant necesse est: ne, sicut monet B. Gregorius Magnus (1) predecessor Noster, nimia resolutione lenitatis, ultra quam necesse est vigor districtionis emolliatur. Et ipse Christus Dominus docuit eum qui semel et iterum inutiliter monitus, neque ipsam Ecclesiam audierit, sicut ethnicum et publicanum habendum esse. Quam ob rem Romani Pontifices, potestate divinitus accepta in universos cuiusque ordinis et dignitatis saepe usi sunt ad Catholicae Fidei et unitatis integritatem servandam, et ad rebellium contumaciam confringendam, ipsos etiam Patriarchas excommunicando vel etiam cum opus fuit deponendo, uti plura in Orientali Ecclesiarum annalibus exempla praesto sunt, quae vos ignorare minime potestis.

24. Necesse igitur est, ut Nos licet inviti et moerentes eamdem agendi rationem cum praefato Ven. Fratre Iosepho

(1) Regul. Pastor. part. 3. admon. 17.

teneamus, ne ulterius Apostolicae huic Sedi populoque christiano illudat blandimentis verborum; ne catholica nobiscum communione se tueri velit, qui contra Nos est, et mandata Patrum transgreditur. Idcirco has encyclicas litteras ad vos, Venerabiles Fratres, et ad universos et singulos vestri ritus fideles dandas existimavimus, ut verum rerum statum edocti sciatis, qnaecumque a vestro Patriarcha hactenus uti supra gesta sunt et geruntur contraria prorsus esse Nostris et huius Apostolicae Sedis decretis et costitutionibus; eaque omnia a Nobis reiici ac reprobari: proinde vos neque debere, immo ne posse quidem, eidem obedire in his, quae contra Nostras et eiusdem Apostolicae Sedis ordinationes contigerit vel contingat ab eo mandari. Cavete ne decipiamini falsis narrationibus et calumniosis dicteriis quae invidiose circumferuntur; perinde ac si de ritualibus vel nationalibus, uti aiunt, quaestionibus tractetur. Agitur enim, Ven. Fratres ac dilecti filii, agitur de obedientia Apostolicae Sedis praestanda vel neganda, agitur de agnoscenda suprema eius potestate in vestris etiam Ecclesiis nedum quoad fidem, verum et quoad disciplinam: quam qui negaverit, haereticus est; qui vero agnoverit, eique obedire contumaciter detrectet, anathemate dignus est. Si quis itaque rerum statum aliter se habere existimans, a recto tramite aberraverit, resipiscere festinet: omnes vero si ea, qua uti debent, erga suum Patriarcham afficiuntur sincera charitate, illum ad bonam frugem revocare conentur sive monitis, sive hortationibus sive assiduis ad Deum fusis precibus, prout unicuique Dominus dederit. Haec omnia ut fiant, adhuc quadraginta dies expectabimus, rogantes et Nos Deum cum gemitibus, ne induretur cor eius, sed audiat nunc demum vocem Nostram, et ad sana consilia convertatur, eaque ratione suam suaeque gentis veram utilitatem, verumque bonum procuret. Quod si elapsis quadraginta diebus, postquam hae litterae in eius manus devenerint, ipse perseveret, quod Deus avertat, in sua contumacia et inobedientia, et cuncta quae a Nobis mandata sunt, opere non impleat, nulla amplius interposita mora ferre cogemur in eum sententiam, vi cuius

a Nostra. hoc est ab Ecclesiae catholicae communione omnino divelletur, et maioris excommunicationis vinculo innodatus, eo ipso privabitur omni et quavis spirituali iurisdictione erga fideles sui patriarchatus.

www.libtool.com.cn

25. Tanta vero in eum miseratione et patientia uti non possemus, nisi simul animarum saluti efficaciter hoc eodem tempore consuleremus, iam nunc decernendo quidquid necessarium est ad illarum incolumitatem procurandam, easque eripiendas a gravissimis periculis, in quae ob Patriarchae inobedientiam adductae sunt et quotidie magis adducuntur. Quomodo enim ferre possumus, fideles dioecesium Iezirensis, Amediensis, Zakuensis adhuc pseudopastorum arbitrio commissos, quorum sacrilega consecratio illegittima missio, nulla iurisdictio? Qui toti in eo sunt, ut simplicioribus illudant, incautos decipiant, infirmiores terreant, omnesque a communionis catholicae centro, licet expresse contrarium dictitent, dimovere conentur? Et cum in Patriarchali potestate praesidium et manitiae suae velamen se habere glorientur, eoque ad illaqueandas conscientias abutantur; nonne debemus hoc eos prae idio omnino privare, et Fideles dioecesium quibus incubuerunt, ab eorum tyrannide eripere? Quapropter de consilio Ven. Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Negotiis orientalis ritus praepositorum, auctoritate Nostra Apostolica Venerabilem Fratrem Iosephum Audu Patriarcham Babyloniensem Chaldaeorum suspendimus ab omni et quavis iurisdictione in memoratas dioeces Iezirensem, Amediensem, Zakuensem, et in alias quascumque sui ritus, quae legitimo Pastore iam carent, vel in posterum carere contigerit. Earum vero regimen et administrationem, quoadusque legitimi Episcopi iisdem rite praeficiantur, Nobis et Apostolicae huic Sedi reservamus.

26. Intrusos Episcopos Matthaeum, Cyriacum, atque Eliam, quos temeraria et sacrilega consecratio Episcopali charactere adauxit, et qui nullam omnino habent iurisdictionem, a praedictis dioecesibus statim recedere volumus atque edicimus, eaque omnia adimplere, quae per epistolas memoratae No-

strae Congregationis iisdem praecepimus. Haec omnia nisi infra quadraginta dies, uti supra, supputandos efficiant, et praesertim nisi a supradictis dioecesibus recesserint earumque prave usurpatam administrationem omnino et reapse deposuerint, ad maioris excommunicationis sententiam etiam contra ipsos procedemus.

www.libtool.com.cn

27. Episcopum Thomam Rokos, qui in secunda sacrilega consecratione astitit Patriarchae Iosepho, alterum tenens locum consecrantium Episcoporum, quique licet semel et iterum monitus, contumacem tamen adhuc sese misere exhibet, excommunicationis poena similiter plectemus, nisi et ipse infra quadraginta dierum terminum, uti supra sopputandum, facinus suum et cuncta quae a Patriarcha illegitime et contra Nostras constitutiones et mandata facta sunt, scripto reprobaverit.

28. Regimini autem dioecesium legitimo Pastore carentium Nos ipsi consulemus, earum administrationem committentes idoneis Sacerdotibus eisdem ritus Chaldaici cum opportunis et necessariis facultatibus ad earum regimen obeundum, independenter nedum ab intrusis pseudoepiscopis, quibus nulla potestas est vel esse potest, sed ab ipso etiam Patriarcha, cuius in easdem dioeceses quaevis iurisdictio per praesentes Nostras litteras sublata est.

29. Quoniam vero non ignoramus, ecclesiasticis censuris et poenis temere animadversum fuisse etiam a Patriarcha in sacerdotes, clericos, aliosque forte etiam fideles, eo quod pravis eius consiliis assentiri recusaverint, Nos declaramus, factam iampridem a Nobis fuisse specialem facultatem Ven. Fr. Ludovico Archiepiscopo Damiatensi, Nostro in Mesopotamia Delegato, earumdem censurarum ac poenarum, quas uti latas a legitimo Praesule nemo spernere potest, vi ac iustitia cognoscendi; et ab iisdem eos relevandi, quos iniuste damnatos fuisse in Domino iudicaverit. Hanc vero specialem et extraordinariam potestatem eidem Delegato Apostolico confirmamus, donec ipse Patriarcha Nobis et Apostolicae huic Sedi plene et cumulate non satisfecerit, vel aliter eadem facultas revocata non fuerit.

30. Dum haec omnia necessario decernentes, gravissimum Apostolatus Nostri munus adimplemus, non dubitamus, Venerabiles Fratres, quin officio vestro tam erga fideles vobis commissos, quam erga Apostolicam Sedem eo diligentius satisfacturi sitis, quo difficiliora sunt rerum adiuncta, in quibus versamini. Dolebitis forte et aegre feretis in vestrum Patriarcham iam nunc graviter animadverti, gravius forte animadversum iri. Dolemus et Nos, qui eum semper dileximus, et licet reluctantem et inobedientem a Nostra charitate non repulinus, Vosque testes appellamus, quanta cum eo charitate, patientia, et longanimitatis usi fuerimus. Verum dum idem Patriarcha mandatis ac monitionibus Nostris pervicaciter parere detrectat, aliisque inobedientiae exemplum praebet, Nobis non licet adhuc esse patientibus, et a ferendis in eum promeritis poenis adhuc abstinere. Metuimus enim et contremiscimus damnationem illam, quam Sacerdos Heli accipere meruit, eo quod negligenter filios suos castigasset, quos post primam et secundam monitionem in nequitia perseverantes (1) a templi aditu expellere oportebat. Quo factum est, ut et ipsi filii una die occisi fuerint, et triginta millia de populo interfecti, arca testamenti capta sit, et ipse sacerdos retrocadens fractis cervicibus misere obierit. Interim Vos eadem qua Nos charitate agite cum vestro Patriarcha, satagentes ne hoc poenitentiae spatium quod illi concessimus, vacuum ac irritum elabi patiatur. Instate apud eum, ne hanc longaevae suae aetati et excellentiori dignitati notam inurere velit, ut qui olim ad Fidei catholicae tutelam et incrementum adlaboravit, qui olim Nobis et Apostolicae huic Sedi obediens et devotus fuit, modo ab eadem Apostolica Sede coercendus, et ipsa, quam ab Ea accepit, potestate merito privandus sit. Hoc ipsum pro vestro modulo praestare vos oportet, Sacerdotes et Monachi, et quotquot in sortem Domini vocati estis; unaque simul et verbo et exemplo vestro populum edocere quae recta sunt; ne contingat hunc pravis doctrinis, falsisque sermonibus deceptum a firmissima petra vel inscium aut in-

(1) Theodoret. Cyren. Lib. 1. Reg. int. 7.

vitum seiungi, supra quam Christus Deus Ecclesiam suam aedificavit.

31. Demum Vos, universumque populum Chaldaici Ritus hortamur, ut lumen et potentem gratiae opem Patriarchae vestro aliisque misere errantibus apud Deum aeternumque Pastorum principem Christum Iesum, Beatissimae Dei Genitricis Mariae interventione adhibita, fervidis precibus implo-retis; ac in auspicium caelestis praesidii et in pignus Nostrae dilectionis Apostolicam Benedictionem Vobis, Ven. Fratres ac Dilecti Filii, in communione et obedientia Apostolicae Sedis perseverantibus peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die prima Septembris ann. MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri ann. XXXI.

PIUS PP. IX.

EX SACRA CONGREGATIONE CONCILII

CENSUS

www.libtool.com.cn

Compendium facti. Anno 1856 quidam Natalis P. renunciatus fuit Primicerius Confraternitatis SSmi. Sacramenti in sua patria erectae. Officium Primicerii fuit ut rerum temporalium administrationem gereret, una cum aliquo ex confratribus. Verum ob negligentiam, quae haud raro Sodalitiorum membra tenet, Natalis P. proventus eiusdem Confraternitatis solus administravit.

Rebus male gestis, fama ad Sodalitii Socios pervenit; qui Curiâ aditâ, petierunt ut Natalis P. redditâ ratione, ab officio removeretur. Rationes expensi et accepti initae fuerunt; nimio forsitan zelo ut negligentia quodammodo emendaretur. Ex quibus miser Primicerius debitor apparuit ex scutatis 172, 05. At consideratis laboribus, anxietatibus et curis ab ipso in difficili exactione praestitis, atque etiam attento quod debitor nedum ex eo ditior, imo pauperior evaserat, ex bono et aequo omne debitum, consentientibus syndicis, ad centum scutata redactum fuit.

Confratres vero, cum illico solvere centum scutata Primicerius nequiret, consilium inierunt, ut census sive annuus reditus scutatorum 4, 50 crearetur, ad favorem Confraternitatis, super domo, duobus ambientibus constante, Natalis P. Moerens homuncio ille subscripsit instrumento nomen suum: seseque obligavit in forma legis, et hypothecam super dicta domo sustinuit. Fiebat id sub die 6 Martii 1862; verum nec una solutio creati census usque adhuc facta fuit. De hac re Natalis P. reclamavit, submissa tamen voce, donec Vicarius Generalis, qui constitutionis census auctor fuerat, officium amiserit et alius Vicarius eligeretur. Tandem Natalis P. consilio sui Ordinarii compulsus S. C. Congregationi preces obtulit, ut census declararetur nullus defectu *numeratae pecuniae*. Declaravit insuper sese imparem fuisse solvendo

quotannis scutata 4, 50, dum penuriâ extremâ laboraret, et semper munere Secretarii gratis functus sit.

Ordinarius, qui a S. Congregatione C. de informatione et voto rogatus fuerat, adhaerens opinioni oratoris et Sodalitii ipsius, nullum ait fuisse censum. Quinimo Natalem P. dispensandum quoque fuisse a debiti solutione ob eius comprobatam paupertatem. Idque, ait Ordinarius, componi facile posse cum iustitia et aequitate, constabit ex informatione inferius inscribenda.

www.libtool.com.cn

Disceptatio Synoptica.

Duas in themate adfuisse resolvendas quaestiones clare patet: 1. utrum nempe census constitutio valida sit, nec ne; 2. utrum dispensatio a debito liquido concedenda esset.

Et quoad primam partem ex officio observatum fuit haud dubitari posse quod impositio census valida fuerit, atque efficax extiterit, quandoquidem consensus utriusque partis coram testibus et notario expressus intercessit, pretium solutum fuit et inscriptio hypothecaria capta. Neque refert, quod pecunia actu numerata haud fuerit. Cautum enim in iure est, quod pro solutione habetur quidquid datur de consensu contrahentis *leg. satisfactio ff. de solut. leg. 1. ff. qui satisd. Leg. Si rem.* §. *omnis ff. de pignorat. act.* imo quidquid datur in solutum, illud habetur pro numeratione, et solutione pretii *leg. praedium Cod. de evict.* Ideoque Parisius *consil. 75 n. 4* tenet censum sustineri, quamvis pecunia non fuerit numerata, fingitur enim numeratam fuisse.

Attamen Episcopus omnimode conatus est ut evinceret nullum fuisse censum, constitutioni inhaerens Sancti Pii V, quae incipit: *Cum onus.* Ait enim Sanctus ille Pontifex: « *Statuimus censum, seu annuum redditum creari, constituique nullo modo posse, nisi in re immobili.... rursum nisi vero in pecunia numerata, praesentibus testibus ac notario, et in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque pretio. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant, fieri aut in pactum deduci prohibemus.* »

Ex verbis istis quisquis aspicit nullum superesse dubium, et ab eisdem excludi quamlibet aliam interpretationem, qua quis adhuc contendere velit, voluntate et consensu contrahentium validari posse id quod legislator conditionibus necessariis conclusit. Pecunia de praesenti numerata in census creatione est conditio, sine qua non permittit S. Pontifex census constitutionem: quia oppositum *cum manifesto divinarum legum* contemptu et animarum pernicie conciliari non potest. Neque obiici potuisse Natalem P. revera accepisse summam centum scutatorum: nam ex eo ius tantum fuisset Confraternitati repetere summam illam a debitore, atque etiam si libuisset actionem super bona eius immobilia intentare, et iudicis sententiâ per publica experimenta vendere: nullimode vero valida et licita fuit creatio census. Cui quidem nihil detrahit beneficium redimibilitatis, quominus vere et realiter sit constitutio annui reditus ex pecunia numerata: quod putidam usuram redolet. Ex quibus animadversionibus patuit impositionem census in themate nullitate laborare. Quod firmatur ex S. Rota *in decis. 80 part. 14 num. 7 et decis. 338 n. 2 part. 19 tom. 1 recent.*

Quoad quaestionem secundam observatum fuit Natalem P. nullimode absolvi potuisse a solvenda sorte principali et fructibus; quia census impositio valida atque efficax dici debuit; et quia etsi census uti nullus retineri vellet, certum, exploratumque fuit Natalem P. liquidum fuisse debitorem Sodalitii SSmi. Sacramenti. A quo debito neque Summus Pontifex eum absolvere potuit, quia orator adhuc in bonis habet, neque paupertate laborat; et quia Summus Pontifex haud gratias concedere adsolet cum praeiudicio iuris tertio quaesiti.

Attamen videri Oratorem posse dispensari a solvendo debito 1. quia honestate atque religione praelucet: 2. quia debitum contraxit malitiis haud indulgens, sed ex imperitia in suis ac alternis rebus administrandis: 3. quia revera pauper existit, cum parum, vel poene nihil habeat in bonis, testante Ordinario. Et ipse Summus Pontifex eiusmodi gratias concedere potest, quia in themate praeiudicium tertii non habetur,

www.libtool.com.cn

dum Sodalitium iam Oratori debitum remiserit. Etenim constat illum dici a suo debito absolutum, cui debiti remissio a creditore facta est. *Rota decis. 138 num. 3 part. 15.*

Quamvis praeterea praeiudicium eiusmodi existeret, tamen neque dubium suboriri posset, quod Summus Pontifex, eâ qua pollet auctoritate atque eminenti dominio super Confraternitatibus, earumque bonis, absolutionis gratiam elargiri posset.

Ordinarius, probatâ nullitate census, asseruit Sodalitium absolvisse a suo debito exprimicerium Natalem P. Sed falsis rationibus deceptum fuisse supra quantitatem debitam; quam putaverat ascendisse ad octuaginta scutata tantum dum revera centum tangeret. Retulit etiam exprimicerium eumdem habuisse ex quatuor immobilibus annuum redditum scutatorum 18. Nullam exercuisse industriam, sed aeditui munere functum esse tam in Ecclesia parochiali, quam apud Confraternitatem; quatuor oneratum filiis fuisse natu minimis, quibus persaepe nec frustulum panis praebere potest. Nihilo tamen secius debitor est, debitumque non tollitur nisi solutione et satisfactione. Attamen eius patrimonium ita parvum est ut apud ius canonicum poene nullum censeatur. Quapropter cum vere pauper aestimandus esset ideo pro absolutione debiti sese rogare S. Sedem. Verum extare, ait Ordinarius, modum quo iustitiae et misericordiae iura concilientur. Solutio enim fieri censetur etiam per iustam compensationem. *Communem per text. in l. Dedisse 76 ff. de verbor. signific.* Praeterea solutio potest fieri per partes; quoties ita conventum sit inter debitorem et creditorem. *Comm. per tot. in l. arbitria 2. §. 4. ff. De eo quod certo loco dari oportet.* Sciendum ergo est Natalem P. pro munere aeditui Confraternitatis stipendium habere quatuor scutatorum quolibet anno. Factum recte quod novem iam anni effluxerint ex quo mercedem non recipit; ita ut Confraternitas triginta sex scutata ex centum iam exegerit. Quapropter censuit Ordinarius, ut abrogatâ census creatione, obligetur exprimicerius ad inserviendum *gratis* in officio aeditui per 16 annos: quibus transgressis, si adhuc

vivat, solutus a debito censeatur, si vero antea vitâ excesserit, absolutus habeatur.

Hisce aliisque praenotatis EE. Cardinalium prudentiae remissum fuit decernere quonam responso dimittendae essent oratoris preces.

www.libtool.com.cn

Resolutio. Sacra C. Congr. die 5 Augusti 1876 causâ cognitâ, respondere censuit:

Censum Pianum fuisse nulliter contractum et nihil obstare, quominus debitum extinguatur per solutiones ratarum annualium.

Ex quibus colliges: I. Ad censum ineundum iuxta sacros canones varias concurrere debere conditiones, quibus fit ut census ab avaritia immunis reddatur et licitus iustusque evadat.

II. Inter has conditiones apprime recenseri *numeratam pecuniam;* ut nempe pecunia numeretur coram testibus et notario in actu celebrationis instrumenti.

III. Quapropter ex pretio antea recepto, quamvis integro iustoque, nulliter constitui censum, quia ex Piana constitutione anticipatae pretii solutiones haud fieri patiuntur.

IV. In themate defuisse conditionem numeratae pecuniae coram testibus et notario facile patet ex dictis; ideoque censum eiusmodi nullum fuisse renunciandum videri.

APPENDIX I.

IN QUA LOQUITUR DE CONDITIONIBUS AD CENSUM RECTE CONSTITUENDUM

Addere putavimus non esse abs re disceptationi praellatae quoad censum, Constitutionem a S. Pio V anno 1569 editam, et cuius initium est *Cum onus*. Nam etsi Martinus V n sua Constitutione, quae incipit *Regimini* edita an. 1423 et relata in *Extravagan. commun. cap. 1 de emptione et venditione;* et Calistus III in Constitutione *Regimini* anno 1455 edita et relata pariter in *d. Extra vag. cap. 2 de emptione et venditione*, de census conditionibus loquuti fuerint; tamen de iisdem diffusius loquitur S. Pius V. hac in Constitutione.

Ex conditionibus istis, cuilibet notum est, aliae a iure naturae requiruntur, aliae a iure canonico ut iustus atque licitus census habeatur. A iure naturae requiritur ut census fundetur in re fructifera, ut est

praedium vel domus. Ut iusto vendatur et ematur pretio; ad quamlibet enim emptionem et venditionem iustum pretium ex natura rei exposcitur; pretium vero iustum taxatur vel a lege vel a consuetudine. Ius pariter naturae innuit quod si res in totum vel in partem pereat, aequalem exitum habeat census: ut pereat ideo in totum vel in parte necesse est census quoque. Ne autem pensionem vel minus secure, vel maiori difficultate exigere cogatur Censualista, exigitur ab eodem iure naturae ne res censui subiecta alienetur sine consensu Censualistae eiusdem.

Plurimas autem conditiones a iure canonico requiri, ad censum licitum et iustum constituendum erui potest ex ipsa S. Pii V, quae sequentis est tenoris.

PIUS EPISCOPUM

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum onus Apostolicae Servitutis obeuntes cognoverimus innumeros celebratos fuisse, et in dies celebrari Censuum Contractus, qui nedum continentur intra limites a nostris Antecessoribus eisdem Contractibus statutos, verum etiam, quod deterius est, contrariis omnino pactionibus, propter ardentem avaritiae stimulum, Legum etiam Divinarum manifestum contemptum praeseferunt, non potuimus, animarum, prout tenemur, saluti consulentes, ac piarum mentium petitionibus etiam satisfacientes, tam gravi morbo, lethiferoque veneno salutari antidoto non mederi.

1. Hac igitur nostra Constitutione statuimus, Censum, seu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur de sui natura frugifera, quae nominatim certis finibus designata sit.

2. Rursum nisi vere in pecunia numerata, praesentibus testibus, ac Notario et in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro iustoque pretio.

3. Solutiones, quas vulgo anticipatas appellant fieri, aut in pactum deduci prohibemus.

4. Conventiones directe, vel indirecte obligantes ad casus fortuitos eum, qui alias ex natura contractus non tenetur, nullo modo valere volumus.

5. Quemadmodum nec pactum auferens, aut restringens facultatem alienandi rem Censui suppositam, quia volumus rem ipsam semper, et libere, ac sine solutione laudemii, seu quinquagesimae, aut alterius quantitatis vel rei, tam inter vivos, quam in ultima voluntate alienari.

6. Ubi autem vendenda sit, volumus Dominum Census aliis omnibus praeferri, eique denuntiari conditiones, quibus vendenda sit, et per mensem expectari.

7. Pacta continentia morosum Census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu certas expensas, aut certa

salaria, seu expensas medio iuramento Creditoris liquidandas, aut rem Censui subiectam, sive aliquam eius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto irrita sint, et nulla.

8. Immo, et Censum augeri, et novum creari super eadem, vel alia re in favorem eiusdem, aut personae per eum suppositae pro Censibus temporis, vel praeteriti, vel futuri, omnino prohibemus.

9. Sicuti etiam annullamus pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem alias de iure, et ex natura contractus non spectarent.

10. Postremo Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire, sed etiam posse pro eodem pretio extingui. Non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabili, immo centum, et plurium annorum praescriptione, non obstantibus aliquibus pactis directe talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut Clausulis concepta sint.

11. Cum vero traditione pretii redditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denunciari ei, cui pretium dandum erit, et post denunciam intra annum tamen etiam ab invito pretium repeti posse, et ubi pretium, nec volens intra bimestre solvat, nec ab invito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque redditum extingui posse, praevia tamen semper denuncia, de qua supra, et non obstantibus his, de quibus supra; idque observari mandamus etiam quo ad pluries, ac pluries denunciatum fuisset, nec unquam effectus secutus fuisset.

12. Pacta etiam continentia pretium Census extra casum praedictum, ab invito, aut ob poenam, aut ob aliam causam repeti posse, omnino prohibemus.

13. Contractusque sub alia forma posthac celebrandos foeneratitios iudicamus, et ita illis propterea non obstantibus, quidquid vel expresse, vel tacite contra haec nostra mandata dari, remitti, aut dimitti contingat a fisco volumus posse vindicari.

14. Hanc autem salutiferam sanctionem nedum in Censu noviter creando, verum etiam in creato quocumque tempore alienando, modo post publicationem Constitutionis creatus sit, perpetuo, et in omnibus servari volumus.

15. Declarantes pretium semel Censui constitutum numquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, nec quo ad ultimo contrahentes minui, vel augeri.

16. Et licet Legem ipsam ad contractus iam celebratos non extendamus; illos tamen omnes, in quos sub alia forma pervenerunt Census, hortamur in Domino, ut singulos

contractus Censurae bonorum Religiosorum subiiciant, et animarum saluti consulant.

17. Non obstantibus quibusvis Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, statutis et consuetudinibus, nec non privilegiis, et Litteris, etiam per quoscumque Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac etiam Nos sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis Clausulis etiam derogatoriarum derogatoriis, nec non irritantibus Decretis, ex quavis caussa etiam per modum Legis universalis, aut alias quomodolibet editis, sive in favorem Universitatum, Communitatum, Collegiorum, Civitatum, et locorum concessis, approbatis, et innovatis, quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, quatenus directe, vel indirecte praesenti nostrae Constitutioni in toto, vel in parte contrarientur, specialiter, expresse derogamus; caeterisque contrariis quibusque.

18. Volumus autem, quod praesentes in Cancellaria, et acie Campi Florae publicentur, et inter Constitutiones extravagantes perpetuo valituras conscribantur.

19. Et quia difficile foret praesentes ad singula quaeque loca deferri, volumus, et etiam declaramus, quod earum transumptis, etiam impressis alicuius Notarii subscriptis, ac sigillo alicuius Praelati munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae.

20. Nulli ergo omnino etc.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo nono quartodecimo Kalendas Febr. Pontificatus nostri anno quarto.

Edita sed vero Constitutione superallata, ut pene semper usuvenit, in applicatione eiusdem singulis praxeos casibus, quaedam dubia in quorumdam mentibus superexorta sunt. Quapropter idem Sanctus Pontifex expedire arbitratus est ut sequentes quoque in lucem daret declarationes.

PIUS PAPA V.

Ad futuram rei memoriam.

Etsi Apostolica Sedes magna adhibita industria operam det, omnia perspicue promulgare, vix tamen est ut umquam satis queat usquequaque cavere, quin scrupulosae quorumdam mentes novos illi sensus inducant, quorum perplexitate multi in dubium evocantur.

1. Pridem enim per Constitutionem nostram de Censuum creatione inter alia volumus, Census omnes in futurum creandos non solum re in totum, vel pro parte perempta, aut infructuosa in totum effecta ad ratam perire, sed etiam pro eodem pretio extingui posse. Ac pacta continentia morosum Census debitorem ad interesse lucri cessantis, vel ad Cambium, seu salaria, et expensas medio creditoris iuramento liquidandas teneri, aut rem Censui subiectam, sive aliquam eius partem amittere, aut aliud ius, sive ex eo-

dem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam poenam cadere, ex toto nulla, atque irrita esse. Censum autem, seu annuum redditum nonnisi in re immobili, aut quae pro immobili habeatur ex sui natura fructifera, atque nominatim certis finibus designata sit. Sed nec Censum ipsum, nisi vere in pecunia numerata praesentibus Notario, et Testibus in actu celebrationis Instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoque pretio creari constitutive nullo modo posse.

2. Deinde per Dilectum Filium Octavium Spinolam Regni Siciliae Magistrum Portulanum hac de causa ad nos destinatum, accepimus in d. Regno Siciliae scrupulum exoriri, an rerum praedictarum infructuositas etiam annalis, aut alias temporalis intelligatur.

3. Et an per nullitatem pactorum aliorum praedictorum, etiam ius recuperandi, sive repetendi impensas, quas litigando contra morosos praedictos, aut executores ad eorum loca transmittendo, aut alias ex Iudicum mandato subire oportet, auferatur.

4. Praeterea an tam pro ipsis expensis quam etiam pro Censu recuperando contra tertium possessorem procedi? Et etiam Fideiussores dari, aliave bona praedii Censu gravati evictione, et ipsius Census solutione hypothecari? Denique, an Census huiusmodi super pluribus rebus inter se divisis constitui possit?

5. Postremo an id, quod de pecunia numerata dicitur, prohibeat quominus in dotium assignatione Census creari possit?

6. Nos haec discrimina, quantum in nobis est, tollere cupientes, tenore praesentium declaramus rem infructuosam, quae tota, vel ex parte infructuosa perpetuo redditur, non autem ex qua fructus uno, duobus, pluribusque annis, sive tempestate, sive alio casu non proveniunt, salva alia iuris communis dispositione intelligi debere.

7. Praeterea exactionem illarum expensarum prohiberi, quae ex pacto, vel conventione tantum inter contrahentes inita, et instrumento Census specialiter appositae refici permittuntur, non autem eae, quae ex dicti iuris dispositione repetendae veniunt, et mandato iudicis adiudicantur.

8. Caeterum Fideiussores dari, aliave bona hypothecari pro praedii Censu gravati evictione, aut si praedium in alium devenerit, aut si aliquis tertius Fideiussor intercesserit, tertium possessorem, vel eius bona obligari minime prohibemus. Haec autem omnia pro evictione dumtaxat, non autem solutione poenae adiudicari posse intelligimus.

9. Postremo in Dotium assignandarum casu Censuum erectionum, et constitutionem praedictam respectu actualis numerationis coram Notario, et Testibus faciendae locum non habere. Sed in hoc casu Census ipsos etiam pecunia ad manum non habita creari posse declaramus.

10. Denique, ut periculis, quae ex trasportatione pecuniarum frequenter in dicto Regno eveniunt, occurratur, permittimus ut si in creatione Census pecunia ad manum commode haberi nequiverit, illius loco Emptor apocam, seu schedulam bancariam idoneam integri pretii in ipso emptionis actu debeat exhibere.

11. Constitutione nostra praedicta tam in casu Dotium, quam caeteris omnibus in ea contentis, in suo robore permanentibus.

12. Volumus autem etc.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris. Die 10 Iunii 1570. Pontificatus nostri anno quinto.

Quum ob avaritiae praesumptionem Constitutio eiusmodi lata fuerit, quaeri etiam posset an ista Constitutio obliget in coscientia, quatenus constet quod contractus censualitius immunis ab avaritia fuerit. Quamvis Navar. *de usuris num. 69 et 70* affirmativam sententiam retineat; tenendum tamen est quod Constitutio absolute obliget in conscientia ubi usu recepta fuerit aut per legitimam contrariam consuetudinem non fuerit abrogata. Nam ex ipsa Rota *part. 19. tom. 1. decis.* 338. *num.* 2. nullus absque distinctione declaratur census creatus contra formam Constitutionis S. Pii V. Verum si eadem Constitutio primitus recepta, per legitimam contrariam consuetudinem abrogata fuerit; vel si non usu recepta fuerit, uti in Gallia Belgio, Germania, Hispania et Sicilia, in locis eisdem non obligat, ibique licite fiunt contractus censuales, non attentis conditionibus ab eadem praescriptis. Quomodo autem id fieri queat optime innuitur ab Herincx. *part. 2. Summae Theologicae disp. 3. de legibus n. 117. Ex his patet quomodo multae Leges seu Bullae Pontificiae in variis regionibus non obligant; videlicet, quia vel in iis neque divulgatae seu publicatae, neque acceptatae fuerunt, consentiente, seu tacite connivente Pontifice; vel quia defectu publicationis et acceptationis, esto in principio culpabili, tandem in perfectam desuetudinem desierunt. Illud autem plerumque oritur ex eo, quod Ordinarii frequenter advertant, aut existiment, ac saepe non infundate, Leges varias non congruere publicae utilitati suarum Dioecesium ob inveteratas, et rationabiles earumdem consuetudines, genium plebis, defectum finis legis v. g. quia lata fuit ob pericula, et defectus, qui ibidem generatim non grassantur, imo vix noscuntur. Interdum etiam Ordinarii ob potestatem laicam non possunt exequi pro libitu suo mandata Apostolica. Interea vero tempore fluente in desuetudinem leges abeunt, antequam usu recipiantur.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Iam alias per Rescriptum Secretariae Brevium diei 12 Iunii 1855, et per Decretum huius Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae diei 27 Aprilis 1865 Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX clementer indulserat ut universi Christifideles aliquod sive publice sive privatim precum ac virtutum exercitium peragentes *per integrum mensem Martium* in honorem S. Iosephi Sponsi B. M. V. Indulgentiam lucrarentur tercentum dierum quolibet die, plenariam vero in uno dierum mensis ad arbitrium eligendo, quo confessi et ad S. Synaxim accedentes iuxta mentem Sanctitatis Suae oraverint, cum facultate easdem Indulgentias applicandi in suffragium defunctorum.

Cum vero mos invaluerit in permultis variarum dioecesum ecclesiis ut idem exercitium a die decimasexta vel decimaseptima mensis Februarii inceptum usque ad decimam nonam diem sequentis mensis Martii producatur et absolvatur, qua die gloriosi Patriarchae festum in universa Ecclesia recolitur; humillimae preces Sanctissimo Domino Nostro exhibitae sunt quatenus declarare dignetur Christifideles qui pio huiusmodi exercitio infra praefatum tempus vacaverint, easdem, de quibus supra, Indulgentias lucrari posse. Quas preces, referente me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae Praefecto in audientia diei 4 Februarii 1877, Sanctitas Sua clementer excipiens, benigne annuit pro gratia, servata in reliquis forma ac tenore praecedentium concessionum. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congreg. die 4 Februarii 1877.

Al. Card. Oreglia a S. Stephano Praef.

Pro R. P. D. Secretario
Dominicus Sarra Substitutus

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

www.libtool.com.cn

PAPAE IX

ALLOCUTIO

HABITA DIE XII. MARTII MDCCCLXXVII.
AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS.

VENERABILES FRATRES

Luctuosis exagitati Nostri Pontificatus temporibus pluries vestrum amplissimum ordinem in has aedes advocavimus, ea mente ut gravia mala apud Vos deploraremus quibus Ecclesia indigne affligitur, et contra ea quae sive in Italia sive in aliis regionibus in perniciem Ecclesiae ac Sedis Apostolicae patrata sunt, Nostras protestationes ederemus. Novissimis vero hisce annis novos et violentiores usque impetus atque iniurias spectare debuimus, quas Ecclesia Dei in variis Orbis catholici partibus pertulit ab infensis hostibus, qui opportunam satis occasionem Iesu Christi sponsam oppugnandi reputaverunt calamitosam conditionem rerum nostrarum, et solitudinem eam in qua Nos omni humana ope destituti versamur. Optassemus quidem hodierna die Venerabiles Fratres menti et cogitationi vestrae proponere immanem hanc lateque diffusam persecutionem, quae in pluribus Europae regionibus contra Ecclesiam saevit, sed habentes in animo acerbam hanc descriptionem alio Vobis tempore exhibere, interim facere non possumus, quin Ecclesiae in hac Italia labores et vexationes in dies asperiores Vobis commemoremus, ac pericula quae quotidie maiora Nobis et huic Apostolicae Sedi impendere conspicimus, aperiamus.

Septimus iam procedit annus, ex quo invasores civilis Nostri Principatus omnibus divinis ac humanis iuribus proculcatis, solemnium pactionum fide violata, et calamitates illustris Nationis catholicae opportunitatem suam reputantes, vi atque armis provincias quae in nostra potestate adhuc erant occuparunt, hanc sanctam civitatem expugnavere, ac tantae iniquitatis opere Ecclesiam universam luctu ac dolore compleverunt. Simulatae atque infidae promissiones, quas iis funestis diebus ipsi super rebus nostris, Guberniis exteris obtulere, declarantes se velle obsequium et honorem reddere libertati Ecclesiae, et liberam ac plenam esse velle Romani Pontificis potestatem, efficere non potuerunt ut Nos vana spe illecti non penitus praeciperemus animo, quae luctuosa ac misera Nos sub eorum dominatione manerent; quin probe conscii consiliorum impiorum quae propria sunt hominum quos novarum rerum studia et sceleratum foedus consociat, aperte praenunciavimus eam sacrilegam invasionem non tantum spectare ad civilem Nostrum Principatum opprimendum, quantum ad destruendas facilius, temporali nostra dominatione oppressa, institutiones omnes Ecclesiae, ad evertendam Sanctae Sedis auctoritatem, ad vicariam Christi potestatem quam licet immerentes gerimus in terris, omnino labefactandam.

Iamvero hoc opus demolitionis et eversionis omnium rerum quae pertinent ad ecclesiasticum aedificium atque ordinem, si non quoad consilia ac odium persecutorum, quoad gravissimas tamen ruinas quas usque ad hanc diem congesserunt pene consummatum dici potest; ac satis est oculos convertere ad leges et decreta ab initio novae dominationis huc usque edita, ut luculenter perspiciatur Nobis singillatim ac sensim alia ex aliis in dies media e praesidia fuisse sublata, quibus, ad catholicam Ecclesiam ut par est regendam et gubernandam omnino indigemus. Enimvero iniquitas quae completa est supprimendis ordinibus religiosis, Nos strenuis ac utilibus adiutoribus damnose spoliavit, quorum opera in expediendis ecclesiasticarum Congregationum negotiis, in tot partibus ministerii Nostri exercendis Nobis omnino necessaria

est, ac eodem tempore hic in urbe nostra tot domicilia delevit quae religiosos viros ex exteris nationibus excipiebant, qui statis temporibus in hanc metropolim convenire consueverant ad roborandum spiritum, ad rationes de suo ministerio reddendas, atque ab ipsis radicibus crudeliter abscidit tot utiles et feraces plantas, quae fructus benedictionis et pacis in omnes terrae plagas afferebant. Eadem autem suppressionis iniuria quae Collegia perculit pro sacris missionibus in urbe constituta ad dignos operarios efformandos, qui Evangelii lucem in dissitas etiam et inhospitas terras animose proferrent, ea misere subduxit tot populis tam salutare pietatis et caritatis auxilium magno cum detrimento ipsius civilis humanitatis et cultus, qui a Religionis nostrae sanctitate doctrina virtute dimanat. Huiusmodi vero leges per se acerbissimae et non solum Religionis, sed ipsius humanae societatis utilitati perquam adversae, maiorem etiam acerbitatem deinde accepere ex novis ordinationibus rei publicae ministrorum, quibus religiosarum familiarum communi in domo consociationes, et novae admissiones pro regularibus utriusque sexus sub severis sanctionibus prohibentur. Disiectis Ordinibus religiosis Clero saeculari destruendo consilia et opera cónversa sunt, ac funesta ea lex lata fuit qua Nos et Pastores italici populi magno cum luctu videre debuimus iuvenes clericos, Ecclesiae spem, a sanctuario nequiter avulsos, et coactos aetate ipsa qua se Deo solemniter consecraturi sunt, saecularis militiae balteum accipere, ac vitae genus perferre, quod ab institutis et a spiritu vocationis eorum longissime abhorret. Quid plura? Subsecutae sunt aliae iniustae leges quibus universum patrimonium, quod Ecclesia sacris diuturnis inviolabilibus titulis possidebat magna ex parte fuit ereptum, substitutis eius loco ex parte tantum exiguis reditibus, qui ancipitibus temporum vicibus, et voluntati ac arbitrio publicae potestatis penitus subiiciuntur. Deplorare etiam coacti fuimus magno numero aedificia quae pietas fidelium gravibus admodum sumptibus toleratis erexerat, quae christianis Romae temporibus digna erant, quaeque pacatum hospitium praebebant virginibus Deo devotis aut Regularium fa-

www.libtool.com.cn

militis, indiscriminatim legitimis possessoribus eiectis occupata fuisse, et in profanos usus destinata. Adempta insuper fuerunt potestati Nostrae, et sacrorum ministrorum curationi, tot pia opera et instituta caritati ac beneficentiae exercendae consecrata, quorum nonnulla egestati aliisque miseriis et necessitatibus sublevandis mira munificentia ipsi Romani Pontifices Praedecessores Nostri et exterarum gentium pia liberalitas condiderant; ac si qua ex iis publicae caritatis operibus adhuc sub Ecclesiae vigilantia manent, lex quaedam non serius roganda esse fertur, qua illa a Nobis subtrahantur aut funditus aboleantur, veluti publica documenta non dubie nec obscure praenunciant. Vidimus praeterea, idque anima Nostra supra omnem modum dolore perculsa commemoramus, Ecclesiae auctoritati et moderationi subductum publicum ac privatum doctrinarum et artium magisterium, et docendi munus concreditum hominibus suspectae fidei, aut apertis Ecclesiae inimicis et qui non dubitarunt atheismi impietatem publice profiteri.

www.libtool.com.cn

Occupatis hac ratione et eversis tot religiosis magnique momenti institutionibus, id non satis visum est filiis Ecclesiae desertoribus nisi etiam impedimenta ponerent sanctuarii Ministris ne suum spirituale ministerium valeant libere exercere; atque huc etiam nefarie perventum est ea lege in aula oratorum legibus ferendis novissime approbata, quae de *Cleri abusibus* inscribitur, cuius vigore crimini et noxae vertuntur Episcopis itemque sacerdotibus, ac gravibus poenarum sanctionibus mulctantur ii actus, quos sub insidioso nomine perturbationis conscientiae quam dicunt publicae, aut pacis familiarum praedictae legis auctores complectuntur. Eius porro quam innuimus legis iussu, verba ac scripta omnis generis quibus Religionis administri decreta, leges aut alium quemque publicae auctoritatis actum vel rei sacrae iuribus, vel Dei aut Ecclesiae legibus adversantem, pro sui officii ratione notandum ac improbandum censeant, animadversioni et poenis perinde subiiciuntur, ac opera illorum qui praedicta scripta ediderint aut diffuderint, quocumque ex ordine ecclesiasticae

auctoritatis, aut ex loco ipsa manaverint. Ubi haec lex perlata et promulgata fuerit integrum erit laico tribunali iudicium ferre, utrum ac quomodo sacerdos in sacramentis administrandis in divini verbi praedicatione conscientiam publicam et domesticam tranquillitatem pertubaverit, ac episcopalis et sacerdotalis vocis ea erit conditio ut ea comprimatur aut obstruatur, non minus quam vox ipsa Iesu Christi Vicarii, qui quamvis in se ipso nulli animadversioni obnoxius dicatur ob rerum politicarum rationes in persona tamen earum qui eius noxae affines fuerint puniendus esse censetur, uti publicus regni administer in conventu legumlatorum palam significare non dubitavit, cum respectu ad Nos habito aperte profiteretur nec novum aut insolitum esse in legibus, nec a iuris criminalis ratione scientia ac usu absonum, poenis subiici participes criminis, ubi praecipuus auctor puniri non possit. Ex quo intelligitur ad Nos etiam ex dominantium sententia huius legis telum spectare, ita ut tibi nostra verba aut acta in offensionem eius legis incidant, Episcopi aut sacerdotes qui nostros sermones et monita aut evulgarint aut executi fuerint poenas laturi sint eius praetensi criminis, cuius reatum et culpam Nos uti praecipuus auctor sustinere iudicabimur.

En Venerabiles Fratres quemadmodum non solum tot praesidia tot instituta roborata saeculis, invicta tempestatibus, Ecclesiae administrationi necessaria hostili violentia ac demolitione apud Nos eversa sunt, sed eo etiam progressum est, ut sublime illud munus docendi vigilandi animarum saluti prospiciendi quod Ecclesia a suo divino conditore accepit, nefario modo impediatur, severissimis poenis indictis ad obstruendum os ministrorum eius, qui dum docent populos servare omnia quae Christus mandavit, dum instant opportune importune arguunt obsecrant increpant in omni patientia et doctrina, illud agunt quod divina eis et apostolica auctoritate praecipitur. Alias autem tenebrosas molitiones oppugnatorum Ecclesiae silentio praeterimus, a quibus nonnullorum etiam ex publicis administris consilia et incitamenta non abesse cogno-

scimus, quae eo spectant ut maiorum tribulationum dies Ecclesiae ipsi adducantur, vel promovendis schismas occasionibus ubi futuri Pontificis electio inciderit, vel Episcoporum qui Ecclesiis Italiae praesunt spiritualis auctoritatis usu impediendo, cuius rei causa Nos novissime declarare coacti fuimus, tolerari posse ut acta canonicae institutionis eorumdem Episcoporum laicae potestati exhibeantur, ad occurrendum quantum in Nobis est, funestissimis rerum adiunctis, in quibus non amplius agebatur de temporalium bonorum possessione, sed ipsae fidelium conscientiae, earum pax, animarum procuratio et salus, quae suprema Nobis lex est, in apertum discrimen vocabantur. Verum in hoc quod egimus ad gravissima pericula removenda, palam ac iterum agnosci volumus, Nos iniustam eam legem quae *regium placitum* vocatur omnino improbare ac detestari, aperte declarantes per ipsam laedi divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque libertatem violari.

Post haec autem quae hactenus exposuimus omittentes plura alia, ad quae deploranda sermonem nostrum producere possemus illud petimus, qua ratione fieri possit ut Ecclesiam gubernare valeamus sub dominatione eiusmodi potestatis, quae omnia Nobis media et praesidia ad Apostolatum nostrum exercendum continenter adimit, omnem viam obstruit, nova in dies impedimenta novas difficultates interponit, novos usque laqueos insidiasque molitur? Profecto Nos satis mirari non possumus eos homines reperiri, quorum nescimus utrum levitas an malitia maior sit, qui sive per publicas ephemerides, sive peculiaribus scriptis sive impudentibus sermonibus plurium occasione conventuum habitis, obtrudere et persuadere populis conantur, praesentem summi Pontificis in urbe conditionem talem esse, ut etiam sub alterius potestatis dominatione constitutus plena libertate fruatur, ac tranquille et plene possit suo supremo spirituali primatu perfungi. Ad quam opinionem publice confirmandam nullam elabi occasionem sinunt sive cum Episcopi et fideles ex exteris plagis ad Nos visendos accedunt, sive cum eorum pios coetus in conspectum nostrum admittimus, sive cum impios ausus contra Ecclesiam Nostris

ad eos sermonibus deploramus, quin de industria et callide incautis insinuare studeat, Nos reipsa plena potestate et libertate frui tum loquendi tum excipiendi fideles tum Ecclesiam universam administrandi. Mirum Nobis est quod talia impudenter iactari possint, quasi exercitium illorum actuum qui recensentur plene et omnino esset in nostra potestate, et quasi in iis tota gubernationis Ecclesiae ratio quae ad munus Nostrum pertinet, contineretur. Quis enim nescit non sub Nostra sed sub dominantium potestate esse actus eius libertatis quam tantopere extollunt, ita ut eatenus et tamdium eosdem actus exercere possimus, quatenus et quamdiu hoc ab iis non impediatur? Quae tamen nostrorum actuum libertas quantum sub eorum potestate sit, etsi alia argumenta deessent, satis innuit ac docet novissima ea lex quam nuper deploravimus, qua liberum exercitium spiritualis nostrae potestatis, et ministerii ecclesiastici ordinis nova et intolerabili oppressione constringitur. Quod si nonnullos actus Nos posse exercere permiserint, ea de causa quod agnoscant quantopere eorum intersit Nos sub eorum dominatione liberos existimari, quam multa tamen gravissima pernecessaria summique momenti sunt quae ad formidanda onera ministerii Nostri pertinent, quibus reipsa ac rite perficiendis, Nos dominantium iugo subiecti omni necessaria facultate et libertate caremus? Vellemus quidem illos qui ea quae retulimus scribunt aut loquuntur, oculos suos ad ea quae circa Nos accidunt coniicerent, ac alieno paulisper a partibus animo diiudicarent, utrum vere dici possit Ecclesiae regendae potestatem Nobis divinitus commissam, cum eo statu ad quem Nos adegit invasorum dominatus posse componi. Vellemus eos agnoscere convicia, iniurias, contumelias quae etiam in aula Oratorum Populi continenter contra humilitatem Nostram effunduntur, convincia in quibus Nos quidem ignoscimus miseris qui ea promunt, sed tamen in offensionem maximam fidelium cedunt quorum communis Pater violatur, et eo tendunt ut imminuatur apud eos existimatio auctoritas veneratio, quam Vicariatus Christi quem indigni sustinemus, suprema dignitas et sanctitas postulat. Vellemus

eos testes esse probrorum et calumniarum quibus tum amplissimus ordo vester, tum sacri Ecclesiae Magistratus omnibus modis impetuntur, tanto cum administrationis eorum detrimento; testes esse irrisus ac ludibrii quo augusti ritus ac institutiones catholicae Ecclesiae dehonestantur, petulantiae qua sanctissima religionis mysteria profanantur, ac conspicere publicis honoris significationibus et pompis decoratam impietatem et atheos homines, dum contra religiosae supplicationes et pompae vetantur, quas avita italorum pietas libere semper celebrare solemnibus temporibus consuevit. Vellemus etiam ipsis notas esse blasphemias, quae impune, auctoritate publica dissimulante, contra Ecclesiam in legumlatorum conventu conficiuntur, in quo Ecclesiae ipsi subvertendi et aggrediendi criminatio est illata, libertas eius nefarium ac fatale principium vocatum est, doctrinae eius perversae, ac societati et moribus adversantes appellatae sunt, vis et auctoritas eius tamquam civili consortio perniciosa incusata fuit. Neque possent iidem confictae nostrae libertatis praecones inficiari tot multiplices continuas graves occasiones in id comparatas ut incauta iuventus inflammatis cupiditatibus corrumpatur, ac ex eius animo catholica fides radicitus extirpetur. Si ipsi demum vias huius urbis, quae per B. Petri cathedram religionis sedes et caput est obirent, iudicare percommode possent utrum templa acatholici cultus his temporibus excitata, scholae corruptionis quaquaversus diffusae, tot domus perditionis passim constitutae, obscena et foeda spectacula quae oculis populi offeruntur, talem rerum conditionem faciant, quae tolerabilis sit ei qui pro sui apostolatus officio debet quidem et vellet tot malis occurrere, at contra omnibus mediis et rationibus, omni potestatis exercitio privatur, quo possit vel uni tantum ex tot malis necessaria remedia adhibere, et animabus in exitium ruentibus opem ferre. Hic tandem est Venerabiles Fratres status cui subesse cogimur opera eius Gubernii quod in hac urbe dominatur, haec est illa libertas et potestas exercendi ministerii nostri cuius nomen abutuntur et qua Nos potiri impudenter iactitant: libertas scilicet videndi demolitionem in

dies deteriorem ordinis et constitutionis ecclesiasticarum rerum, videndi exitium animarum, quin operam nostram ad tot damna opportune reparanda impendere et navare possimus. His ita se habentibus nonne nova amarulentia irrisio et ludibrium existimandum est illud quod saepe dicitur, nempe debere Nos conciliationis et concordiae consilia cum novis dominatoribus inire, cum haec conciliationis ratio non aliud ex parte nostra esset, nisi omnino prodere non modo summa Sanctae huius Sedis iura, quae tamquam sacrum et inviolabile depositum ad hanc supremam cathedram evecti custodienda ac tuenda recepimus, sed etiam et praecipue prodere divinum ministerium Nobis pro salute animarum commisum, tradere haereditatem Christi in manus auctoritatis huiusmodi, cuius opera ad ipsum catholicae religionis nomen, si fieri posset, delendum, diriguntur? Nunc profecto terrarum orbi claro in lumine omnique ex parte conspicienda praebetur vis vigor fides earum concessionum, quibus ad fidelium illusionem hostes nostri libertatem et dignitatem Romani Pontificis tueri se velle ostentarunt, quae fundamentum suum positum habent in arbitrio ac hostili voluntate reipublicae moderatorum, quorum in potestate est iuxta sua consilia et rationes, ac pro lubito eas altare, servare, interpretari, atque executioni mandare. Haudquaquam certe, haudquaquam Romanus Pontifex est aut erit unquam plenae libertatis compos, ac suae plenae potestatis, donec aliis in urbe sua dominantibus subiiciatur. Alia eius sors Romae esse non potest nisi aut supremi Principis aut captivi: nec unquam catholicae Ecclesiae universae pax securitas tranquillitas constare poterit, donec exercitium supremi apostolici ministerii obnoxium fuerit studiis partium, arbitrio dominantium, vicibus politicarum electionum, consiliis et operibus hominum callidorum ac utilitatem iustitiae praeferentium.

At in tantis malis queis laboramus et premimur ne putetis Venerabiles Fratres aut animum Nostrum fractum concidere, aut illam in Nobis fiduciam deficere qua Omnipotentis et Aeterni decreta expectamus. Nos quidem consilium cum inissemus post occupationem dictionis Nostrae Romae potius

manendi quam quaerendi alienis in terris tranquillum hospitium, idque ea mente ut penes Beati Petri sepulcrum pro re catholica vigiles excubias ageremus, numquam destitimus auxiliante Deo pro causa Eius tuenda certare, et quotidie certamus nullibi loco cedentes hosti nisi vi depulsi, ut perpauca illa quae adhuc reliqua sunt ab impetu diripientium et pervertere omnia conantium vindicemus. Ubi autem caetera Nos defecerunt praesidia quibus Ecclesiae et religionis rationes tueremur, Nos nostrae vocis et nostrarum expostulationum officio usi sumus; cuius rei testes estis ipsi quibus communia pericula communis Nobiscum dolor fuit: saepe namque verba excepistis publice a Nobis prolata sive ut nova facinora reprobaremus et contra invalescentem hostium violentiam protestaremur, sive ut aptis monitis fideles instrueremus ne insidiis improborum et simulatae religionis specie, neu noxiis falsorum fratrum doctrinis deciperentur. Utinam vocibus Nostris tandem admoveant aures animumque adiiciant illi quorum ad officium pertinet et maxime interest, auctoritatem Nostram sustentare, et causam qua nulla iustior et sanctior, viriliter tueri! Nam qui fieri potest ut illorum prudentiam fugiat, frustra solidam ac veram prosperitatem in nationibus, tranquillitatem ac ordinem in populis, stabilitatem potestatis in iis qui sceptra tenens expectari, si Ecclesiae auctoritas quae societates omnes recte constitutas vinculo religionis continet, impune contemnatur et violetur, eiusque Caput supremum in suo ministerio obeundo plena libertate uti nequeat, et potestatis alterius sit obnoxius arbitrio?

Illud sane feliciter accidisse laetamur, ut voces Nostrae ab universo catholico Populo filiali pietate Nobis obstricto, libentissime magnoque cum fructu exceptae fuerint; talia enim sunt quae ab ipsis accepimus dilectionis assidua et iterata testimonia, ut et ipsis et Ecclesiae summam gloriam conferant, et bene sperare Nos iubeant laetiores dies eidem Ecclesiae et huic Apostolicae Sedi orituros. Ac profecto vix verbis aequare possumus iucunditatem solatii quod percepimus validis licet auxiliis undique destituti, intuentes egregios animorum

motus et generosa studia quae sponte excitata latius in dies propagantur inter gentes etiam remotissimas, ut Romani Pontificatus et humilitatis Nostrae causam suscipiant, dignitatem tueantur. Liberalia subsidia quae ex omni terrarum parte ad Nos perveniunt ut urgentibus necessitatibus Sanctae huius Sedis prospiciamus, et frequentia tot filiorum nostrorum qui ad has Vaticanas aedes ex omni gente confluunt ut visibili Ecclesiae capiti devotam voluntatem suam testentur, eiusmodi pignora animorum fidelium sunt, pro quibus pares agere gratias divinae bonitati omnino nequeamus. Vellemus tamen ab omnibus intelligi, quod salutaris documenti loco esset, intimam vim et significationem veram peregrinationum istarum, quas hoc tempore crebro iterari videmus, quo Romanus Pontificatus teterrimum bellum experitur. Scilicet illae non eo valent tantum ut amorem et observantiam fidelium prodant erga humilitatem Nostram, sed manifestum praebent indicium sollicitudinis et anxietatum quae eorum corda perturbant, quod communis Parens in abnormi prorsus ac incongrua conditione versatur. Neque haec anxietas et sollicitudo conquiescet, imo augeatur oportet, donec in possessionem plenae et vere libertatis Pastor universae Ecclesiae restituatur.

Interea nihil magis optamus Venerabiles Fratres quam ut voces nostrae ex hoc parietum septo ad ultimos terrarum fines manent, ut totius orbis fidelibus pro illustribus quae continenter ipsi exhibent filialis dilectionis et obsequii argumentis, sensus gratissimi animi nostri testentur. Optamus enim iis gratias agere pro pia liberalitate, qua etiam interdum difficultatis rerum suarum obliti Nobis opitulantur, agnoscentes Deo offerri quidquid Ecclesiae tribuitur, gratulari pro magnanimitate et virtute, qua impiorum iras et irrisiones despiciunt, Nosque iis devinctos profiteri pro alacritate qua significationes sui amoris Nobis offerre student ad celebrandam anniversariam diei illius memoriam, quo ante quinquaginta annos Episcopalis consecrationis munus, licet indigni suscepimus. Nec minus Nobis in votis est, ut omnes etiam Ecclesiarum quae late per orbem diffusae sunt Pastores, voces

has Nostras excipientes ex iis incitamentum sumant, ut significent fidelibus suis pericula, oppugnationes et incommoda quotidie graviora, quibus premimur, eosque simul certiores faciant, Nos quidem nunquam destituros quicumque rerum exitus futurus sit, ab improbandis iniquitatibus quae coram Nobis patrantur; verum fieri posse aliquando cum propter leges nuper rogatas, tum propter alias quae praenunciantur etiam saeviores, ut vox Nostra usque ad eos nonnisi rarius, et aegre admodum per interpositas difficultates possit afferri. In his tamen rerum adiunctis Pastores ipsos excitamus, ut greges suos praemoneant, ne fallacibus capiantur artibus queis homines fraudulenti veram rerum conditionem in qua positi sumus verbis invertere et deformare nituntur, sive celantes acerbitatem eius, sive libertatem Nostram extollentes, et potestatem nostram nemini obnoxiam esse affirmantes, dum vere rem totam sic paucis complecti possumus: scilicet Ecclesiam Dei in Italia vim et persecutionem pati: Christi Vicarium neque libertate, neque expedito plenoque usu suae potestatis frui.

www.libtool.com.cn

Cum res hoc loco sint, nihil opportunius ducimus, nihil cupimus impensius, quam ut iidem omnes Sacrorum Antistites qui miram concordiam in tuendis Ecclesiae iuribus et egregiam in Apostolicam Sedem voluntatem suam multiplici indicio Nobis constanter probarunt, fideles quibus praesunt excitent, ut ea ratione ac ope quam iura sinunt cuiusque regionis, sedulo agant apud eos qui summam rei publicae tenent, quo accuratius gravis conditio perpendatur in qua Caput catholicae Ecclesiae degit, atque efficacia adhibeantur consilia obstaculis amoliendis, quae veram ac plenam *independentiam* eius impediunt. Quoniam autem Dei omnipotentis est mentibus lumen immittere et flectere hominum corda, non solum Vos rogamus Venerabiles Fratres ut fervidis apud Eum precibus hoc maxime tempore utamini, sed et ipsos catholicorum omnium populorum Pastores vehementer hortamur, ut fideles sibi concreditos in sacra templa convenire curent, ubi pro Ecclesiae matris salute, pro inimicorum nostrorum conversione, et fine

malorum tam gravium lateque patentium humiles preces ex intimo animo effundant. Excipiet ut firmiter confidimus, orationem populi ad se clamantis Deus, cui beneplacitum est super timentes Eum, et in eis qui sperant super misericordia Eius.

Caeterum Venerabiles Fratres confortemur in Domino et in potentia virtutis Eius, atque induti armaturam Dei, loricam iustitiae et scutum fidei, praeliemur strenue ac fortiter adversus potestatem tenebrarum, et nequitiam huius saeculi. Iam certe studium omnia miscendi perturbandique eo devenit, ut torrentis instar omnia se in praeceps tracturum minitetur, nec pauci ex iis qui novarum rerum auctores aut fautores extiterunt respectant conterriti, operis ipsi sui formidantes effectus. At Deus Nobiscum est eritque usque ad consummationem saeculi Timendum est iis de quibus scriptum est « Vidi eos qui operantur iniquitatem et seminant dolores et metunt eos flante Deo periisse, et spiritu irae Eius esse consumptos. » At Deum timentibus et certantibus in nomine Ipsius ac in Eius potentia sperantibus misericordia et praesidium reservatum est, neque dubitandum quin cum Eius sit causa, Eius sit pugna, Ipse certantes adiuvet ad victoriam.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

Die 12 Martii 1877

Sanctissimus D. N. ut Ecclesiae necessitatibus prospiceret hac mane in Palatio Apostolico Vaticano, praemissa Allocutione supra relata, dignatus est creare atque publicare Cardinales S. Romanae Ecclesiae:

Ex ordine Presbyterorum

R. P. D. Franciscum di Paola Benavides y Navarrete Patriarcham Indiarum Occidentalium, progenitum in Baza Archidioecesis Granatae, 14 Maii 1870.

R. P. D. Franciscum Xaverium Apuzzo Archiepiscopum Capuae, progenitum Neapoli die 9 Aprilis 1807.

R. P. D. Emmanuelem Garcia Gil ex Ordine Praedicatorum, Archiepiscopum Caesaraugustae, progenitum in S. Salvatore e Camba, Dioecesis Luci Augusti die 14 Martii 1802.

R. P. D. Eduardum Howard Archiepiscopum Neocaesareae *in partibus infidelium* progenitum in Nottingham die 13 Februarii 1829.

R. P. D. Michaelem Paya y Rico Archiepiscopum Compostelae, natum in Beneia Archidioecesis Valentiae die 20 Decembris 1811.

R. P. D. Ludovicum, Mariam, Ioseph, Eusebium Caverot, Archiepiscopum Lugduni progenitum in Ioinville Dioecesis Lingonarum die 26 Maii 1806.

R. P. D. Aloisium e Canossa Episcopum Veronae, progenitum Veronae die 21 Aprilis 1809.

R. P. D. Aloisium Serafini Episcopum Viterbii et Tusciae progenitum Manliae Sabinae die 7 Iunii 1808.

Ex ordine Diaconorum

R. P. D. Laurentium Nina Assessorem S. R. et Universalis Inquisitionis.

R. P. D. Aeneam Sbarretti Secretarium S. Congregationis E. et Regularium.

R. P. D. Fridericum de Falloux du Coudray Regentem Cancellariae Apostolicae.

Deinde eadem Sanctitas Sua dignata est seguentes proponere Ecclesias:

Cathedrales Ecclesias Ostien. et Veliternen. invicem perpetuo canonice unitas vacan. per obitum clar. me. Constantini dum viveret S. R. E. Cardinalis Patrizi postremi illarum Episcopi apud romanam curiam defuncti; quas optare intendit Emus ac Rmus Dominus Aloisius ipsius S. R. E. Cardinalis Amat e Sancto Philippo et Sorso S. Collegii Decanus, hucusque Portuensis ac S. Rufinae Episcopus, iisdem tamen dimissis Ecclesiis.

Ostia Tiberina urbs olim celeberrima ad maris mediterranei litus, ob aeris inclementiam paucis hodiedum conflatur domibus, paucisque inhabitatur civibus, qui tempore aestivo proximam petunt Romam; Civitas vero Veliterna intra Latii fines ad clivum Artemisii montis aedificata, trium circiter milliarium est ambitus, octingentas fere continet domos, eamque quindecim mille plus minusve incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia Ostiensis S. Aureae Virgini et Martyri dicata antiquam praefert structuram nuper instauratam; Veliterna vero, Basilicae titulo cohonestata, S. Clementis Papae et Martyris et Cathedralis Patroni invocatione gaudet; atque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Ostiae Canonicorum collegio destitutae Archipresbyter tantum praesto est et Capellanus. Veliternense autem Capitulum Archipresbyteratus solam recenset dignitatem, tredecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sexdecim Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Archipresbyterum, cui Ostiae Capellanus, et in Basilica Veliternensi duo Sacerdotes auxiliantur, animarum cura ipsis exercetur in Cathedralibus.

Unica tantum extat Ostiae laicorum sodalitas, et hospitale; Veliternensi vero in urbe quinque praeterea recensentur paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, sex pro viris, ac duo pro mulieribus monasteria, pia puerorum domus pro scholis christianis, pro puellis orphanotrophium, et conservato-

rium, nonnulla laicorum sodalitia, bina hospitalia, mons pietatis atque seminarium.

CATHEDRALES ECCLESIAS PORTUEN. ET S. RUFINAE invicem perpetuo canonice unitas vacan. per translationem vigore optionis Emi ac Rmi Domini Aloisii S. R. E. Cardinalis Amat e Sancto Philippo et Sorso S. Collegii Decani ad Sedes Cathedrales Ostien. et Veliternen. invicem pariter perpetuo canonice unitas, quas Ecclesias Portuen. et S. Rufinae optare intendit Emus ac Rmus Dominus Camillus praefatae S. R. E. Cardinalis de Petro hactenus Episcopus Albanensis, ipsa tamen Ecclesia dimissa.

Sextodecimo ab Urbe lapide haud procul ab Ostia ad Tiberis dexteram Portuensis civitas aedificata, ob aeris inclementiam paucos enumerat incolas. S. Rufinae autem nihil praeter titulum superest.

Cathedrali Ecclesia S. Luciae Virginis et Martyris titulo gloriatur, atque Sanctae Sedi Apostolicae est immediate subiecta.

Nec dignitates, neque Canonici sunt ulli, sed RR. Patres S. Francisci strictioris observantiae, quibus contigua domus adsignata est, animarum curam ipsamet exercent in Cathedrali.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBANEN. vacan. per translationem vigore optionis Emi ac Rmi Domini Camilli S. R. E. Cardinalis de Petro ad Sedes Cathedrales Portuen. et S. Rufinae invicem perpetuo canonice unitas; quam Ecclesiam Albanen. optare intendit Emus ac Rmus Dominus Carolus Aloisius tituli S. Onuphrii praefatae S. R. E. Presbyter Cardinalis Morichini hactenus Archiepiscopus Bononiensis, ipsis tamen dimissis Titulo et Ecclesia Bononiensi.

Quartodecimo ab Urbe lapide intra Latii fines Albani civitas partim in planitie, partim in colle aedificata duorum fere milliarium est ambitus, octingentas circiter domos, et septem mille complectitur incolas.

Cathedralis Ecclesia maiori nunc amplitudine et ornatiori structura praestans S. Pancratii Martyris titulo gloriatur, et Sanctae Sedi Apostolicae est immediate subiecta.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archipresbyteratus, altera Archidiaconatus, cui praebenda inhaeret theologalis, undecim Canonicos, quos inter poenitentiarius, sex insuper Beneficiatos vel Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Archipresbyterum ab aliis Sacerdotibus adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia praeterea reperitur Albanensi in urbe paroecialis, aut collegiata Ecclesia, sed quatuor virorum, ac duo mulierum monasteria, conservatorium pro puellis instituendis, quatuor laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad viginti quatuor milliaria plus minus extenditur, et decem sub se complectitur loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM BONONIEN. vacan. per translationem vigore optionis Emi ac Rmi Domini Caroli Aloisii S. R. E. Cardinalis Morichini ad Sedem Albanensem;

Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Lucidum Mariam Parocchi, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Octobris anni 1871 Papiensi Ecclesiae praefectus fuit.

Bononia inter praecipuas Italiae civitates adnumerata, prope Rhenum amnem sita conspicitur, quinque circiter milliarium est ambitus, quatuordecim mille continet domos, eamque ultra nonaginta incolunt civium millia.

Metropolitana Ecclesia, praeclari et satis ampli aedificii, S. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, eique Imolensis ac Faventinus suffragantur Episcopi.

Ejus Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, duodecim cum utraque praebenda Canonicos, nonnullos Mansionarios et Capellanos – Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis cura animarum, eaque per Canonicum Sacristam, Parochum nuncupatum, ab eodem Capitulo electum, atque ab Archiepiscopo adprobatum, exercetur ipsamet in Metropolitana.

Viginti quatuor insuper recensentur Bononiae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte destitutae, Collegiata-Basilica sub invocatione S. Petronii civitatis Patroni, plura tam pro viris, quam pro mulieribus monasteria, nonnullae laicorum sodalitates, quatuor hospitalia, quaedam alia loca pia, mons pietatis, atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus ad ultra biscenta milliaria protenditur, et plura sub se complectitur loca.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM EPHESIN. in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Alexandri Asinari a Sancto Martiano ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Franciscum ex Comitibus Folicaldi, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Ianuario praeteriti anni Amatensi Ecclesiae praefectus fuit.

Ephesus clarissima Asiae minoris urbs in Ionia ad oram litoralem maris Aegaei, adhuc ab infidelibus miserrime detinetur, quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

METROPOLITANAM ECCLESIAM SURRENTIN. vacan. per obitum bo. me. Martini Ricciardi ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam R. D. Leo-

poldum Ruggiero ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitum et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis exercendis functionibus, signanter in utriusque sexus confessionibus excipiendis, navam impendit operam. In archiepiscopali lyceo iuris naturae ac gentium plures per annos Cathedraticus effectus, ac pro censura librorum illa in archidioecesi edendorum Deputatus constitutus est. Deputati quoque munere pro seminarii disciplina ac pro studiis eiusdem Lycei perfunctus est. Inter Examinatores pro-synodales et Cleri adscitus, ac illa in metropolitana Canonicus hucusque renunciatus, exhibuit doctrinae, gravitatis, prudentiae, morum honestatis, rerumque usu praestantiae specimina.

Surrentum civitas districtus Castrimaris in agro Neapolitano plano in loco aedificata, in suo duplicis fere milliarii ambitu una cum suburbiis ultra septem mille continet incolas.

Metropolitana Ecclesia SS. Apostolorum Philippi et Jacobi titulo gloriatur, bonum praefert aedificium recens instauratum, eique unus dumtaxat suffragatur Episcopus.

Quinque dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus constituunt eius Capitulum, quod tredecim insuper enumerat cum theologo ac poenitentiario Canonicos, septem Hebdomadarios Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis cura animarum, quae per quartam Decani dignitatem exercetur ipsamet in Metropolitana.

Nulla alia praeter Metropolitanam reperitur Surrentina in urbe Curionalis aut Collegiata Ecclesia, sed tria virorum, et duo mulierum monasteria, conservatorium, octo laicorum sodalitates, hospitale, ac seminarium metropolitanae adnexum; mons autem pietatis desideratur.

Ampla est Archidioecesis, ac plures sub se complectitur civitates et oppida.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM CALCEDONEN. in partibus infidelium vacan. per assignationem Tituli Presbyteralis S. Petri ad Vincula factam Emo ac Rmo Domino Ioanni S.R.E. Cardinali Simeoni: Sanctissimus enexit ad eamdem Ecclesiam R. P. Fr. Vincentium Leonem Sallua ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco Garexii Pontis dioeceseos Montis Regalis in Pedemonte progenitum et in sexagesimo secundo aetatis suae anno constitutum. Inter sodales Ordinis Praedicatorum S Dominici ab adolescentia cooptatus, ibique solemnia vota nuncupatus, ac tum presbyteratus ordine, tum doctoratus ac magisterii laurea sive in philosophia, sive in sacra theologia dudum do-

natus, in ecclesiasticis peragendis functionibus naviter emicuit. Novitiorum Magister adiectus, et in suo Ordine Lectoris munere in philosophicis, atque theologicis disciplinis perfunctus, pro Imolensi dioecesi Examinator pro-synodali effectus est. Romae inter socios academicos Conlegii Theologici, ac inter Sacrorum Rituum Congregationis Consultores adscitus, Commissarius hucusque sacrae romanae ac universalis Inquisitionis . renunciatus est.

Calcedonia, Calcedon et Chalcedonia antiqua urbs Bityniae in ora ex adverso Byzantii, Bosphoro intercedente, constructa, infidelium adhuc potestate subest; quocirca miserrimus eius status non est referendus.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CURIEN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Nicolao Francisco Florentini ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam ab EADEMQUE admissam: Sanctissimus confirmavit in Episcopum et ad relatam Ecclesiam transtulit R. P. D. Gasparem Willi, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Decembris 1868 Antipatrensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, licet ad Ecclesiam sibi creditam, utpote ab infidelibus detentam, accedere nequiverit, tamen qua Curiensis Antistitis Auxiliaris diocesanam de adiuti Episcopi licentia visitationem peregit, pontificalia solemniter celebravit, sacras obivit ordinationes, confirmationis contulit sacramentum, caeteraque pastoralia munia laudabiliter exegit.

Pervetusta Curiensis civitas princeps pagi Rhaetorum in Helvetica confoederatione intra montes et supra Rheni ripam aedificata ab ultra sex millibus inhabitatur incolis.

Cathedralis Ecclesia, perantiqua structura, et stylo bysantino-gothico spectabilis, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, nullius reparationis eget, atque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum viginti quatuor recenset Canonicos, quorum sex residentiales et octodecim alii forenses dicuntur. Inter residentiales principem locum post pontificalem obtinet Praepositus, caeteri sunt Decanus, Poenitentiarius ac Scholasticus Theologus, qui cum aliis presbyteris et clericis divinis inserviunt.

Per duos Presbyteros animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia insuper reperitur Curiensi in urbe Paroecialis aut Collegiata Ecclesia, nullum monasterium, nec mons pietatis, sed tres laicorum sodalitates, unum pro catholicis hospitale, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac plures sub se complectitur pagos.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GAUDISIEN. vacan. per obitum bo. me. Antonii Grech Delicata Cassia Testaferrata ultimi illius Episcopi extra

romanam curiam defuncti: Sanctissimus evexit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Petrum Pace ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco *Rabato* nuncupato Gaudisiensis dioeceseos progenitum et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutum. Romae Presbyteratus ordinem assequutus, ibique tum in sacra theologia, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis naviter emicuit. Pro Gaudisiensi dioecesi Vicarii in spiritualibus Generalis munere olim perfunctus. Melitensi in seminario theologiae dogmaticae ac biblicarum institutionum, illaque in universitate hactenus theologiae moralis Professor adlectus, inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos ac Signaturae Referendarios adscitus est. Cathedralis Melitensis Canonicus, eiusque dioeceseos Examinator pro-synodalis ad praesens usque renunciatus est.

Gaulos vel Gaudisium, vulgo *Gozo*, civitas et caput insulae maris mediterranei ad occasum Melitae et prope ipsam, versus promontorium Mercurii, triginta sex circiter milliarium est ambitus, ubi arx in monte edito, cui amoenum adiacet suburbium, et plura complectitur incolarum millia.

Cathedralis Ecclesia satis ampla ac decenter ornata, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, nullius eget reparationis, atque Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archipresbyteratus, unum supra viginti cum theologo ac poenitentiario Canonicos, decem Capellanos chorales, vel Mansionarios, ac plures alios Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quam idem Archipresbyter ipsamet administrat in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Gaudisii paroecialis Ecclesia, ac septem minores baptismali fonte munitae, triplex virorum monasterium, pro puellis conservatorium, pauperum hospitium, pro utroque sexu hospitale, aliquot laicorum sodalitates, lyceum, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus tres continet insulas, quae vulgari nuncupatione *Gozo*, *Comino* et *Cominotto* dicuntur, septem complectitur pagos vel parochias, tres cum totidem Ecclesiis filialibus districtus, ac ultra septemdecim inhabitantium millia.

(1) Sequenti fasciculo III dabimus reliquas Episcoporum nominationes; quae die praedicta locum habuerunt.

SSmi D. N. Breve concedens plenariam indulgentiam occasione sui quinquagesimi anni Episcopalis honoris.

www.libtool.com.cn

PIUS PP. IX.

Universis Christifidelibus praesentes Litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Quandoquidem Catholica Iuventutis Italicae Societas, praeter alia permulta eaque eximia pietatis officia, quae cum plerisque in commune conspirantibus Christifidelibus catholici nominis Parenti Publico continenter praestat, summi sui erga Nos studii testandi gratiaeque Deo habendae causa quod Eius providentia et numine, quamvis adversa rerum vice graviter conflictamur, ad hoc aetatis animo et corpore valentes provehimur, censuit quinquagesimum Episcopalis Honoris Nostri annum, si Deus dederit, die III mensis Iunii venturi solemniter celebrare, atque in votis habet ut id populo christiano bene et feliciter eveniat; Nos ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, piis praedictae Societatis precibus obsecundare volentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli App. eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui, hoc anno die III Iunii, qualibet in Ecclesia aut Oratorio sacrosancto Missae Sacrificio adstantes vere poenitentes et confess. ac S. Communione refecti pro peccatorum conversione, catholicae Fidei propagatione et Romanae Ecclesiae pace atque triumpho pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Chri-

stifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus.

www.libtool.com.cn

Volumus autem, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Februarii MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno trigesimo primo.

PRO D. CARD. ASQUINIO

D. IACOBINI Subst.

L. ✠ S.

SACRA CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Quod a priscis Ecclesiae temporibus semper fuit in more, ut christifidelibus certa proponeretur ac determinata formula, qua fidem profiterentur, atque invalescentes cuiusque aetatis haereses solemniter detestarentur, idipsum, sacrosancta Tridentina Synodo feliciter absoluta, sapienter praestitit Summus Pontifex Pius IV, qui Tridentinorum Patrum decreta incunctanter exequi properans, edita Idibus Novembris 1564 Constitutione *Iniunctum Nobis*, formam concinnavit professionis fidei recitandam ab iis, qui cathedralibus et superioribus Ecclesiis praeficiendi forent, quive illarum dignitates, canonicatus, aliaque beneficia ecclesiastica quaecumque curam animarum habentia essent consecuturi, et ab omnibus aliis, ad quos ex decretis ipsius Concilii spectat: nec non ab iis quos de monasteriis, conventibus, domibus, et aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militarium, quocumque nomine vel titulo provideri contingeret. Quod et alia Constitutione edita eodem die anno incipien. *In sacrosancta* salubriter praeterea extendit ad omnes doctores, magistros, regentes, vel alios cuiuscumque artis et facultatis professores, sive clericos sive laicos, vel cuiusvis ordinis regularis, quibuslibet in locis publice vel privatim quoquomodo profitentes, seu lectiones aliquas habentes, vel exercentes, ac tandem ad ipsos huiusmodi gradibus decorandos.

Iam vero, cum postmodum coadunatum fuerit sacrosanctum Concilium Vaticanum, et ante eius suspensionem per Literas Apostolicas *Postquam Dei munere* diei 20 Octobris 1870 indictam, binae ab eodem solemniter promulgatae sint dogmaticae Constitutiones, prima scilicet de Fide Catholica,

quae incipit *Dei Filius*, et altera de Ecclesia Christi, quae incipit *Pastor Aeternus*, non solum opportunum, sed etiam necessarium est, ut in fidei professione dogmaticis quoque praememorati Vaticani Concilii definitionibus, prout corde, ita et ore publica solemnisque fieri deberet adhaesio. Quapropter SSmus Dom. Noster Pius Papa IX, exquisito ea desuper re voto specialis Congregationis Emorum S. R. E. Patrum Cardinalium, statuit, praecepit, ac mandavit, ceu per praesens decretum praecipit ac mandat, ut in praecitata Piana formula professionis fidei, post verba « *praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo* » dicatur « *et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio,* » utque in posterum fidei professio ab omnibus, qui eam emittere tenentur, sic et non aliter emittatur, sub comminationibus ac poenis a Concilio Tridentino et a supradictis Constitutionibus S. M. Pii IV statutis. Id igitur ubique, et ab omnibus, ad quos spectat, diligenter ac fideliter observetur, non obstantibus etc.

Datum Romae e Secretaria S. Congregationis Concilii die 20 Ianuari 1877.

P. Card. CATERINI Praefectus.

I. Archiepiscopus Ancyranus *Secretarius*.

Professio orlodoxae Fidei iuxta formam a Summis Pontificibus Pio IV et Pio IX Praescriptam.

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta et Romana Ecclesia utitur, videlicet: credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum filium Dei Uni-

genitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui loquutus est per prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Sripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae legis a Iesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium illaque gratiam conferre; et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et adprobatos Ecclesiae catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto. Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri et Deo verum, proprium et propitia-

torium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter corpus et sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre atque eorum reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac iuro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis Primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas et reiectas et anathematizatas ego pariter damno, reiicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et immaculatam usque ad extremum vitae spiritum, constantissime, Deo adiuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri et doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei evangelia.

DISTRIBUTIONUM ET ONERUM

www.libtool.com.cn

Die 8. Iulii 1876.

COMPENDIUM FACTI. Capitulum Ecclesiae Cathedralis M. in regionibus Neapolitano Regno olim subiectis, in supremum squalorem inciderat: atque ad id extremitatis pervenerat, ut plerisque ex Canonicis vel mortuis vel ob senectutem aegrotantibus, Pontificales functiones peragi amplius nequirent, divina psalmodia sacrarumque caeremoniarum decus in dies relaxaretur. Abscissa erat insuper omnis spes vacantia beneficia conferendi, quae sunt omnia iuris patronatus regii vinculis devincta.

Talibus pressus angustiis Episcopus, malis occurrere satagit ad Honorariorum Canonicorum erectionem deveniens annuente Capitulo. Canonicos ergo honorarios erexit, eisque onus imposuit ut choro adessent et Ecclesiae servitium explerent.

Hisce ex canonicatibus annuae tantum libellae 20 propter adventitias functiones percipi poterant: quare Sacerdotes ab Episcopo electi, ultro honori nuncium mittebant.

Unus oblatum titulum accepto habuit Antonius, Sacerdos participans Ecclesiae Receptitiae in Oppido G. duodecim milliaria civitati M propinquo. Huic Archidiaconus committebat ut suae hebdomadae onera impleret, annuis solutis libellis 200. Capellanus etiam renuntiatus est Sodalitii sub invocatione SS. Sacramenti, annuas ex hoc munere libellas 85 percipiens. Sed haec imparia nimis erant ad vitam congrue ducendam. Quapropter Antonio indulsit Episcopus ut interdum a Choro abscederet, et instar veri Canonici Conciliares vacationes haberet.

Quo tempore abscedendi facultate sibi concessa utens Antonius in patriam revertebatur ibique degebat, iterum seso

Receptitiae Ecclesiae mancipabat, functionibusque intererat tam certis quam adventitiis, distributiones percipiens.

Quaestio orta est an Antonio ius competeret lucrandi emolumenta certa et adventitia Ecclesiae receptitiae: eique de bono et aequo rem definiens favit Episcopus, decernens: ipsum iure pollere acquirendi emolumenta tam certa quam adventitia, iuxta Statuta Ecclesiarum Receptitiarum.

www.libtool.com.cn

Haec controversiae definitio non arrisit quibusdam ex Participantibus, qui ad S. Concilii Congregationem confugerunt ut tria dubia dirimere dignaretur.

I. *An Canonicus Honorarius quoties praesens est in Ecclesia Receptitia, toties distributiones tam certas quam incertas lucretur?*

Et quatenus affirmative.

II. *An ei onus sit providendi Missas turnatim celebrandas, functionum tam certarum quam adventitiarum causa?*

III. *An, hoc onere reiecto, ius sit ad redditus perceptionem?*

Disceptatio synoptica.

PARTICIPANTIUM ARGUMENTA QUOAD PRIMUM DUBIUM. Non universalibus Iuris Ecclesiastici regulis, sed peculiaribus legibus Clerum Neapolitani Regni obligantibus pugnabant contra Antonium Participantes: eique opponebant I. decisionem Episcoporum Regni Neapolitani ope Ministerialis Decreti latam sub die 28 Martii 1840. II. Sententiam Cleri habitam anno 1790, III. consuetudinem. Aiebant in decisione Episcoporum haec legi « Cum Episcopus Dioecesanus cuidam ex Participantibus » permittere vult ut e Dioecesi discedat in alia Ecclesiae bo- » num facturus, id potest quia non agitur de vero Ecclesia- » stico Beneficio: sed Participans amittet distributiones quo- » tidianas, inter praesentes, ac adventitias, Missis satisfacere, » et pro Missis turnatim celebrandis providere debebit. » Ex his prono alveo fluere aiebant, Antonium etsi aliqua vice divinis officiis praesentem, omni penitus iure emolumenta percipiendi destitui.

His accedere Cleri sententiam sub die 10 Iunii 1790 emissam, qua retentum est: Sacerdotem absentem ac alteri Ecclesiae non filiali mancipatum et sufficienti pensione provisum, quandoque si redeat et Choro adsit, non posse accidentalibus ac adventitiis reditibus frui, ne fraus admitteretur quae frequenter accidere posset in pinguioribus funeribus; ac ne stimulus daretur saepe a propria Ecclesia discedendi.

www.libtool.com.cn

Huic sententiae firmiter esse adhaerendum quia eam firmavit consuetudo. Etenim haud semel distributiones fuisse denegatas participantibus Presbyteris, qui in iisdem Antonii circumstantiis versabantur.

QUOAD SECUNDUM DUBIUM contra Antonium afferebatur notissimum iuris aforisma, quod qui commodum persentit et onus subire tenetur *Reg. 55 de Reg. Iuris in 6* ad arguendum quod si Antonius distributionum utilitatem consequitur et ipsum ferre debere onus Missarum quae turnatim celebrantur.

QUOAD TERTIUM DUBIUM Reddituum perceptionem Antonio denegandam suadere caput *cum non deceat de elect. in 6*. Hoc enim in capite Bonifacium VIII statuere ut Ecclesiastici *fructus suorum beneficiorum quae obtinent in iis Ecclesiis quorum negotia prosequuntur... recipiant*. Sed, teste Episcopo Antonium Cathedralis non Receptitiae Ecclesiae utilitatem prosequi. Praeterea beneficium propter officium dari. Hinc si Beneficiarius absit et suo munere non fungatur fructus amittere.

ANTONII RESPONSIO QUOAD PRIMUM DUBIUM. In iure ea fuit distributionum origo (pro Antonio dictum est) ut Choro addicti, hisce illecebris allecti, frequentius ad illam convolarent. Ivonis Carnotensis viri antiquissimi et eruditissimi Epistola 75 haec habet « Cum in quampluribus Canonicorum Car-
» notensium desuevisset disciplinae regularis observantia ut
» de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles, de
» tardis assuetos ad frequentandas horas Canonicas, deliberavi
» apud me ut darem eis dimidiam Praeposituram, ut inde fieret
» quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi, ut
» quod panis interni dulcedo non monebat, panis corporei refe-

» ctio provocaret: quamvis eorum annua praebenda eis ad hoc » sufficiens esse deberet.» Idem probatur ex *textu in Cap. de caetero de cleric. non resid. Cap. licet de praeb. Cap. Unic. de cler. non resid. in 6. Cap. fin.* § *si autem de concess. praebend. et Cap. fin.* § *adiicimus de sent. excom. eod. lib. Clem. ut ii qui de aetat. et qualit. et ord. praefic. Extrav. 10 et 11 de praebend. inter commun.* Porro ubi Antonius etsi praesens Choro distributiones esset amissurus, potiusquam allici ad chorale servitium, ab eodem arceri videretur.

www.libtool.com.cn

Insuper notum est in iure distributiones deberi solum praesentibus atque interessentibus divinis officiis. Decrevit namque Bonifacius VIII *in Cap. unic. de Cler. non Resid. in 6* « Statuimus ut distributiones ipsae quotidianae, in qui- » buscumque rebus consistant, Canonicis et aliis Beneficiatis » et Clericis ipsarum Ecclesiarum qui eisdem adfuerint tri- » buantur » Hoc decretum in usum revocavit Concilium Tridentinum *in Cap. 12 Sess. 24 de Reform.* firmavitque praxis Sacrae Congregationis Concilii.

Praeterea S. Rota in decisionibus quampluribus, et praecipue *in decis. 483 num. 1 decis. 689 num. 7 part. 3 Recent.* aliisque, tenuit distributiones Clericis deberi ratione servitii personalis, non respectu tituli, nec dari tamquam Canonico, sed tamquam divinis inservienti. Canonistae autem omnes docent, ratione laboris et operis impensi in Ecclesia Christi Clericis distributiones esse persolvendas. *Piton. Discept. Eccles. 1 num. 35 Benedict. XIV Inst. 107 num. 58 Gonzal. Comment. ad Reg. 8 Cancell.* § *7 prooem. Num. 162 et 165* Cum itaque Antonius servitium Choro praestiterit, necessario consequitur eius favore distributiones cedere.

Notatum est etiam distributiones inventas et inductas fuisse ut cultus divinus in Ecclesiis augeatur *ex Pii IV* verbis qui *in constit. 55 in pr.* praemonebat *volentes igitur quantum in nobis est divino cultui consulere Conc. Trid. in Sess. 21 Cap. 3 de reform.* cum distributiones quotidianas in tertia parte fructuum constitueret haec monebat

« *Cum beneficia ad divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur statuit S. Synodus* etc. Hinc maximo favore eos esse prosequendos, qui divino cultui reapse inserviunt.

www.libtool.com.cn

Contra haec nihil facit Episcoporum resolutio ex adverso opposita, quae immo Antonio favet: quia ad eiusdem resolutionis tramites Antonius habetur qua vere Participans Ecclesiae Receptitiae G et legitime absens; dummodo Missis satisfaciat quae Massam Cleri afficiunt, et dummodo provideat ut Missae turnatim ab eo celebrandae suppleantur.

Multo minus in themate facit Cleri resolutio: quia misso eamdem nullo in pretio haberi posse eo quod pluribus defectibus laboret, eiusdem causa finalis fuit ut fraudi via praecluderetur. In casu fraudem nullam esse timendam cum civitas M ab oppido G duodecim passuum millibus distet.

Vanum tandem est obiectum ex consuetudine depromptum: quia huiusmodi consuetudo Tridentini menti adversatur. Sane ea fuit S. Synodi mens in distributionibus instituendis ut Capitulares ad excubias Domini alacriores redderet: consuetudo vero per quam praesentibus distributiones negari vellent, Tridentini sanctiones destrueret. Ideo non est attendenda *Rota cor. Ottobono Decis. 4 num. 36 S. Congr. Conc in Senogallien. Procurat. 14 Decembris 1765* § *Communitatis.*

Praeterea nullum affertur documentum quod assertam consuetudinem sustineat: ideoque hoc etiam ex capite reiicienda est *Cap. final. de consuet. in 6: leg. quod non ratione ff. de legib. Gratian. Discept. forens. Cap. 79 Num. 10.*

QUOAD SECUNDUM DUBIUM contendebatur: ad alium subrogandum nequaquam obstringi Antonium ad providendum Missas turnatim celebrandas functionum tam certarum quam adventitiarum causa. Oportere enim ut praesentes in Choro absentium defectum suppleant in iis quae ad Chorale servitium pertinent. *Garcias de Benef. part. 3 cap. 2 num. 197. Fagnan. in Cap. Nulla de concess. praebend. num. 73* S. C. C. *in Nullius Farfen. Distributionum Quotidianarum 20 De-*

cembris 1758 ad tertium dubium: in Reatina 22 Martii 1766 § *Denique et in. Forolivien. 27 Maii 1826.* Et merito. Nam qui legitime abest si ad praefata onera adimplenda teneretur, iam duplici multaretur poena, nimirum amissionis distributionis, atque oneris alium in sui locum subrogandi. atque ita integrae praebendae fructus non lucraretur contra Sacrorum Canonum decreta.

www.libtool.com.cn

Quoad tertium dubium. Ius Antonii ad fructus lucrandos sarctum tectumque esse debere ex eo ostendebatur quod ipse in albo Clericorum inservientium Ecclesiae Receptitiae adscriptus etiam nunc maneat. Ei ergo ius competit ad fructus percipiendos ad vitam ducendam: cum Dominus dixerit ad Aaron *Omnia quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi et filiis tuis pro officio Sacerdotali. Et Paulus in 1. ad Corinth. 9* aperte praedicaverit *nescitis, quod qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt edunt? et qui Altari deserviunt, cum Altari participant, ita et Dominus ordinavit qui Evangelium annunciant de Evangelio vivere ipsoque Christo de operario Evangelico dicente Luc. 10 dignus est enim operarius mercede sua.*

Animadvertebatur etiam, Antonium integrae Ecclesiae M. servire cum in Cathedrali Ecclesia operam suam praestaret: nec operam quamlibet sed plenam, et talem ut in omnibus Cleri et populi necessitatibus praesto sit, ceu in Episcopi informatione relatum est. Nec facere quod beneficium detur propter officium. Non esse enim totam causam ob quam beneficium confertur ut Clericus in sua Ecclesia commoretur: etenim aliae causae esse possunt nimirum ut ex bonis Ecclesiae vivat et non mendicet, (quod pro Clerici statu, et conditione maxime indecorum esset) ut preces horarias recitet, ut Missae sacrificium offerat vel sacerdoti offerenti in Altari inserviat, vel denique ut tamquam Clericus militet in Ecclesia Universali.

Ultima obiectio adversariorum refellebatur, hausta ex lucro quod Antonius nanciscitur cum penes Cathedralem Ecclesiam commoratur. Siquidem de eo testatur Episcopus, ipsum

tamquam Canonicum pure et simpliciter honorarium Ecclesiae Cathedrali inservire, et nihil omnino ex Canonicatu lucrari. Quae in *M.* lucra habet ex opere proprio Antonium nancisci.

www.libtool.com.cn

His hinc inde praemonitis Eminentissimis Patribus oblata sunt

Dubia

I. *An Canonicus Honorarius quoties praesens est in Ecclesia Receptitia toties distributiones tam certas quam incertas lucretur in casu.*

Et quatenus affirmative.

II. *An Antonio onus sit providendi Missas turnatim celebrandas, functionum tam certarum, quam adventitiarum causa in casu.*

III. *An hoc onere reiecto, ius sit ad redditus perceptionem in casu.*

Sacra Congregatio in comitiis diei 8 Iulii 1876 causa cognita dubia dirimenda censuit responso

Ad I. *Affirmative et amplius.*

Ad II. *Affirmative sive per se sive per alium, exceptis adventitiis, quando non est praesens et amplius.*

Ad III. *Provisum in praecedentibus.*

Ex his eruere poteris.

I. Distributiones ideo statutas fuisse, ut ad chori frequentiam capitulares allicerentur.

II. Cum ratio distributionis concedendae in frequentia ad chorale servitium consistat, eas deberi interessentibus ac praesentibus officiis divinis.

III. Ideo in iure receptum fuisse distributiones clericis deberi non respectu tituli, sed ratione habita servitii personalis, nimirum ratione operis et laboris impensi in Ecclesia Christi.

IV. Hinc eum etiam qui in una Ecclesia beneficium possidet, in alia vero Canonici Honorarii titulo insignitur, quo-

ties in prima chorali servitio adest, toties distributiones lucrifacere.

V. Nec distributiones tantum cum praesens est sed et fructus proprii beneficii dum quandoque abest suos facere beneficiarium: dummodo in animarum bonum et Ecclesiae universalis servitium operam praestet.

VI. Eum vero absentem teneri ad providendum pro Missis turnatim celebrandis functionum certarum caussa; attamen huiusmodi onus ad adventitia non ferri.

www.libtool.com.cn

CAPELLANIAE

Die 8 Iulii 1876 et 27 Ianuarii 1877.

Compendium Facti. Sacerdos Sanctes N. Dioecesis V. anno 1873. praevia Sedis Apostolicae approbatione, a regio Demanio Ecclesiam Divo Petro dicatam acquisivit; cui parvum Coenobium et ager uniebantur, Capuccinarum Religiosarum proprietas.

Idem Sacerdos hac in Ecclesia anno 1821 capellaniam perpetuam instituit, cum onere Capellano pro tempore sex Missas in singulis hebdomadis pro Capuccinarum, earumque benefactorum animabus celebrandi. Et parvum coenobium ad usum habitationis, agrum vero et alia 29 terrae frustula pro honesta sustentatione Capellano adsignavit.

In publicis tabulis ad rem exaratis adiici haec voluit: quoniam proprietas praedictae Ecclesiae reservata manere debet haeredibus et successoribus Institutoris, sic iidem onerantur debitâ restauratione.....Et insuper adiecit: cum debeant bona praedicta, una cum parvo Coenobio perpetuam constituere et intangibilem dotem Capellaniae, interdicitur omnino etiam minima dispositio sive distractio; quinimo in quocum-

que casu praeviso aut impraeviso, quo praedicta Capellania suspensa vel suppressa manere deberet sive per publicam dispositionem, aut per privatorum operam, agri adsignati et parvum Coenobium redeant in totam proprietatem haeredum et successorum institutoris.

Quod a testatore praevisum fuerat in Ecclesiae discrimen, contigit per legem diei 15 Augusti 1867. Proindeque Felix N. institutoris haeres et successor huiusmodi dispositione suffultus possessionem, proprietatemque bonorum omnium, gubernio italico frustra opponente, vi tribunalis laici sententiae. ad se avocavit, eaque ab omni obligationis vinculo libera atque immunia reputans, apud se retinuit, eorumque reditus, nihil de Missarum satifactione sollicitus, in sui suorumque favorem distraxit.

Interdum accidit ut quidam Sacerdos parvum Coenobium acquirere cuperet, optimo quidem, et laudabili consilio: verum timens ne id fieri posset Apostolicâ Sede inconsulta; annuente ipso haerede. S. C. Congregationem adivit: et petiit num sibi liceret Coenobium acquirere, quin ullo Missarum onere adstrictus teneretur. Statim Ordinarius requisitus fuit per S. C. C. ut copiam transmitteret tum legitimae Facultatis, qua Sacerdos N. anno 1813 bona enunciata acquisivit, tum. instrumenti acquisitionis; et quidquid ad rem faceret. Retulit Episcopus haud reperiri posse documentum quo Capellaniae institutor a Sede Apostolica facultatem obtinuerit huiusmodi bona acquirendi; verum praesumi posse ex institutoris qualitatibus, et ex eo quod clausola reportatae facultatis inserta fuerit in erectionis instrumento. Imo ex quibusdam tabulis ab haerede exhibitis apparére parvum Coenobium a R. Demanio haud acquisitum fuisse, sed potius spectasse ad peculiare institutoris patrimonium, quamvis ab anno 1786 partem fecisse constet Conventus ad Religiosos Capuccinos pertinentis. Addidit quoque Episcopus Capellaniam, de qua agitur quotidianam evasisse opera Ioannis Leopardi Marini, qui bona, praevio publico instrumento, adiecit, quae satis essent pro una Missa in singulis hebdomadis instituenda,

iisdem clausolis et reservationibus reversibilitatis appositis, quas fundator adhibuerat in Capellania instituenda. Quae bona omnia fecit sua Felix N. eâ ductus ratione quod ipse solus, per renunciationem Leopardi Marini, litem contra Italicum Gubernium instruxerit, solusque ingentes litis expensas passus fuisset. Attamen se paratum esse dixit bonorum quotam Leopardi Marini restituere, dummodo iste non renueret pro equis partibus expensas refundere.

www.historici.com.cn

Disceptatio synoptica.

EA QUAE HAEREDI FAVERE VIDENTUR Bona de quibus agitur ab omni onere soluta ad haeredem pertinere nemo negabit, dummodo respiciat ad institutoris voluntatem, sive ad iuris communis dispositionem. Voluntas institutoris ex verbis instrumenti elucet: in quocumque, ait, casu praeviso aut impraeviso, quo suspensa aut suppressa manere deberet Capellania tum per publicam dispositionem, tum per privatorum operam agri adsignati et parvum Coenobium redeant in plenam proprietatem haeredum et successorum dicti institutoris.

Neque institutoris timor vanus fuit, nam lex diei 15 Augusti 1867 a Gubernio Italico lata, omnia et singula entia moralia, inter quae Capellaniae adnumerantur, penitus suppressit atque dissolvit. Ergo bona huiusce Capellaniae dotem constituentia in plenam proprietatem haeredum et successorum dicti fundatoris Sanctes N. reversa dicenda sunt: et haeres de facto possessionem post longas moras a Gubernio paratas arripuit. Ex ipso autem contextu eruitur quod bona eiusmodi ad eumdem pervenerint, nullo onerata gravamine. Nam institutor praescripsit quod conditione adveniente, Capellaniae bona evaderent propria suorum haeredum, nullo adiecto vinculo neque onere. Ideoque noluisse gravare heredes dicendum est dum tacuit; nam si voluisset profecto animum suum aperuisset. Ad rem *lex 99. ff. de verb. obl.* « ibi » *Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est:* Aut certe secundum promissorem inter-

pretamur, quia stipulatori liberum fuit verba late concipere. Quae praesumptio maius in themate fulchrum acquirit si prae oculis habeatur quod testator verbis haud pepercit, quando aliquo onere haeredes suos obstrictos voluit, ut in hoc ipso instrumento videre est. Hinc notum in iure principium aptari posse videtur : *quod voluit expressit ; quod noluit non expressit*. Quare institutoris voluntate bona Capellaniae a Gubernio Italico abolitae a quolibet Missarum onere libera ad haeredem reversa esse in dubium haud revocari posse videtur, ideoque de his haeredem pro lubito suo disponere posse nemo inficias ibit.

www.libtool.com.cn

Haud minus favere videtur haeredi ius cummune: per huius enim dispositionem fit quod natura cuiuslibet actus, qui sub conditione resolutiva constituitur eiusmodi sit, ut existente conditione, sub qua constitutus fuit, illico evanescat, et res in pristinum statum revertantur. Ast fundator quum contulerit bona quae libera erant ad Capellaniam dotandam ea sub conditione ut si dicta Capellania supprimeretur, tum per publicam dispositionem, tum per privatorum operam, bona redirent in totam proprietatem haeredum et successorum institutoris, sponte sua fluit quod purificata suppressionis conditione bona libera, ut ante Capellaniae fundationem, reverti debeant ad haeredem. Itaque quum constare videatur quod eiusmodi bona ad haeredem absque ullo vinculo pervenire debeant, patet eidem omnimodam rerum suarum facultatem inesse, eique licere de rebus suis pro libito disponere. Conceptus enim proprietatis seu dominii secumfert in domino facultatem, quamcumque fundi sui partem, cuique voluerit divendendi. *Leg. dudum Cod. de contr, empt.* Rota *Decis. 270 p. 3, 22 Martii 1819 coram Tiberi.*

Proindeque ex praeiactis concludi posse videtur Capellaniae bona ad praefatum haeredem a quovis Missarum onere immunia pertinere , eaque vel in toto vel in parte haeredem alienare posse , quin sive ipse , sive emptor ad Missarum satisfactionem teneantur.

EA QUAE CONTRA HAERDEEM FACERE VIDENTUR. Attamen ex

adverso visum est praetensa haeredis iura eversa fuisse tum per testatoris voluntatem, tum per iuris communis dispositionem. Quoad testatoris voluntatem haud abs re erit praemonere quod adhuc non extitit conditio ab eo apposita, ex cuius existentia Capellaniae bona ad haeredes reverterentur. Nam etsi lex italica diei 15 Agusti 1867 entia omnia moralia per personalitatis iuridicae subtractionem dissolveret; bona tamen sive beneficiis sive Capellaniis inhaerentia per hanc legem nec suspensa, nec suppressa, prout testator cavit, fuerunt. Siquidem in Capellania ecclesiasticae indolis et naturae, gubernium bona omnia ad se avocat, attamen (si legi credimus) obligationem piis legatis, Missarumque oneribus satisfaciendi sibi assumit. In Capellania vero, quae laica dicitur, Missarum, aliorumque onerum, sive suspensio, sive suppressio adhuc non extat; cum binae tertiae partes patrimonii ad huiusmodi entia pertinentis haeredibus a lege adsignentur, qui propterea si velint, habeant quomodo testatoris voluntatem adimplere valeant.

www.libtool.com.cn

Attamen super his nimis haud immorandum; sed, ut quaestio inspiciatur in suo vero statu, exquirendum est quid testator, Capellaniam instituendo, in mente habuerit, et quinam finis ab eo intentus. Omnibus enim notum est, quod in rebus, quae a cuiusque libertate seu arbitrio dependent, hominis voluntas legis locum tenet, a qua recedere, quovis sub praetextu non licet. In quaestione hac duo nobis occurrunt; legatum scilicet sex Missarum per singulas hebdomas celebrandarum, et institutionis eiusdem perpetuitas. En testatoris verba ex quibus eius mens evidens fit. Cum debeant dicta bona una cum parvo Coenobio dotem Capellaniae constituere perpetuam atque intangibilem, expresse et absolute prohibetur quaevis minima eorum dispositio aut distractio. Ex quibus ergo verbis facile patet voluisse testatorem omnino perpetuitati suae institutionis prospicere.

Perpetuitas eiusmodi adeo in eius animo insidebat, ut quamlibet distractionem ob id prohibuerit: haec insuper causa fuit, quae ad praecavendum impulit quod si aliquando eve-

niret ut vel publica auctoritate, vel privatorum facto accedente, Capellania vel suspensa, vel suppressa remaneret, huius dos ad suos haeredes et successores pertransiret. Institutor enim pro certo habebat, haeredem sanguinis pietate motum piae ipsius voluntati resistere ausum non fuisse. Ast admissa Capellaniae stabilitate, sponte veluti sua fluit, quod bona ad hunc effectum relicta, tali vinculo affecta remaneant ad quoscumque perveniant: alioquin perpetuitatis idea evanesceret, finisque ab institutore omnimode intentus haud haberi posset; quod dicere nefas est. Ideoque actualis haeres neque a satisfacendo Missarum legato eximi potest, neque pro suo lubitu eiusmodi patrimonium nec aliis obligare nec alienare valet; quia ex notatis, manifesta testatoris voluntas utrumque vetat. Neque aliunde eruitur quod testator suae dispositionis rigorem favore haeredum relaxare voluerit; nam ex una parte contra faciunt expressa verba in erectionis tabulis adiecta; ex altera vero huiusce praetensae relaxationis mentionem frustra in actis requires. Si testator primaevae institutionis perpetuitatem haeredum gratia corrigere intendebat: hoc profecto aliquo modo manifestum fecisset. Cum tacere maluerit, evidens est quod seipsum corrigere noluit; espressam namque voluntatem per eiusdem voluntatis expressum et contrarium actum destrui nemo ignorat. Ex quo iuris principium: *quod voluit expressit, quod vero noluit non expressit* pro sustinenda perpetuitatis obligatione, potius quam pro eadem cassanda invocari posse videtur. Et hac super re omnis dubitatio cessabit, si prae oculis habeatur, ideo a testatore nullam operis existentiae mentionem factam fuisse, quia eiusmodi existentiae probatio fuisset causa qua institutio in legis rigorem, et in ungues fisci denuo incidisset, quin devolutioni locus fieret. Neque dubitandum an iura omnia menti faveant institutoris; eo quod omnino servandas postremas et pro lege habendas morentium voluntates praecipit. *L. 120. ff. de Verb. signfi.* Et lex duodecim tabularum iuris antiquissimi Romani latissimam auctoritatem concedebant rudibus his verbis. « *Uti legassit* (Testator) *suae rei, ita ius*

www.libtool.com.cn

esto. » Clementina *quia contigit de relig. domib. Novell. 22. c. 2.* quae sic se exprimit : *disponat unusquisque super suis ut dignum, et sit lex eius voluntas.* Et ipsa S. Concili Congregatio maximo in pretio semper habuit ultimas testatorum voluntates, easque sancte et religiose servandas voluit, praesertim si divinum cultum respicerent, uti colligitur ex canone *ultima voluntas caus. 13. q. 2. admonere c. 14. q. 1. et L. 1. Cod. de Sacros. Eccl.* « *Ultima voluntas defuncti, modis omnibus conservari debet.* »

www.libtool.com.cn

Quod in themate agatur de voluntate divinum cultum respiciente quivis conspicit, dum agatur de Capellaniae perpetuitate confirmanda, quae Missarum onus celebrandarum adnexum habet. Omni igitur cura eius conservationi est consulendum, ceu monet Bened. XIV. *de Synodo Dioecesana Lib. 13. Cap. ult. num. 23.* In citato enim loco evincit quod onus Missarum praeferri debeat oneribus aliis cum agatur de eorumdem conservatione « ibi » *Quod si aliqua proponeretur dispositio, quae simul et Missarum onera et eleemosynarum distributionem, aliave pia opera comprehenderet, et quidem ob redituum tenuitatem necessarium dignosceretur ad aliquam impositorum onerum reductionem devenire, reducenda potius sunt reliqua onera, non autem Missarum numerus.* » Cui consona sunt S. C. Congregationis responsa, ceu perlegere datum est in *Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii Chori et Missarum 14 Junii 1823; in Ravenaten. Reductionis Missarum 29 Maii 1822* et in Tolentina *Commutationis Voluntatis 22 Aprilis 1826,* et in aliis quamplurimis. Itaque sive mens testatoris, sive ius commune consulatur, scatere videtur Capellaniae perpetuitatem conservandam esse, eiusque bona Missarum vinculo tamquam affecta non posse ab haerede pro suo arbitrio distrahi, vel alienari quin in salutares Ecclesiae poenas incidat.

Quoad secundum dubium responsio ex dictis profluere videtur ; nam vel bona Capellaniae dotem constituentia libera ab omni onere et vinculo ad haeredem pervenerunt, et tunc

patet nullâ opus esse absolutione, vel secus decernendum iudicabitur, et tunc eiusmodi gratia necessaria videtur. Eam gratiam esse indulgendam bona fides suadet, quae ex verbis ipsis haeredis clare eruitur.

www.libtool.com.cn

Quibus praenotatis, duo quae sequuntur proposita fuere dirimenda.

Dubia.

I. *An bona Capellaniae dotem constituentia ita libera effecta fuerint, ut ullo absque onere vendi, alienarique possint in casu*

Et quatenus negative,

II. *An et quomodo sit locus absolutioni pro Missis usque adhuc omissis in casu?*

Resolutio.

Sacra C. Concilii sub die 8 Iulii 1876, causa cognita, respondere censuit: *Dilata et transmittantur actus fundationis anni 1821.* Sub die vero 27 Ianuarii 1877 eadem S. Concilii Congr. respondit.

Ad I. dubium *Affirmative.*

Ad II. dubium *Provisum in primo.*

Ex inde colliges.

I. Ex iure semper innui, *quod ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet;* et *disponat unusquisque super suis, ut dignum, et sit lex eius voluntas...*

II. Attamen erui ex *leg. 99. ff. de verb. obl. Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est.*

III. Ideoque quoties alicuius testamentariae dispositionis obiectum ex verbis testatoris haud liquido pateat, aptari posse videtur illud iuris principium: *quod* (testator) *voluit expressit, quod noluit non expressit.*

IV. Ex iure communi pariter scatere quod natura cuiuslibet actus, qui fit sub conditione resolutiva, talis sit ut idem actus illico evanescat, existente conditione, et res in pristinum statum revertantur.

V. Nam sicut conditio suspensiva existens retroponit quasi ab initio contractum esset; ita conditio resolutiva retro tollit, quasi ab initio nihil actum esset.

VI In themate videri bona Capellaniae donata fuisse sub conditione resolutiva, ita ut, hac existente, in absolutam et ab omni onere liberam proprietatem haeredum illa redirent.

www.libtool.com.cn

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISIT.

INSTANTIA NONNULLORUM EPISCOPORUM ITALIAE QUOAD « REGIUM EXEQUATUR. »

Episcopi Dioecesium N.N.N.N. Italiae Regionis memores praxeos quam circa *Regium exequatur* semper sequuta est Sedes Romana, contra quod formiter protestationes emisit, huic praxi sese accomodare, eamdemque sequi omni in adiuncto sibi ex conscientiae debito oportere arbitrati sunt: idque eo libentius inpleverunt, quod ab huiusce rei petitione quum sese abstinerent, nullum eisdem aliud erat extimescendum malum, quam rerum temporalium privationem, et innumera personalia sacrificia; quibus obviam ire ex animo parati erant. Verumtamen Civilis Gubernii nuperrimae dispositiones, quae infensiorem in Ecclesiam Christi induunt characterem, eoque properant ut Episcopali ministerio impedimentum inferant, tales parant difficultates, quae maximum Christifidelibus sibi creditis discrimen gignant. Qua de re Supremam S.R.U. Inquisitionis Congregationem adeunt praefati locorum Ordinarii eo consilio ut necessarias ab Eadem hauriant instructiones. nec non certiores fiant utrum his in

adiunctis atque ob damna ingentia quae adfutura praevidentur, liceat eisdem Bullas suarum nominationum ad respectivas Sedes Episcopales exhibere ut civilis auctoritas *Regium exequatur* ipsis apponat.

www.libtool.com.cn

Sacra eadem Congregatio Episcoporum instantiae sequens dignata est praebere responsum:

Feria IV die 29 Novembris 1876.

In Congregatione generali S. Romanae et universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. S. R. E. Cardinalibus eiusdem Supremae Congregationis generalibus inquisitoribus, proposita suprascripta instantia, ac omnibus mature perpensis, attentis peculiaribus rerum adiunctis, iidem Emi ac Rmi DD. respondendum decreverunt: *Tolerari posse.*

I. Pelami S. Rmae et Univer. Inquis. notarius.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

PIUS P P. IX

Ad perpetuam rei memoriam.

Quod, suadente spiritu gratiae et precum, initum in dioecesi Lucana a nonnullis Christi fidelibus pio quodam societatis foedere devinctis institutum agendi semihora exeuntis et semihora exorientis anni Sacrosanctae et individuae Trinitati gratias ob accepta beneficia novaque pro Christianarum gentium pace, Christianorum Principum concordia, pro peccatorum conversione ac denique pro Sanctae Matris Ecclesiae eiusque visibilis Capitis Romani Pontificis exaltatione a divina Bonitate deposcendi a plurimis Christi fidelibus receptum, variis diversisque locis, uti Nobis relatum est, peragitur; movit non unum aut alterum sed bene multos sacrorum Antistites ut universis fidelibus ex pio instituto antedicto orantibus coelestium munerum thesauros recludere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, ut quisquis ad Dei voluntatem ex quo omnia, per quem et in quo sunt omnia, vitam ducere satagat, ascensiones ad eum in corde suo in dies disponat, piis huiusmodi votis annuere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus, corde saltem contritis, qui praefato temporis spatio pium exercitium, de quo a Nobis habita mentio est, peregerint, qua vice id perfecerint, septem annos de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quae poenitentiarum relaxationes ut etiam animabus

Christi fidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migrarunt, per modum suffragii applicari possint, misericorditer in Domino indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesensibus si forent exhibitae vel ostensae. Denique praecipimus ut earumdem praesentium Litterarum (quod nisi fiat nullas easdem esse volumus) exemplar ad Secretariam Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae deferatur iuxta decretum ab eadem Congregatione die XIX Ianuarii MDCCLVI latum et a sacrae memoriae Benedicto XIV Praedecessore Nostro die XXVIII dicti mensis et anni adprobatum. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die V Decembris MDCCCLXXVI Pontificatus Nostri anno trigesimoprimo.

Praesentes litterae apostolicae exhibitae fuerunt in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 17 Decembris 1876 In fidem. Romae ex dicta Secretaria die et anno ut supra.

DOMINICUS SARRA SUBSTITUTUS.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE.

www.libtool.com.cn

Dubia quoad expositionem SSmi Sacramenti.

R. D. Sacerdos Aloysius Rapani Canonicus, et in Metropolitana Ecclesia Rossanen. Caeremoniarum Magister, Sacrae Rituum Congregationi haec humiliter exposuit: nimirum – Quod in praedicta Ecclesia ad maiorem Fidelium utilitatem singulis diebus infra Octavam Corporis Christi, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum publicae venerationi exponi soleat, tum mane ante Matutini recitationem, tum meridie antequam Vesperae recitentur. Expleta vero mane Horae Nonae recitatione et Vesperarum a meridie intra Ecclesiae ambitum processionaliter Sanctissimum Sacramentum circumfertur, ac demum, Benedictione impertita, in Tabernaculum reponitur. Attamen die Sabbathi infra eamdem Octavam, Processione peracta post Completorium, Benedictio impertitur; et ad Matutini cum Laudibus recitationem (quae anticipanda est, quia insequenti Dominica solemnis fit processio a Confraternitate Sanctissimi Sacramenti et universo Capitulo) rursus Eucharistiae Sacramentum exponitur, et recitatione expleta, absque ulla Benedictione in Tabernaculo recluditur.

Quibus expositis, suprascriptus Orator insequentium dubiorum solutionem ab eadem Sacra Rituum Congregatione humiliter expostulavit, nempe:

I.° An Sabbatho infra Octavam Corporis Christi, Processione facta post Completorium et Benedictione impertita, rursus exponi queat Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, ut Indulgentias, quae Matutini et Laudum recitationi adsistentibus concessae sunt, Fideles lucrentur; et in casu affirmativo,

An II°, post Matutini cum Laudibus recitationem, rursus alia benedictio impertiri debeat populo, quemadmodum data fuit, expleto Completorio?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, auditoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis dubiis respondendum censuit :

Ad I^m, *Negative*. — Ad II^m, *Provisum in primo*.

Atque ita rescripsit ac servari mandavit die 8 Iulii 1876.

PATRIARCHALIS ARCHIBASILICAE LATERANENSIS

Praefectus caeremoniarum Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis haec quae sequuntur Sacrorum Rituum Congregationi exposuit : nimirum cum festum S. Iosephi, et Dominica III. Quadragesimae anno 1876 in unam, eamdemque diem simul inciderint, lectiones de Scriptura, historiam Iosephi a fratribus venditi narrantes, omitti debuerunt; attamen aliquis Kalendarista ad primam diem non impeditam intra eamdem hebdomadam praefatas lectiones reposuit, inhaerens decreto S. R. C. die 26 Novembris 1735 in Hispalen. ad VI. his verbis expresso: « Lectiones primi nocturni de Exodo, » quae leguntur in Dominica IV Quadragesimae, quoties ista » sit impedita aliquo festo primae classis, reasumendae sunt » intra illam hebdomadam in festo occurrente, carente lectio- » nibus propriis primi nocturni quae desumerentur de Scri- » ptura occurrente, si festum illud extra Quadragesimam in- » cidisset ».

Caeremoniarum Praefecti tam Archibasilicae Lateranensis, quam S. Petri in Vaticano, ac S. Mariae Maioris, ad quartam tantum Dominicam hoc decretum pertinere existimarunt, cum ibi sermo sit de libro Exodi, qui solummodo in hac Dominica legitur, et eo magis ex illis verbis *quoties ista sit impedita;* Rubrica vero Fratrum Minorum N. 183, quae translationem dictarum lectionum praecipit, est peculiaris, nec saecularem Clerum respicit.

Difficultatem aliquam facit opinio Michaelis Cavalieri, qui adaerens Guyeto, in commentario ad praefatum, illud ex-

tendit non solum ad secundam, et tertiam Dominicam Quadragesimae, sed etiam ad Sexagesimam, et Quinquagesimam si in aliqua ex his Dominicis festum primae classis occurrat, quam opinionem comprobat. « Quia etsi lectiones praedictae » non sint initia libri alicujus, continent tamen singulae » insignes historias ab aliis penitus distinctas, propriisque » nominibus, Nohemi videlicet, Abrahami, Jacobi, Josephi, » et Moysis nuncupatas; quodque ad rem facit maxime non » fortuito, seu obvia currentis libri serie, sed cum delectu » hisce Dominicis privilegiatis addictas, utpote eximias ex » Sanctorum Patrum interpretatione, figuras, ac veluti praeludia quaedam mysteriorum Redemptionis nostrae, cujus » tunc primordia recoluntur.... insuper duae Nohemi, et » Abrahami continuantur in sequentibus feriis, quod nisi » posito initio, haud satis congruenter fieri a simili de aliis » facile est inferre. Insignis itidem Machabaeorum historia » ne omitteretur transferri decernitur ». (Tomo I. parte 2. c. 3. d. 44. N. 1. 2).

www.libtool.com.cn

His positis praefatus Orator ab eadem Sacra Congregatione humiliter in sequentis Dubii solutionem expostulavit: nimirum an praedicta opinio Michaelis Cavalieri sit amplectenda; an vero Decretum 26 Novembris 1735 de Dominica tantum IV. Quadragesimae intelligi debeat?

Sacra vero Congregatio, referente infrascripto Secretario, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ac mature accurateque perpensa, rescribendum censuit: « Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam », atque ita rescripsit ac servari mandavit.

Die 13 Januarii 1877.

A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praef.
Placidus Ralli S. R. C. Secretarius

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

NOMINATIONES EPISCOPORUM ET ECCLESIARUM DESCRIPTIONES QUIBUS SUNT PRAEPOSITI

Die 12 Martii 1877

Sanctissimus in Concistorio habito die 26 Iunii 1876 sequentes proposuit ecclesias: (1)

CATHEDRALEM ECCLESIAM PAPIEN. vacan. per translationem Reverendi Patris Domini Lucidi Mariae Parocchi ad metropolitanam sedem Bononiensem; Sanctissimus evexit ad relatam Ecclesiam Reverendum Dominum Augustinum Riboldi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia Paderni Mediolanensis progenitum ac trigesimum octavum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sese laudabiliter exercuit. In seminario Modoetiensi clericos mathesim edocuit, atque scientiae fisicae, et matheseos hucusque tradendae impendit operam. Plura scripta typis edidit; in inventione sacrorum corporum Ambrosii, Gervasii ac Protasii plurimum adlaboravit in sacrarum exuviarum identitate probanda, atque in operibus S. Ambrosii evulgandis theologica et historica eruditione effulsit.

Papia antiqua et celebris Insubriae civitas in Longobardo-Veneto apud Ticinum flumen in planitie aedificata, in suo quatuor circiter milliarium ambitu octo mille pene continet domos, et ab ultra viginti quinque millibus inhabitatur incolis

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae ac S. Stephani Proto-Martyris titulo gloriatur, magnificum, sed nondum absolutum praestat aedificium, atque Mediolanensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositura, octo cum theologo ac poenitentiario Canonicos, undecim Capellanos-Chorales, ex quibus quatuor Mansionarii dicuntur, duos item Capellanos, et sex Clericos divinis quotidie inservientes.

(1) Alias eiusdem diei nominationes iam retulimus praecedenti fasciculo pag. 62 et seqq.

Per Praepositum, cui praedicti duo Capellani auxilium praestare tenentur, animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Octo praeterea recensentur Papiae, eiusque suburbiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, bina pro puellis conservatoria, ac pia pro derelictis domus, duplex pro utroque sexu orphanotrophium quaedam laicorum sodalitates, hospitale, mons pietatis, atque seminarium.

Satis ampla est dioecesis ac septuaginta quinque sub se continet paroecias.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CARIATEN. vacan. per translationem R. P. D. Petri Maglione ad Cathedralem Sedem Caputaquensem et Vallensem: Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. P. Fr. Iosephum Antonium Virdia ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Varapodio*, dioeceseos Oppidensis progenitum, et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressum. Inter sodales Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci ab adolescentia adscriptus, ibique expresse professus ac tum Presbyteratus ordine, tum sacrae theologiae et artium laurea doctorali ac magisterio dudum donatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, signanter in utriusque sexus confessionibus excipiendis, sese laudabiliter exercuit. Ministrum provincialem et Commissarium generalem sui Ordinis Calabriae agens, Tropiensi in urbe Rectoris Ecclesiae B. M. V. Immaculatae, monialium S. Clarae Vicarii, illo in seminario Rectoris, atque theologiae dogmaticae et moralis, philosophiae ac latinitatis Professoris muneribus hucusque perfunctus est.

Cariatum urbs Calabriae citerioris in agro Neapolitano ad oram litoralem maris Ionii in colle aedificata et moeniis circumdata, plusquam unius milliarii est ambitus, quadringentas circiter continet domos, eamque ultra quatuor mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia S. Michaelis Archangeli titulo gloriatur, bonum ac satis amplum praefert aedificium, alicuius eget reparationis, atque Archiepiscopo Sanctae Severinae suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, novem cum theologo ac poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quae per alterum ex Canonicis exercetur ipsamet in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Cariati paroecialis aut Collegiata Ecclesia, non hospitale, nec mons pietatis, sed duplex virorum monasterium, quaedam laicorum sodalitas, ac seminarium.

Satis ampla est dioecesis plura sub se continens loca.

Episcopalem Ecclesiam Thermien. sub Archiepiscopo Caesariens in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Samuelis Eccleston, modo vita functi, ad metropolitanam Sedem Baltimorensem: Sanctissimus promovit ad eamdem Thermien. Ecclesiam et in Coadiutorem, R. P. D. Vincentii Bisceglia Antistitis Thermularum deputavit R. D. Franciscum Macarone ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Carinolae dioeceseos Suessanae progenitum et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologiae dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus apprime emicuit; in patria Collegiata Canonicus Poenitentiarius primum, hucusque autem Theologali praebenda et Archidiaconatus dignitate honestatus est. Vicarii in spiritualibus Generalis munere inibi perfunctus est. Inter Examinatores ac Iudices pro-Sinodales cooptatus fuit.

Thermiae Cappadociae civitas adhuc sub infidelium iacet potestate; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

Thermularum vero civitas in Samnio ad litus maris Adriatici aedificata, in suo duplicis circiter milliari ambitu ultra quingentas complectitur domos, atque ab ultra septem millibus inhabitatur incolis.

Cathedralis Ecclesia veteris et gothicae structurae purificationis B. Mariae semper Virginis titulo gloriatur, et Archiepiscopo Beneventano suffragatur.

Eius Capitulum tribus constat Dignitatibus, ex quibus post Pontificalem maior Archidiaconatus; novem item Canonicis cum utraque praebenda, aliisque Presbyteris et Clericis inibi divinis inservientibus.

Per Archipresbyterum, secundam Capituli, Dignitatem, animarum cura exercetur in Cathedrali.

Praeter Cathedralem nulla alia in Thermularum civitate reperitur Curionalis Ecclesia, sed unum dumtaxat virorum coenobium, una laicorum sodalitas, et seminarium. Hospitale vero et mons pietatis desiderantur.

Dioecesis ambitus satis late, patet, et sexdecim sub se complectitur oppida.

Metropolitanam Ecclesiam Salernitan. cum perpetua Administratione Cathedralis Ecclesiae Acernensis vacan. per dimissionem a R. P. D. Dominicó Guadalupi ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab EADEMQUE admissam: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam Salernitan. et in Administrationem Acernensis Ecclesiae deputavit Reverendum Patrem Dom. Valerium Laspro, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere sive cum anno 1860 de mense Martio Gallipolitanae Ecclesiae praefectus, sive cum in mense Maio 1872 ad Liciensem Sedem translatus fuit.

Salernum civitas et caput principatus citerioris Neapolitano in agro ad Tyrrheni maris litus partim in planitie, partim in colle aedificata, trium circiter milliarium est ambitus, et ultra triginta mille continet incolas. Acernum autem urbs principatus eiusdem supra montem posita unius milliarii est ambitus, eamque termille et quingenti circiter inhabitant cives.

Metropolitana Salernitana, magnifica et ordinis Corinthiaci, Sancti Matthaei Apostoli et Evangelistae titulo gloriatur; Acernensis autem Ecclesia sub invocatione sistit Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae; primodictae septem suffragantur Episcopi.

Tres Salernitanum, quatuor autem Acernense Capitulum recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus: insuper viginti octo Canonici, ac duodecim Mansionarii, seu Hebdomadarii enumerantur in primo, atque octodecim Canonici in secundo habentur capitulo, et utrobique theologus ac poenitentiarius, aliique Presbyteri et Clerici rei divinae navant operam.

Animarum cura utraque exercetur in Ecclesia paptismali fonte munita, eamque Acerni Canonicus Parochus perpetuus administrat nomine Capituli.

Praeter Metropolitanam quatuordecim reperiuntur Salerni paroeciales Ecclesiae baptismali praeditae fonte, earumque altera sub titulo Bmae Virginis Mariae ab Angelo Salutatae est etiam Collegiata, nonnulla insuper virorum, ac mulierum monasteria, plures laicorum sodalitates, bina hospitalia, mons pietatis, et pro utraque dioecesi duplex seminarium: porro Acernensi in urbe unum tantum adest virorum monasterium, et orphanotrophium.

Archidioeceseos Salernitanae ambitus ad sexaginta fere milliaria protenditur, et centum quinquaginta sub se complectitur paroecias: Acernensis autem dioecesis duodecim circiter milliarium est ambitus, et duo sub se continet loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM AURIEN. sub Archiepiscopo Sitiphensi in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Vitalis Galli ad Cathedralem Sedem Narniensem: Sanctissimus evexit ad eamdem Ecclesiam R. P. D. Antonium Piterà, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum labente mense Decembris 1871 Bovensi Ecclesiae praefectus fuit.

Auria Mauritaniae civitas adhuc infidelium iugo miserrime subest; quocirca status eius infandus relatione caret.

ECCLESIAM NIVARIEN. vel Sancti Christophori de Laguna per Literas Apostolicas « *Ad Vicariam* » datas Nonis Septembris 1851 Canariensi Ecclesiae unitatem, a SANCTITATE SUA ab illa seiunctam, et nunc iterum ad pristinum Cathedralitatis honorem restitutam, seu de novo erectam, et a primaeva sua erectione, vel pristinae Cathedralitatis restitutione vacantem:

Sanctissimus transtulit ad memoratam Sedem R. P. D. Ildephonsum Infante et Macias, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Maio 1876 Claudiopolitanae Ecclesiae praefectus fuit.

Fidei professionem emisit in manibus R. D. Didaci Palacios et Duran Septensis Ecclesiae Canonici Senioris specialiter deputati a R. P. D. Mariano Rampolla, SANCTITATIS SUAE Praelato Domestico et in Hispaniarum regnis Sanctae Sedis Apostolicae negotiorum ad interim Gestore.

Nivaria, vulgo *Teneriffe*, una ex insulis Fortunatis Oceani Atlantici, cuius est caput civitas S. Christophori de Laguna nuncupata, ubi Episcopalis Sedes est constituta, et ubi mille et quingentae degunt familiae sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia S. Christophori de Laguna, magnificae structurae, S. Ferdinandi ac S. Isabellae titulo gloriatur, quasdam exigit reparationes atque Hispalensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum constat iuxta disposita per Apostolicam Sanctam Sedem et regium Hispaniarum Gubernium.

Animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Tres recensentur Nivariae paroeciales Ecclesiae, duplex mulierum monasteria, ac bina hospitalia; mons autem pietatis atque seminarium desiderantur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, civitatesque, vulgo nuncupatas *Sancta Crux*, *Gomera* ac *Hierro*, sub se complectitur.

www.libnol.com.cn

CATHEDRALEM ECCLESIAM CERVIEN. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Monetti ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Fridericum Foschi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Martorano* Cerviensis dioeceseos progenitum ac in tricesimo nono aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine, et in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis navam impendit operam. Metropolitanae Ravennatensis Canonicus Poenitentiarius hucusque renunciatus, illo in seminario Rectoris et Administratoris, studiisque regundis Praefecti munere perfunctus est. Inter Iudices et pro-synodales Examinatores, atque archidioecesanos Convisitatores adscitus, in causis nullitatis matrimoniorum Defensor adlectus est.

Cervia Aemiliae civitas ad litus Adriaci maris ambitus est dimidii milliarii, quingentas circiter continet domos, eamque bis mille plus minus incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia SS. Paterniani et Geruntii titulo gloriatur, atque Ravennatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset

dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, octo cum theologo ac poenitentiario Canonicos, quatuor Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes officiis.

Per Archidiaconum ab alio Presbytero adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia praeterea reperitur Cerviae paroecialis Ecclesia, sed unum pro viris monasterium, quaedam laicorum sodalitates, hospitale et seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad Romandiolae et Ferrariensis regiones aliquantulum extenditur, et aliquot sub se complectitur loca.

CATHEDRALE ECCLESIAM BOVEN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Antonio Piterà libere ac sponte in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab EADEMQUE admissam: Sanctissimus promovit ad dictam Ecclesiam R. D. Nicolaum de Simone ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Mesuracae archidioeceseos S. Severinae progenitum et in quinquagesimo septimo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus in ecclesiasticis functionibus obeundis, signanter Dei verbum praedicando, fideliumque excipiendo sacramentales confessiones, sese laudabiliter exercuit. In metropolitana Sanctae Severinae Canonicum Poenitentiarium hucusque agens, in patrio Mesuracae oppido et in Altiliae pago Oeconomus Curatus olim adlectus est. Humaniorum literarum, matheseos ac philosophiae, theologiae dogmaticae et moralis penes archidioecesanum S. Severinae seminarium Professoris munere perfunctus est. Inter dioecesanos Convisitatores et Examinatores prosynodales adscitus, ac novissime caeremoniarum Magister, Iudex et Examinator synodalis renunciatus fuit.

Bova urbs Brutiorum ad Calabriae ulterioris fines, et Apennini extremum non procul ab oris Ionii maris in colle aedificata, quingentas circiter domos, et ultra termille continet incolas.

Cathedralis Ecclesia sub invocatione Beatae Mariae Virginis in Templo praesentatae boni est aedificii, nulla indiget reparatione, atque Archiepiscopo Rheginensi suffragatur.

Eius Capitulum quinque recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archipresbyteratus, sexdecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, quosdam Capellanos Chorales, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per dictam Archipresbyteri dignitatem animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali.

Praeter Cathedralem Bovensi in urbe altera reperitur paroecialis Ecclesia uni ex Canonicis Cathedralis concredita, sed baptismali fonte destituta, et altera dicata S. Leoni Anachoretae civitatis Patroni, cuius

corpus inibi adservatur, insuper duo laicorum sodalitia, atque seminarium: xenodochium vero, monasteria, ac mons pietatis desiderantur.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur, et novem sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CONCHEN. vacan. per translationem ad Cathedralem Sedem Victoriensem R. P. D. Sebastiani Herrero et Espinosa de los Monteros: Sanctissimus promovit ad relatam Ecclesiam Reverendum D. Iosephum Moreno Mazon ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Malacae progenitum et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutus. Presbyteratus ordine ac tum in utroque iure licentiae gradu, tum in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam. Pluribus ministerii sui perfunctus officiis, in Cathedrali Malacitana Canonicus Poenitentiarius hucusque renunciatus est.

Concha civitas Hispaniae Tarraconensis et homonymae provinciae caput in Castella nova sita, atque in colle aedificata a sex circiter millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia Beatissimae Virginis sub titulo Sanctae Mariae invocatione gaudet, gothicam praefert structuram, atque Toletano Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum iuxta Apostolicas Literas « *Ad Vicariam* » datas nonis Septembris 1851 quinque constat dignitatibus, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicis *de oficio*, novem *de gracia*, ac tandem quatuordecim Beneficiatis.

Animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Tresdecim reperiuntur Conchensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, quinque insuper mulierum monasteria, hospitale, plures laicorum sodalitates, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta quatuor leucas circiter in longitudinem, ad viginti duas in latitudinem protenditur, et plura sub se complectitur loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TANEN. sub Archiepiscopo Damiatensi in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Ianuarii de Vivo ad Cathedralem Sedem Puteolanam: Sanctissimus promovit ad eamdem Tanen. Ecclesiam et in Coadiutorem R. P. D. Laurentii Ioannis Baptistae Biale Antistitis Vintimiliensis cum futura successione deputavit R. D. Thomam Reggio ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Genuae progenitum et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, atque in-

ter Collegiatos Doctores adscitus, in ecclesiasticis peragendis functionibus, praesertim Dei verbum praedicando, naviter emicuit. Examinator cleri ac Iudex pro-synodalis constitutus, in ecclesiastico seminario civitatis Clavarum Rectoris, ibique et in altero clericorum seminario Genuensi sacrae theologiae moralis Professoris munere perfuctus est. Beneficiali titulo Abbatis mitrati ad S. Mariae ac SS. Fabiani et Sebastiani insignem Collegiatam Collis Iani Genuensis urbis hucusque honestatus est.

Tanis olim magna Aegypti urbs et Pharaonis regia, ubi Moyses tot edidit signa; apud Taniticum ostium sita, adhuc ab infidelibus detinetur, eiusque proinde miserrimus status haud valet referri.

Vintimilium autem, vel Albintemelium ac etiam Albintimilium urbs Liguriae litoralis ad clivum montis aedificata, unius circiter milliarii est ambitus, biscentum continet domos, eamque viginti fere mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, veteris ac satis ampli aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Ianuensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositura, octo cum theologo ac poenitentiario Canonicos, duos Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Praepositus a vice-Parocho adiutus animarum curam ipsamet exercet in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Vintimilii paroecialis, aut collegiata Ecclesia, nec mons pietatis, sed duplex virorum et alterum sanctimonialium monasterium, aliquot laicorum sodalitates, hospitale et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad viginti quinque milliaria protenditur et quatuordecim sub se complectitur paroecias.

Deinde SS. Pater, de more, os aperuit Emis Dominis Cardinalibus Apuzzo, Howard, Canossa, Serafini, Nina, Sbarretti et de Falloux du Coudray. Et postulatio s. Pallii facta est pro Metropolitis Salerni et Olicanae.

Tandem Sanctitas Sua anulum cardinalitium tradidit novis Cardinalibus; et assignavit D. Cardinali Apuzzo titulum s. Honuphrii; Emo Cardinali Howard titulum SS. Ioannis et Pauli; Emo Cardinali Canossa titulum S. Marcelli; Emo Cardinali Serafini titulum S. Hieronymi Illiricorum; Emo Cardinali Nina Diaconiam S. Angeli in Foro Piscium; Emo Sbarretti Diaconiam S. Mariae ad Martyres; Emo Cardinali de Falloux du Coudray Diaconiam S. Agatae.

PROTESTA DELL'EMO CARD. SIMEONI, SEGRETARIO DI STATO INDIRIZZATA AI NUNZI APOSTOLICI IN OCCASIONE DELLA CIRCOLARE DEL MINISTRO GUARDASIGILLI SULLA RECENTE ALLOCUZIONE DEL S. PADRE.

www.libtool.com.cn

Illmo e Rmo Signore

Non isfuggirà certamente all'attenzione della S.V. Illma. la Circolare del Ministro Guardasigilli ai Procuratori generali delle Corti di appello sull'ultima Allocuzione del S. Padre; Circolare che la stampa ministeriale pubblicava ieri qui in Roma. In essa si dispone di non sequestrare i giornali che pubblicano quel Pontificio documento, quando essi non l'accompagnino da commenti di adesione, e questa decisione si rappresenta come un argomento tanto più eloquente della libertà assicurata al Sommo Pontefice nell'esercizio del suo ministero, in quanto che, al dire del signor Ministro, l'Allocu-

---

EX AEDIBUS VATICANIS

LITTERAE EMI CARDINALIS IOANNIS SIMEONI AD APOSTOLICOS NUNTIOS.

Haud probe tuam fugient sollertiam, Illme Domine, Litterae circulares Ministri Gratiae et Iustitiae *ad generales Procuratores Tribunalium* ab appellationibus, *ultimam SSmi Patris Allocutionem* (1) *respicientes; quasque hesterna die ephemerides* officiales *in lucem edebant. Per easdem litteras constituitur haud sequestrationi subiiciendas fore ephemerides illas, quae Pontificium documentum publici faciant iuris, dummodo idem notis expers maneat, qua adhaesionem innuant. Decisioque eiusmodi, eloquentissimi instar argumenti ostenditur, ad evincendam Summi Pontificis, quoad*

(1) Iam eam dedimus pag. 49 Voluminis huius decimi.

zione avrebbe ecceduto ogni limite prevedibile e dato una conferma dell'ingratitudine pontificia verso un governo che tanto largo e generoso si è mostrato verso la Chiesa.

Fatto è, che se una ulteriore prova si richiedesse a porre in chiaro il deplorevole stato di cose che si espone nella Allocuzione del Santo Padre, la Circolare di cui trattasi, la somministrerebbe nella maniera più manifesta. Dal momento infatti che la pubblicazione della parola pontificia è sottoposta al beneplacito di un Guardasigilli qualunque, la libertà accordata alla parola medesima non è, e non può essere che illusoria. E il ministro stesso il quale oggi dice che malgrado i motivi che avrebbe avuti di applicare il rigore delle leggi, ha voluto invece far uso di tolleranza: domani o il Ministro medesimo, o chi gli succedesse in quel posto, in luogo di cedere ai decantati sentimenti di tolleranza, potrebbe con eguale diritto mostrarsi severo esecutore di leggi facili ad invocarsi ed in mancanza di altri motivi ricorrere al consueto pretesto

---

sui ministerii exercitium, libertatem in tuto positam; eoquod, Ministri iudicio, omnes Allocutio istaec supergressa sit limites, qui praevideri poterant; specimenque praebuerit ingrati animi erga Gubernium, quod iam Ecclesiam tantà magnanimitate, atque munificientià prosequutum est.

In facto tamen est, quod si luculentius exposceretur argumentum eo consilio ut magis pateret infandus rerum status de quo SSmi Patris Allocutio loquitur, luculentissimum Litterae *circulares suppeditarent. Ex quo enim verbi Pontificii publicatio Ministri* Gratiae et Iustitiae *cuiuslibet arbitrio subiicitur, ludificans fit, quae verbo eidem annuitur libertas.*

Etenim Minister ipsemet qui modo se maluisse refert tolerantiae indulgere, licet pro legum rigore motiva supperterent; dein vel idem ipse Minister, vel in munere eiusmodi successor, loco iactatae tolerantiae, posset, aequo iure, legum rigori manus apponere; quippe quae facile invocari

di cui si fa uso, senza fondamento alcuno, nella Circolare ultima, che cioè il Romano Pontefice dal terreno spirituale trascorre in quello della politica.

Dissi che un tal pretesto s'invoca, oggi in ispecie, senza fondamento alcuno; poichè per chiunque abbia letto l'Allocuzione del 12 marzo è manifesto che l'esposizione di fatti in essa contenuta, tutta riguarda interessi religiosi, tra questi dovendo pricipalmente comprendersi la rivendicazione di una piena e reale indipendenza nell'esercizio dell'apostolico ministero. Che se le ferite fatte alla Chiesa, contro le quali si reclama ora e non si mancò di reclamare in passato — checchè ne dica l'autore della Circolare — sono il triste effetto di politica entrata ingiustamente in terreno non suo, non per questo può dirsi che esca dalla sua sfera chi ha il diritto ed insieme l'obbligo di reclamare, finchè non ottenga riparazione.

Ma evvi anche di più nella Circolare in discorso per ad-

---

queant; aliarumque causarum defectu, rationis speciem desumere ab assueto praetextu, cuius usus recurrit, nulla basi suffultus, etiam in praenotatis Litteris; quod nempe Romanus Pontifex, spirituali posthabito, politicae pervadit campum.

Irrationabiliter sane eiusmodi invocari praetextum, hoc praecipue tempore, cuilibet conspicere est; quisquis enim Allocutionem diei 12 Martii perlegerit, facile edoctus fiet quod factorum series ab eadem exhibita omnino religiosa respicit negocia; inter quae praecipue cooptanda est vindicatio realis independentiae pro Apostolici Ministerii exercitio.

Quod si vulnera Ecclesiae illata, de quibus modo querimur et conquesti sumus, quidquid Litterarum auctor sentiat, tristis sint effectus politicae illius, quae in messem alienam falcem intulit; dici tamen nequit limites praetergredi suos, qui ius habet, cuique onus reclamandi incumbit donec instaurationem receperit.

Verumtamen uberius praeseferunt Litterae argumen-

dimostrare di qual fatta sia la libertà che gelosamente si accorda al Sommo Pontefice. Questa libertà consiste nel permettere alla stampa avversa alla Chiesa d'insorgere in tutte le guise contro la parola del Santo Padre, facendola oggetto d'ingiurie e di bestemmie e falsandone anche il senso, e nel vietare in pari tempo alla buona stampa qualsiasi commento che valga a confermare la verità dei fatti lamentati, e che addimostri deferenza alla voce del Capo Augusto della Chiesa, a' suoi consigli, a' suoi insegnamenti: del qual divieto ebbero già a sperimentare gli effetti alcuni giornali cattolici delle provincie, non per altro sequestrati che per aver espresso la propria ammirazione verso l'Allocuzione pontificia.

Pel clero poi in particolare la libertà che gli si annunzia è espressa con nuove e più stringenti minaccie: di modo che se i ministri del culto, ossequenti alla voce del Supremo Gerarca predichino le sue dottrine, ed inculchino al popolo di obbedirle, abbiano a trovarsi innanzi ad una legge che deci-

---

tum, quo magis eluceat quaenam sit Summo Pontifici relicta libertas. Nam istaec tota in eo est, ut scriptoribus Ecclesiae infensis liceat omnimodis SSmi Patris verba refellere eademque iniuriis atque blasphemiis contemnere, spiritumque earumdem adulterare; scriptoribus vero Ecclesiae addictis ne liceat quidem annotatio, quae factorum veritatem confirmet, quaeque Augusti Ecclesiae Capitis voci, consiliis, et documentis obsequium patefaciat; cuius inibitionis effectus iam expertae sunt nonnullae ex provinciis catholicae ephemerides, quae sequestrationem passae sunt, nulla alia de causa quam quod Allocutionem Pontificiam miratae fuerint.

Quae autem Clero singillatim praenuntiatur libertas, novis comitatur asperioribusque minis; ita ut si Ecclesiae Ministri supremi Hierachae dictis audientes, eiusdem doctrinam praedicent, satagentes ut populi obsequium prestent, facile in conspectu legis constitui possint quae id abusum *decernat in-*

derà esser questo un abuso intollerabile, punibile con il carcere e con gravissime multe. Ed è, mentre si manifestano tali disposizioni, che vorrebbe far credere alla assoluta indipendenza del Sommo Pontefice e dar peso a concessioni che diconsi fatte alla Chiesa dal Parlamento! Il Guardasigilli si appella al buon senso pubblico; ma sembra per verità che in questo non si affidi gran fatto, poichè permettendo solamente l'attacco e vietando la difesa, il suo appello addiviene una derisione.

www.libtool.com.cn

Se non che, il solo fatto di un Ministro che in presenza di un discorso pronunziato solennemente dall'Autorità più Augusta esistente sulla terra, lascia da parte i fatti enunciati come altrettante ingiurie onde Essa è vittima, e chiamando in certo modo innanzi a sè questa autorità, con linguaggio cavilloso e ben diverso da quello cui vuol rispondere si diffonde solamente a tacciarla di violenza e di eccitamento a rivolta, e giunge persino a rimproverarle di aver mosso la-

---

tolerabilem, carcere aliisque gravissimis poenis mulctandum. Interea vero, istis mediis dispositionibus, plena Summi Pontificis asseritur libertas et concessiones, favore Ecclesiae peractae, in Aula Oratorum populi supremis extolluntur laudibus. Publicum idem Minister obtestatur sensum; quem tamen parvipendere videtur, eoquod dum indulgeat, ut (Allocutio) vituperetur eamdemque protueri vetet, sane eius obtestatio illusoria evadit.

Attamen ex unico huius Ministri facto, qui ex verbis solemniter prolatis ab Augustissima omnium auctoritatuum, posthabens facta proclamata, ceu totidem contumelias, quorum Ipsa victima est; et in suo conspectu quodammodo istam sistere cogens auctoritatem, et verbis usus captiosis, longe diversis ab illis quibus respondere ducit, totus in eo est ut eamdem accusel vis, incitationisque ad rebellionem, eamdemque poenitus exprobrans quod questa sit, dum, eius iudicio, agere gratias debuisset; hoc tantum, repetam, suf-

menti, mentre invece avrebbe dovuto secondo lui render grazie; questo solo fatto, dico, basterebbe a dimostrare qual fiducia possa aversi alle ripetute proteste di rispetto e di ossequio verso la giurisdizione spirituale del Capo Supremo della Chiesa.

www.libtool.com.cn

La coscienza dei Cattolici, ben qui può dirsi per verità e non per vezzo oratorio, non potrà a meno di apprezzar come merita un tanto ardire. Essa saprà in particolar modo discernere da qual parte si trovi l'ingratitudine: se presso chi amò sempre l'Italia, ne cercò il vero bene, e ne è anche oggi il sostegno, lo splendore e il più bell'ornamento, o presso chi si adopera a svellere da questa nostra patria le sue maggiori glorie, che sono quelle del Papato, e ad accumulare nell'animo dell'Augusto Pontefice le amarezze ed i dolori.

La S. V. dal suo canto non manchi di chiamare sopra il linguaggio del Guardasigilli, come sopra le osservazioni cui esso dà luogo, l'attenzione di cotesto sig. Ministro degli Af-

---

ficeret factum ut argui queat quaenam fides praestanda sit iteratis proclamationibus tum respectus tum obsequii erga spiritualem Supremi Capitis Ecclesiae iurisdictionem.

Catholicorum conscientiae erit, idque iuxta veritatem, non vero per oratorias illecebras dici queit, aequum ferre iudicium super eiusmodi audaciam. Ipsa enim, peculiari modo perspicere sciet quanam in parte ingratus animus extet; an idest apud eum qui Italiam omni in adiuncto amore prosecutus est, bonum eius curavit, cuiusque etiam nunc fulcrum est, splendor, et pulcherrimus decor; vel apud illum qui prorsus conatur ab hac dilecta patria nostra maximum auferre decus, quod est Romana Cathedra, animoque Augusti Pontificis amaritudines et dolores iniicere.

Amplitudo tua curet, quantum in se est, ut huius Ministri Gratiae et Iustitiae *verba et observationes animadvertat iste Minister ab exteris negociis qui etiam*

fari Esteri; facendogli specialmente riflettere che se hanno giusto motivo di offesa i cattolici italiani i quali, malgrado certi ben noti plebisciti di cui parla la Circolare, addimostrano in mille guise, con vera spontaneità ed in tutte le occasioni la loro ferma adesione al Sommo Pontefice; non minore ragione di lagnanza ne hanno i cattolici delle altre nazioni, ed è perciò interresse speciale dei rispettivi Governi di preoccuparsi seriamente di tale condizione di cose, a seconda appunto delle raccomandazioni fatte dal S. Padre nella Sua ultima Allocuzione: tanto più che coll'invocare che si fa le relazioni diplomatiche di fatto esistenti, e delle quali si esagera a bello studio la portata, si vorrebbe in parte far ricadere eziandio la responsabilità dei mali che dal Sommo Pontefice si deplorano in questa Italia sopra gli stessi Governi esteri, e tanto più ancora che se nel querelarsi di non potere nella situazione attuale convenientemente governare la Chiesa, il S. Padre fa appello all'azione dei fedeli presso i Governanti; que-

---

praecipue perpendat, quod si iure offensione afficiuntur Italiae Catholici qui, nonobstantibus quibusdam valde notis plebiscitis, de quibus Litterae circulares loquuntur, tamen variis modis et ultro omnibus in adiunctis immotam promunt adhaesionem Summo Pontifici; haud leviori de causa dolent aliarum nationum catholici: proindeque cuiuslibet Gubernii maxime interest ut huius rei status serio perpendatur iuxta ea quae SSmus Pater in sua Allocutione expetivit; et eo magis quia invocando, ceu fit, diplomaticas relationes, *de facto existentes, quarumque de industria extollitur vis, censetur quod ipsa extera Gubernia respondeant ex parte de aerumnis quas Summus Pontifex deplorat; idque eo fortius etiam, quia quum S. Pater moereat quod Ecclesiam convenienter his in adiunctis regere non possit, et fidelium actionem apud Gubernia invocet, tamen*

st'azione però, sebbene il Guardasigilli ad arte lo taccia, si vuole consentanea alle leggi dei diversi paesi.

Nell'autorizzarla a rilasciar copia di questo Dispaccio a cotesto sig. Ministro degli Affari Esteri, se ne mostri egli desiderio, Le confermo i sensi della mia più distinta stima.

Di V. S. Illma e Rma

Roma 21 Marzo 1877.

---

actio haec, etsi a Ministro improbetur, innuitur quod legibus diversarum nationum consentanea esse debeat.

Dum Amplitudini tuae potestatem facio harum Litterarum tradendi exemplar, quatenus id cupiat. isti Domino Ministro ab exteris negociis, *meam tibi existimationem atque observantiam confirmo.*

Romae 21 Martii 1877.

www.libtool.com.cn

EX SACRA CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

CANONICAE INSTITUTIONIS

Die 16. Decembris 1876.

COMPENDIUM FACTI. In oppido Dioecesis V. S. Ecclesia paroecialis exurgit, SS. Christi Martyribus Nazario ac Celso dicata. Parochus seu Praepositus in eadem instituitur iure laicali: quod quidem iuspatronatus penes plures familias residere visum est. Res pacifice usque ad annum 1871 processisse fertur. Hoc vero tempore, die scilicet 14 Octobris anni praedicti ultimo obeunte Parocho Iosepho M. ecclesia iterum vacavit; et vota in duobus Sacerdotibus eiusdem Dioecesis conversa sunt. Nonnulli enim patroni nominarunt Ioannem G. alii vero Alexandrum G. Praesentationes ultro excepit Vicarius Capitularis; verum acris inter patronos quaestio agitata fuit apud Curiam Episcopalem super praefato iurepatronatus; quae post acre certamen, favore illorum qui Alexandrum G. praesentarunt dirempta fuit. Appellatione sed vero interposita, quaestio ad Vicarium Generalem Archiepiscopi V. delata fuit; qui sententiam primi iudicis omnino revocavit, atque institutionem in Beneficio Ioanni G. adiucavit.

Reclamavit Alexander G., apud S. C. Congregationem, sed dum causa erat proponenda extremo hic sacerdos occubuit fato. Itaque altero ex competitoribus sublato, cum nullus ex illius patronis iudicio adstaret coram S. C. C. rescriptum in causa fuit. *reponatur*. (1)

(1) Quid verbum eiusmodi « *reponatur* » significet habes Vol. IX. pag. 556. Col. I. Ibi enim dicitur quod si in aliqua quaestione elementa deficiant, quibus res discutienda proponi possit apud S. C. Congregationem, vel res talis sit quam silentio praeterire prudentius videatur ut partes acquiescant; rescribi solet vel *lectum*; vel *reponatur*.

Renuit verumtamen Episcopus institutionem concedere Ioanni G. inidoneum reputans ad officium parochi. Quinimo novum candidatum Sacerdotem Petrum P. Patronis Alexandrum G. (nunc vita functum) nominantibus proposuit praesentandum. Nonnullos ex illis ipsius votum confovisse S. C. Congregationi exinde retulit ; et quamvis Ioannis G. contra novas nominationes oppositionem obiiceret, quae audit *Nihil transeat* (1) nihilominus quum nominationes ipsius nondum fuissent discussae apud S. C. C. et quum nova intercessisset sacerdotis Petri P. praesentatio, assuetum rescriptum editum fuit *ponatur in folio ;* ut quaestio, plenis comitiis, et cum dubitandi formula in calce exposita, dirimeretur.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Defensio Ioannis G. Defensio oratoris Ioannis G. *triplici* directa fuit *obiecto: primo* ut ostenderet plenam potioritatem *vocum* suo clienti prae sacerdote Petro P. suffragari; secundo ut demonstraret praesentationem Petri P. esse attentatam et irritam, atque idcirco reiiciendam; *tertio* ut idoneitatem Ioannis G. contra imputationes eidem contrarias ab Episcopo in S. C. C. factas obfirmaret.

Et quoad primum obiectum, praemonuit defensor, ex hoc potissimum quaestionem ex prioribus vel ipsis praesentationibus efferbuisse, quia nec omnes patroni Ioannem G. confoventes ad nominandum admissi sunt ; nec suffragiorum computatio ad normam iuris a Vicario Capitulari V. fuerat instituta ; unde necessitas exurgit ut computatio votorum in suo ordine restituatur, atque unicuique patrono sua quantitas vocis attribuatur. Computationem votorum nonnisi in *stirpes* instituendam esse ipse defensor contendit. Praemisit in facto, controverti in hoc iudicio de iurepatronatus pure ac simpliciter haereditario; atque hoc demonstravit ex cunctis praesentationibus, quae ab anno 1737 ad annum 1835 intercesserunt. Deficientibus enim tabulis fundationis, natura, haud diversimode ab existentia, iurispatronatus ostenditur etiam iuxta

(1) Vide Vol. IX. pag. 558. et quod significet dictio «*Nihil transeat*» habebis in nota in calce paginis posita.

monitum Concil. Trid. *Sess. 25 de reform. c. 9.* « *ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis spatium.* » Tunc vero potissimum ex hisce praesentationibus haec qualitas eruitur, quando iuxta doctrinam *Pitonii de controv. patron. alleg. 100. n. 360* nominationes emissae sunt intuitu *qualitatis haeredis vel pro rata haereditatis portione.*

Hinc Advocatus elencum praebuit nominationum, quas patroni, diversis temporibus, peregerunt quatenus haeredes. Quum orator naturam haereditarii iuspatronatus constituisset in themate, contendit computationem suffragiorum ita esse ineundam, ut principaliter ad omnes voces ex distinctis stipitibus derivantes computatio fiat in *stirpes;* secundarie autem ad singulam vocem conflandam computatio fiat in *capita.* Ita quippe ratiocinatus est. Iuspatronatus est quidem de natura sua individuum; ita ut quasi in *solidum* in quolibet resideat patrono: exercitium tamen ipsius potest vel aequaliter, vel inequaliter dividi *inter* plures. De Luca *de iure patron. disc. 61. n. 6.* et Berardi *comm. iur. eccl. dis. 4. c. 5.* Quando ius nominandi consistit in diversis familiis per multiplices successiones a variis stipitibus isthoc ius ipsum, sive iure sanguinis, sive iure haereditatis, sive alio quovis legitimo titulo derivantes, tunc locum habet illa duplex computatio. Pro quolibet nempe *stipite* haud amplius, quam una vox tribuatur, ita ut omnes patroni, qui ex eo stipite proveniunt, hanc vocem representent tantummodo; et tunc in computatione omnium *vocum* concursus locum habet in *stirpes.* Quum autem de qualibet *singulari voce* componenda res sit, tunc concursus habet locum in *capita;* ita ut, collatis votis ex diversis patronis ab *eodem stipite* succedentibus, ille nominatus *vocem* integram possideat, qui suffragiorum obtinuerit pluralitatem: ita diffuse ac perdocte tradit idem. *Card.* De Luca *in cit. disc. 61. de iur. patr. num. 8.*

Hoc vero, quod relate ad principalem computationem in *stirpes* ex recepta iurisprudentia ordinarie obtinet in iurepatronatus cuiuscumque naturae, peculiari iure sibi vindicat iuspatronatus *haereditarium* ex pervulgata *Clementina plures de iure patron.* « ibi – *plures ab uno ex patronis Ec-*

clesiae relicti haeredes vocem dumtaxat unius habebunt in praesentatione rectori. » atque ita ex concordi sententia DD. Pitonius de *controv. patron. alleg. 92. n. 27;* De Luca *cit. disc. 61. n. 6.* Lotterius *de re benef. l. 2. qu. 12. n. 126.* Rota Romana *in Lunen. seu Sarzanen. Capellaniae 18. April. 1687* §. *Quae cor. Hervault, Ripana Capellaniae 18 Iunii 1847.* §. *8. cor. Alberghini, et in confirmatoria 13 Decembris 1847.* §. *5. cor. eodem.* Et ratio quidem est omnibus obvia. Si quippe prouti est certissimum *ex C. 45. et 120. ff. de reg. iur.* « ibi – *nemo plus commodi haeredi suo relinquit, quam ipse habet* » per se manifesto patet, quod omnes patroni, qui ab uno stipite ius suum repetunt, haud maiorem iuris partem in patronatus exercitio habere possunt, quam stirpes habuerat. Si integram vocem ille possedit, integram et ipsi possidebunt: si plus minusve illi competebat, plus minusve, pertinebit ad eosdem.

Hisce in iure praestitutis, ad computationem vocum progrediens Ioannis G. advocatus, octo in hoc iurepatronatus ex totidem stipitibus usque ad annum 1835 superfuisse, dilucide ostendit in quodam *statu demonstrativo successionum et nominationum* quem ex productis documentis concinnatum seorsim distribuit. Ex hisce octo vocibus *sex* tantummodo repraesentatae fuerunt ab initio praesentationis, quae locum habuit post obitum ultimi Titularis M. Tunc temporis, *tres voces cum dodrante* (1) obtinebat Ioannes G. unam autem cum quadrante obtinuit Alexander G. altera ex illis senis, ob aequalem Compatronorum sibi invicem adversantium numerum nequaquam computata est. Nunc vero, duobus patronis, qui Alexandrum G. nominaverant, omnino abstinentibus,

(2) **Meminerint lectores antiquos Romanos appellavisse** *assem* **quod dicimus** *unum, totum, hintegrum:* **Quoad haereditates partiebantur totam haereditatem sive** *assem haereditarium* **in duodecim partes vel** *uncias;* **quarum cuilibet nomen proprium dabant sic:** *uncia* **significabat duodecimam partem** *assis* **sive 1|12;** *sextans* **duas partes sive 2|12** *quadrans* **tres partes sive 3|12;** *triens* **quatuor partes sive 4|12;** *quincunx* **quinque partes sive 5|12** *semissis* **sex partes sive 6|12;** *septunx* **septem partes sive 7|12;** *Bes* **octo partes sive 8|12;** *dodrans* **novem partes sive 9|12;** *decunx* **vel** *dextans* **decem partes sive 10|12;** *deunx* **undecim partes sive 11|12;** *assis* **duodecim partes sive 12|12.**

quatuor integras voces suo vindicavit Clienti, et *unam* tantummodo reliquit Presbytero Petro P.

Orator ad *secundum obiectum* defensionis progrediens totus in eo fuit ut evinceret praesentationem Petri P. attentatam fuisse (1) et irritam. Quod ut consequeretur animadvertit praeprimis ; quod in materia electionis, si iudicio inter electos pendente, alter vel recedat vel vita decedat, quaelibet nova electio, usque dum lis ad finem, fuerit perducta, penitus inhibetur, atque attentata et viribus destituta declaratur ; ita in *cap. 1. ut lit. pend. 6.* « ibi – *si....aliquibus apud Sedem Apostolicam vel alibi litigantibus super electionibus de se celebratis, aliquem ipsorum mori.... contigerit, ad electionem aliam (lite super electione superstitis electi pendente) nullatenus procedant ; alias attentata contra hoc, ipso iure viribus non subsistat.* » Quod de electionibus his disponitur, in subsequenti *cap. 2.* praescribitur etiam de *praesentationibus* patronorum « ibi – *si contra quos super dignitatibus, personatibus ecclesiasticis beneficiis, quae possident, litigatur, lite pendente, cedant, vel sorte decedant, ne propter novos adversarios, qui malitiose interdum petitoribus subrogantur, litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat, statuimus, ut dignitates, personatus, vel beneficia huiusmodi, donec contra superstites lis finita fuerit, aliis nullatenus conferantur, nec de ea eligatur quispiam, vel etiam praesentetur. Quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur.* »

Praeterea, ait defensor, nihil officere quod in hoc *cap. 2.* supponatur iam alicui ex contendentibus collata possessio ; quia prout Covarruvias docet pract. *qu. c. 36. n. 7.* non est possessio, sed sola *pendentia litis*, quae impedimentum prae-

(1) In iure dicitur *attentare* quando quis aliquid innovat, lite pendente vel cum iam per appellationem posita fuerit inhibitio executionis sententiae. Etiam apud Romanos *attentata* habebantur ceu gravis iniuria Iudicibus et Legi illata. Ita ut si quis, pendente lite, in solo alieno aedificavisset etiam templum Divinitati, id reputabatur *attentatum;* pro quo dextrui templum iubebatur. Dum ex adverso, si quis, non pendente lite, etiam sciens et malitiose in solo alieno domum aedificavisset, aedificium manebat, *ne ruinis Urbs deformaretur.*

stat novae praesentationi; quoniam si iudicium non penderet sive superstes fuerit institutus, sive non, adversi patroni possent utique praesentare « *nam si praesentato et instituto* (ita Covarruvias) *lite pendente, mortuo, non licet patrono, qui illum praesentaverat, alium praesentare, cessante omnino per mortem praesentatione, et institutione, ergo sola litis pendentia praesentationem impedit, quia ea non pendente, iam, libere patronus, non tantum laicus, sed et clericus potuisset praesentare, etiam absque privilegio vacationis. Igitur praesentatio ratione litis pendentis impeditur.* »

Quaproter *Glossa in cit. cap. 1. uti lit. pend. 6.* subiungit, «*amplia istud caput ad postulationes et prasentationes*» Atque idem ex *identitate rationis* et non per modum extensionis, diiudicandum esse docet Lancellottus *de attent. in praes. c. 4. n. 669.* « ibi - *nec dicit constitutionem illam comprehendere praesentationem per modum extensionis, sed potius ex identitate rationis ibi includi ; quia sicut posse, quod habebant olim electores post mortem electi, hodie impeditur propter litis pendentiam, ita et posse patronorum alium praesentandi intra quadrimestre tempus erat impeditum ob litis pendentiam ex eadem rationis identitate* ». Unanimiter concordant Reiffenstuel *lib. 2. Decret. lit. 6. §. 2. n. 44;* Garcias de *benef. part. 5. cap. 9, n. 217* cum aliis permultis ab iisdem relatis ; nec non Rota Rom. in una *Zamorem beneficii* de *Morales 30 Maii 1856 cor. de Orano per Garciam* ibid. *relata* « *ubi fuit dictum, quod lite inter praesentatos pendente, alteroque ex litigantibus defuncto, patrono non permitti sine vitio attentatorum alium praesentare indubitatum est ex cap. 1. et 2. ut lit. pend. 6.;* atque ita etiam traditur in *Faventina beneficii 18 Decembris 1704* §. *demum cor. Muto.* Accedit Sacra C. Concilii in casu magis duro institutionis iam collatae novo praesentato et superstitis in S. C. succumbentis, prout in *Lauretana Capellaniae 9. Maii 1840.*

Tandem ad *tertium* veniens *obiectum* praefatus defensor summa vi conatus est vindicare idoneitatem Sacerdotis Ioannis G.

ad parochiale beneficium. Quod ut facilius assequeretur ostendit gratuito assertam fuisse eius inidoneitatem triplici ex capite : nempe *propter aetatem, propter opiniones, et vitae rationem* eiusmodi Sacerdotis. Brevitatis gratia a referendis probationibus eiusmodi abstinemus.

www.libtool.com.cn

Altera pars indefensa mansit, quamvis advocatus monitus fuisset.

Quibus in medio prolatis sequens enodandum propositum fuit.

Dubium

An et cuius fovore danda sit canonica *institutio in parochiali beneficio iurispatronatus in casu ?*

RESOLUTIO.

Sacra Congr. Concilii sub die 16 Decembris 1876, causa cognita, respondere censuit :

Affirmative fovore Sacerdotis (Ioannis G.) *praevio examine ad formam iuris.*

EX QUIBUS COLLIGES.

I. Indolem iurispatronatus ita ex canonum sanctione firmatam fuisse ut tamquam ius individuum habeatur et plures fundatoris vel patroni haeredes loco unius habeantur.

II. Indubium ideo esse iuspatronatus per se consideratum individuum censeri ; fieri tamen posse ut in exercitio partes recipiat aequales aut inequales ex voluntate fundatorum, aut ex arbitrio possidentium.

III. Ut computatio suffragiorum recte perficiatur, ob oculos habendam esse duplicem rationem, quando sive iure sanguinis sive iure haereditario, sive quolibet alio legitimo titulo, ius nominandi reperitur in diversis familiis per multiplices successiones a variis stipitibus.

IV. Primo enim suffragia in *stirpes*, secundo in *capita* esse numeranda, ita tamen ut pro quolibet *stipite* vox una tantum tribuatur ; et una vox sit omnibus descendentibus ab uno eodemque stipite, cum ex *leg. 45 et 120 ff. de reg. iur.* « *nemo plus commodi haeredi suo relinquit, quam ipse habet.* »

V. Irritam a sacris canonibus haberi novam illam electionem, quae facta fuerit, quum aliquibus litigantibus de electionibus inter se celebratis, unum ipsorum mori contigerit, lite pendente super electione superstitis.

VI. Ex iure enim ceu attentatum, ideoque nullum censeri quidquid quis innovet lite pendente, vel quum iam per appellationem posita fuerit inhibitio executionis sententiae.

www.libtool.com.cn

SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

Die 13 Maii 1876. et 27 Ianuarii 1877.

Compendium Facti. Reverendissimus Episcopus R. in America ad Emum Praefectum S. Gongregationis de Propaganda Fide epistolam misit sequentis tenoris: « In plurimis Foede» ratorum Statuum Americae Septemtrionalis Dioecesibus, et » etiam in hac mea R. invaluit consuetudo ut pro unica » Missa, quae in Die Commemorationis omnium Fidelium » Defunctorum cantatur, Fideles, contribuant pecuniam. Sum» ma autem pecuniae sic collecta ordinarie tanta est, ut plu» rium centenarum Missarum eleemosynas facile exaequent. » Inter eos qui pecuniam hoc modo contribuunt, plurimi sunt » de quibus dubitari merito possit, utrum eam hoc modo » collaturi forent, si rite edocerentur animabus Purgatorii, » quas sic iuvare intendunt, melius provisum iri, si tot Mis» sae pro iis, licet extra diem Commemorationis omnium » Fidelium Defunctorum celebrarentur, quot iuxta taxam » dioecesanam continentur stipendia in summa totali sic con» tributa.

» Ut erroneae Fidelium opinioni occurratur in quibus» dam Dioecesibus Statuto Synodali cautum est, ut, nisi sin» gulis annis, praevia diligens totius rei explicatio populo fiat, » Missionariis eam Fidelium pecuniam pro unica illa Missa » accipere non liceat.

» Quare Eminentiam Vestram enixe ac humillime precor » ut pro pace conscentiae meae ad dubia sequentia respon- » dere dignetur. 1. Utrum praedicta consuetudo *absolute* » prohibenda sit. Quod si *negative*.

» 2. Utrum tolerari possit, casu quo quotannis praevia » illa diligens totius rei explicatio Populo fiat. Quod si *af-* » *firmative*.

» 3. Utrum, si timor sit ne vel Missionarii praeviam illam » diligentem eamque plenam totius rei explicationem Populo » praebeant, vel Populus eam satis intelligat, Ordinarius istam » consuetudinem prohibere possit et Missionariis iniungere ut » pro tota summa contributa intra ipsum mensem Novem- » bris tot legantur vel cantentur Missae, quot in ea conti- » nentur stipendia, pro Missis sive lectis sive cantatis. Quod » si *affirmative*.

» 4. Utrum ob rationem, quod Missae illae intra ipsum » mensem Novembris legendae vel cantandae sint, Ordinarius » consuetum Missarum sive legendarum sive cantandarum » stipendium pro aequo suo arbitrio pro illis Missis possit » augere. »

Quaestio haec ab Emo Praefecto S. C. de Propaganda Fide ad S. Concilii Congregationem resolvenda remissa fuit.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE CONTRA CONSUETUDINEM PROSTANT. In Concilio Tridentino *Sess. 22, Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae* inter alia praescribitur. « *Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones, potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a simoniaca labe vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeant.*

Super eiusmodi decreto innixi Romani Pontifices varias ediderunt Constitutiones, quibus inopportunae et immoderatae eleemosynarum pro Missis exactiones impedirentur. Admissa

enim eleemosynae retributione pro Missarum celebratione, a remotis usque temporibus plures abusus irrepserant ex avaritia illorum, qui occasionem exinde sumpserunt turpis lucri et quaestus.

www.libtool.com.cn

Ex hisce ergo quae praemonuimus facile colligi potest haud esse satis tutam consuetudinem de qua sermo est. Etenim per eandem fit quod pro unica Missa, quae cantatur in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum impendatur universa illa contributio a Christifidelibus facta; quaeque summam adeo ingentem constituit, ut plurium centenarum Missarum eleemosynas facile exaequet. Et hisce omnibus addendum est quod forsan huic rei haud acquiesceret plurimorum contribuentium voluntas, quatenus rite edocerentur animabus in Purgatorio existentibus melius provisum iri si plures Missae etiam extra unicum diem Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum in eorumdem suffragium applicarentur, distributa nempe illa pecuniae summa in plures eleemosynas iuxta taxam dioecesanam.

Ante saeculum decimumtertium opinio quidem inoleverat quod Sacerdos unico sacrificio satisfacere posset pro pluribus, a quibus consuetam accepisset eleemosynam. Nonnulli theologi quamvis sacrificii fructum quoad effectum finitum esse faterentur, censebantur tamen quod illud pluribus applicatum, aeque singulis prodesset, ac si uni tantum applicaretur; instar radii solaris, qui quamvis finitus sit, aeque tamen in unum ac in multos sese effundit. Quam sententiam damnaverat Concilium Lambertense celebratum anno *1282 cap. 2 decernens.* « *Nec credat Celebrans se dicendo Missam unam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque promisit specialiter, et in solidum celebrare.....Absit enim ne a quoquam catholico credatur tantum intentione prodesse Missam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forsan dicitur, quantum si Mille Missae pro eis devotione simili canerentur. Licet ipsum sacrificium, quod est Christus, sit infinitae virtutis, non tamen in Sacrificio suae immensitatis summam pleniludinem operatur. Alioquin pro uno mortuo numquam oporteret nisi unam Missam dicere.*

Operatur enim in eiusmodi mysteriis distributione certa suae plenitudinis quam ipse eisdem lege infallibili alligavit. » Harduin *tom. 7. col. 862.*

Intitio saeculi 16 nondum erat omnino abolita eiusmodi sententia ; ideoque tum Urbanus VIII in suis decretis anno 1626 pro nulgatis, tum S. C. Congr. aliis decretis editis die 25 Ian. 1659 et 13 Decemb. eiusdem anni illam profligarunt.

Quapropter indubitatum videtur quod remedium aliquod sit adhibendum contra consuetudinem introductam apud plures Americae Dioeceses ; quinimo neque incongruum videri, saltem ad cautelam , exorandum esse SSmum ut condonare velit quidquid in ea re temere fortasse in antecessum actum fuerit. Neque pro futuro tempore sufficere posse videtur cautela illa, quae proposita affertur in quibusdam Dioecesibus statuto synodali ; ut nempe Missionarii singulis annis debeant diligenter fidelibus aperire quod unica illa Missa cantatur in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum pro tota illa pecunia quae contribuitur. Nam per eam cautelam neque omnes fideles offerentes rem noscere queunt ; neque retineri potest quod positum sit in communi Episcopi potestate, statuere posse per eiusmodi manifestationem pro eleemosyna unius Missae cantatae tantam pecuniam sic contributam applicari. Tutior fortasse videretur ratio si perpetuo in templo Tabella exponeretur quae declararet talem esse usum illius pecuniae quae a fidelibus contribuitur. Hoc enim pacto cuivis res tota innotesceret, et quisquis prout eidem libuisset obsecundare suae pietati posset.

Ea quae consuetudini favere videntur. Verumtamen quum eiusmodi consuetudo offerentibus aliquo modo innotescat haud videretur absolute prohiberi posse; praesumitur enim fideles consentire ut pro tota illa pecunia cantetur unica Missa in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum. Missionarii illius regionis, qui etiam curam animarum habent, forsitan indigent auxilio sive pro se, sive pro pauperibus; et fideles divites, hoc in adiuncto, ingentem eisdem pecuniae vim offerunt: quae elargitio potius dici posset Oblatio iuxta *cap. Quia Sacerdotes 13 caus. 20 quaest. 2* « *nisi aliter constet de*

voluntate et intentione offerentis, oblationes fieri censentur Parocho ratione curae animarum, administratione sacramentorum, et aliorum divinorum. » In themate autem pronius praesumi posse videretur intentionem offerentium talem esse ut pro unico sacrificio in die assignato pecuniam totam offerant. Affabre ait Rota *decis. 37. part. 5. tom. 1. n. 13. Recent.* « ibi - *De primo ad ultimum in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo et mens seu voluntas offerentium.* » Barbos. *de Offic. et Potest. Parochi part. 3. cap. 24. n. 31. et Iuris Eccl. univers. cap. 23. n. 21.*

Insuper consuetudo de qua agitur nullam iniustitiam, nullamque iniuriam in se continet; etenim omne pactum iustum et licitum haberi debet, quoties inter utramque partem dolus aut circumventio non intercesserit Quinimo cum agatur de causa pia potius conservanda esset consuetudo illa quam abolenda. Siquidem per eamdem consuetudinem offerentibus nullam inferri iniuriam nullumque preiudicium animadvertit Tambur. in *Method celebr. Miss. lib. 3. cap. 1 de stipend. Miss.* §. *3. n. 8. fol. 465.* observans in istis terminis offerentes eleemosynas non esse invitos, quod prohibitum est in *Decretis dd. Summ. Pontificum* iuxta verba illa *Tambur.* « Rogas » quod si aliqui etc. dent singuli integra stipendia, et con» tenti unica Missa, licebit ne Sacerdoti illi acquiescere? Re» spondeo cum Marchino etc. Licebit quia volenti non fit iniuria. » Instas. At id S. Congregatio petit? Respondeo S. Congregatio » supponit offerentes eleemosynas esse invitos. Caeterum si » consentiant erit perinde, ac si ex mera liberalitate pinguem » eleemosinam elargiantur. » Cui praeter alios, concordat Fagnanus *in 1. part. Decretal. de Sepult. cap. Fraternitatem n. 88.* « ibi - Quilibet potest cedere iuri suo con« sentiendo, ut Missa non dicatur pro se solo; sed pro se et » aliis simul, et talis cessio licet expresse non fiat in casu pro» posito, tamen rationabiliter intelligenda est fieri implicite » non solum in anima eius qui se obligat, sed etiam illius » cui fit obligatio si bene noverit *consuetudinem Ecclesiae.* »

Quantitatem eleemosynae praefinire S. Concilii Congregatio semper Episcoporum prudenti iudicio reliquit; dum nequeat in hac re certa et universalis regula retineri; dum alibi maior, alibi minor ea esse debeat iuxta locorum et temporum circumstantias. Attamen per eiusmodi taxationem Sacerdotes haud vetantur pinguiorem accipere eleemosynam a sponte dantibus: ceu innuit Bened. XIV. *Synod. Dioec. lib. 5. cap. 9, n. 2.* « Nec Regulares tamen nec saeculares » prohibentur uberiorem stipem a sponte dantibus accipere, » dummodo absit dolus, et quodcumque pactum, etiam implici- » tum..... Quod si homines divites maius stipendium quam » lex, aut consuetudo praescribit, gratis et spontanee darent » Sacerdoti illud legitime posset accipere Sacerdos. »

Quibus praenotatis remissum fuit EE. CC. prudenti iudicio resolvere quonam responso dimittenda essent dubia Episcopi Dioecesis R.

www.libtool.com.cn

RESOLUTIO.

Sacra Concilii Congregatio, causa discussa sub die 13 Maii 1876, respondere censuit – *Dilata et exquiratur votum consultoris.* Sub die vero 27 Ianuarii 1877 eadem S. C. Congr. audito Consultoris voto, sequens dabat responsum: *Nihil innovetur: tantum apponatur tabella in Ecclesia, qua fideles doceantur, quod illis ipsis eleemosynis una canitur Missa in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.* »

EX QUIBUS COLLIGES.

I. Per sacros Canones prohiberi, quoad eleemosynas missarum, quidquid ad avaritiam pertinet, quodque turpe sapiat quaestum: ceu sunt importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones.

II. Proinde a iure canonico haud consuetudinem admitti ullam, qua fieret ut pro pluribus eleemosynis una tantum applicaretur Missa: nequit enim Sacerdos ullo modo una tantum Missa satisfacere pro pluribus pro quibus promisit *specialiter et in solidum* celebrare.

III. Etenim quamvis sacrificium Missae sit virtutis infinitae, tamen Christus, qui est idem sacrificium, non operatur summam suae immensitatis plenitudinem, sed in eiusmodi mysteriis operatur certa distributione suae plenitudinis, lege infallibili eisdem alligata.

www.libtool.com.cn

IV. Verumtamen licere Sacerdoti cuique plures accipere eleemosynas pro unica Missa, quoties id noverint offerentes; quum enim dolus et circumventio absit omne pactum inter Sacerdotem et offerentes haberi debet licitum atque iustum.

V. Illos namque, qui singuli integra offerant stipendia, et contenti sint ut pro seipsis omnibus una applicetur Missa, perinde agere ac si ex mera liberalitate pinguem elargirentur eleemosynam.

VI. Consuetudinem in themate haud reprobari potuisse; dum offerentibus innotesceret; neque dici possit eosdem invitos stipendia quamplurima praebere pro unica Missa litanda in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

VII. Maximam insuper a S. Rota firmatam fuisse; quod in materia oblationum legitima attendenda sit locorum consuetudo, et mens seu voluntas offerentium.

POSTULATUM CIRCA CONCURSUS AD PAROECIAS

www.libtool.com.cn

Die 8 Martii 1877.

PER SUMMARIA PRECUM

Inter caeteras Tridentini Concilii dispositiones, quibus antiqua disciplina mutata est, gravissima procul dubio illa existit, qua sancitum fuit, ut pro vacantium parochiarum provisionibus institui deberet concursus atque examen, et digniori inter eos qui idonei reperti forent, parochia conferretur *cap. 18. Sess. XXIV De Reform.* Hanc autem constitutionem magis determinarunt S. Pius V et Innocentius XI, quibus postea accessit Clementis XI decretum per Sac. C. C. latum die 10 Ianuarii 1721 eum in finem quia « cum neque » Concilii decreto, neque Pontificis Bulla examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proponatur, difficile dictu est quanta examinum aliorum alibi diversitas extiterit, atque hinc occasio querelarum. » Verumtamen neque per ea quae in citato decreto statuta fuerunt satis consultum huic negotio visum est; siquidem a Benedicto XIV determinandae in conferendis per concursum parochiis formae ultima fuit manus apposita, idque praestitit in Constitutione *Cum illud:* ubi postquam ostendit statutam normam concursus aliquo indigere complemento et moderamine universam hanc rem auctoritate Apostolica ordinat, et servandam praescribit (1). Post haec omnia quaestionibus et dubiis hac super re valedictum fore videbatur. Novae ast vero in dies petitiones ad S. C. C. ab locorum Ordinariis porrectae contrarium evincunt, et huiusmodi veritatis confirmationem sequens praebet postulati expositio.

(1) Recole quidquid in subiecta materia relatum fuit in huius ephemeridis Vol. VII pag. 340 et seqq. cum Appendice X eiusdem voluminis. Vide insuper Volumen IX pag. 236.

Reverendissimus Episcopus C. in transmittenda ad S.C.C. relatione status suae Ecclesiae, haec definienda proponit:

« 1. An possit fieri concursus pro parochiali Ecclesia » assequenda, si edictum ad valvas eiusdem Ecclesiae affixum » ante diem decimum iugis affixionis, fuerit quoquo modo » avulsum ac perditum, verum habeatur aliud edicti eiusdem » exemplar, quod ad valvas Cathedralis Ecclesiae per decem » continuos dies affixum fuit?

» 2. At quoniam in hanc materiam ingressus sum, plu- » ra nunc mihi veniunt in mentem ab Eminentiis Vestris » postulanda, eo quod non una eademque servetur praxis ha- » bendi ac discutiendi concursum in Curiis Episcopalibus; » enim vero suffragiorum numerus alibi maior est, alibi mi- » nor, videlicet hic duodeviginti, illic centum, quod nil aut » parum refert, tanti enim valet unum ex decem, quanti de- » cem ex centum, immo saepe multitudo suffragiorum faci- » litatem praebet notandi non modo rectitudinem responsio- » nis, verum et illius eruditionem per auctoritates allatas vel » s. Scripturae aut SS. PP. aut per propositiones ab Eccle- » sia damnatas etc. Sed multum interest quinam dicta suf- » fragiorum puncta tribuere queat; sunt enim Curiae in qui- » bus puncta praedicta sunt 120, quorum 60 accipit Episco- » pus, et cui vult tribuit, et alia 60 Examinatores dividunt » inter se viginti scilicet pro unoquoque. In aliis Curiis, ut » in hac, Episcopus nullum sibi punctum reservat, sed dum- » taxat paritatem, vel singularitatem dirimit iuxta Triden- » num. Verum nec uniformiter paritas haec aut singularitas » intelligitur. Quidam sentiunt paritatem esse si duo exami- » nati aequalem suffragiorum adprobationis numerum tule- » rint, tunc Episcopus paritatem dirimit, eligendo quem ma- » luerit, aut si quis medietatem tulerit suffragiorum, Episco- » pus dirimit paritatem accedendo pro adprobatione aut re- » probatione. Et similiter si Examinatores sunt quatuor, et » duo consentiunt pro adprobatione vel reprobatione, vel pro » dato numero punctorum, alii vero duo dissentiunt, Episco- » pus dirimit,

» Sic pariter de singularitate opinatur diversimode.

» 3. Quoad electionem vero inter approbatos ab Episcopo faciendam dissimilis etiam Curiarum est praxis. Alibi sufficit aliquem esse adprobatum licet minori suffragiorum numero, quam alios ut valeat illum Episcopus eligere; hic autem non potest Episcopus eligere nisi quem maior suffragiorum numerus digniorem demonstrat, quia digniorem eligere debet, unde huiusmodi electio non est libera in Episcopo, sed pendet a suffragiis Examinatorum.

» Et ita de aliis difformitatibus, ne nimium Vos fastidiam, Emi ac Rmi Patres, dicendum esset. Hinc normam authenticam ab ista S. Congregatione sanciendam et in praxi ab omnibus servandam crederem opportunam, si ita Vobis quoque videbitur, vel saltem me omnium imperitissimum edocere velitis. »

Disceptatio synoptica.

Eiusmodi quaestionem dirimere videtur Garzias *De benef. part. 9, num. 38 et seqq.* ubi refert declarationem Synodi Toletanae ad Constitutionem Pii V *In conferendis* a S. C. Congregatione adprobatam anno 1577; hinc operae pretium putatum fuit eadem verba praefati auctoris referre, Garzias itaque *de beneficiis part. 9, num. 38 et seqq.* haec habet.

« Quamvis Zerola *in praxi Episcopali 1 part.* verbo » *Parochia* § *2, 2 dub.* et Cechus *de repub. Eccl. Cap.* » *28 de paroch. n. 6* dicant edictum esse necessarium ex dicta » Bulla Pii V et declaratione S. Congregationis dicentibus » collationem parochialem factam sine examine per concursum esse nullam, tamen falluntur, nam edictum non est » praecise *necessarium* ad concursum, qui sine edicto fieri » potest, ut in dicto decreto Concilii. In quo etiam novissime » fallitur Ioan. Franciscus Leo *in thesaur. for. Eccl. cap 18,* » *n. 28*... Terminus Edicti currit ex quo tam in valvis Ecclesiae Cathedralis quam Ecclesiae beneficii praefixum est, et » expectandum erit quod labatur terminus ex quo ultimo praefixum est. Nec est necessarium quod Edictum stet affixum per

» illorum viginti dierum spatium, sed est arbitrium quanto tem-
» pore debeat manere affixum, Zerola *prax. Episcop.* § *.2. 2*
» *dub. Tocin. de cit. art. 23, q. 10. Rebuff. ad ll. Gall.*
» *tract. de citat. in praef. 102,* et novissime *Cevall. q,*
» *898, num. 36* dicens quod Edictum debet manere affixum
» per aliquod tempus etc. Et sufficit quod Nuntius vel No-
» tarius referat quod edictum fuit affixum in loco, licet non
» dicat quanto tempore stetit, *ad Bar. in Estravag. ad re-*
» *primendum verbo publice; Soc. et Rebuff. supra Maran. 6*
» *pa.. membr. 1 de citat. num. 96:* et ita practicatur. Et
» illa verba decreti Concilii Compostellani *per viginti dies ut*
» *minimum praefigatur,* designant terminum Edicti, non tem-
» pus affixionis: quamvis Cechus *d. m. 6 circa fin.* dicat quod
» Edictum debet stare affixum per totum tempus illius . . . Et
» Quamvis Zerola *d. 1 dub.* dicat quod Edictum ipsum prius
» debeat legi publice et postea affigi, *ex Bart. et Maran.*
» *supra, Iuschus de Visit. lib. 2, c. 5, num 1 ad fin.,*
» tamen id etiam non est necessarium, nec servatur, sed
» sufficit quod affigatur: et Iuschus ibi *cit.* ait quod id non
» in omnibus servatur . . . .

» Apparet ex dicta declaratione Toletana §. 5 examen
» ad parochiales vacantes debere fieri cum examinatoribus
» saltem tribus, quod patet ex ipso Concilio c. 18 – ibi –
» *non paucioribus quam tribus:* – et notat Petrus Ledesma
» *2 p. Summ. tract. 7, c. 1. 7 concl. circa 13 diff. et*
» *Nurc. Ant Genuens. in prax. c. 66, in adnot. num.*
» *17:* circa quod S. Congreg. Concilii declaravit quod non
» statuit praecise ut examinatores sint tres, sed quod non
» possint adesse pauciores tribus, ita, quod si tres sunt tan-
» tum examinatores, vota non possint esse paria, sed sin-
» gularia, quando singuli singulos approbant. Declaravit etiam,
» quod satisfactum fuit huic decreto si tertius examinator
» examinaverit et sit praesens in approbatione, licet vo-
» tum suum non explicavit . . . Apparet ex dicta decla-
» ratione Toletana §. 5, quod si vota examinatorum paria,
» aut singularia fuerint, accedere potest Episcopus seu Vi-

www.libtool.com.cn

» carius, quibus magis ei videbitur, ut patet ex ipso Concilio
» versu *transacto*. Nam, ut censuit sacra Congregatio, Epi-
» scopus tantum vel eius Vicarius habet votum decisivum
» in hoc casu. Et ita Flaminius Parisius *de re benef. lib.*
» *8, q. 9 num. 105 et 106* ait per S. Congregationem fuisse
» resolutum examen esse faciendum coram Episcopo vel eius
» Vicario absque ipsorum voto decisivo, et tantum eos posse
» accedere ubi vota sunt paria, vel singularia, quod etiam
» ait *Cechus d. num. 6 et 7, et Gratianus decis. 97, n. 18,*
» *Sbroc.de Vic.Episcopi lib 2.q.211.num.8, et in addit. ibi*
» *Ugol. de off. Episc. c. 50,* §. *3 n. 1, et* §. *12, num. 3.*
» Accedit etiam alia declaratio S. Congregationis, quae sic
» ait: - An si existentibus quatuor examinatoribus singuli exa-
» minati dimidium tantum suffragiorum reportarunt, ex non
» approbatis Episcopus aliquem possit facere approbatum?
» Congregatio censuit *posse*. Quae accessio Episcopi seu Vica-
» rii debere fieri in ipso examine, seu coram ipsis examinatoribus
» simul cum Ordinario congregatis, ut in dicto verbo *trans-*
» *acto*, et in vers. seq. *adveniente*. Quamvis electio ex ad-
» probatis facienda ab Episcopo ex vers. *peracto deinde exa-*
» *mine*, possit ab eo fieri ex post facto et separatim, cum
» ad ipsum solum spectet uti diximus infra v. 13 apparet.
» Illud autem quod dicitur de votis singularibus quod Epi-
» scopus seu Vicarius possit accedere quibus magis videbitur,
» non procedit quando singuli examinatores approbent unum
» quem alii reprobant; nam tunc revera non sunt vota sin-
» gularia, ut in sequenti declaratione S. Congregationis
» 1. Utrum stantibus verbis Concilii, ibi, *quorum votis si*
» *pares aut singulares fuerint*, et si ex tribus examintoribus
» quilibet eorum unum approbaverit, et alii approbatum ab
» altero reprobaverint, accedente Episcopo uni vincat alios
» duos reprobantes, ex quo sunt numero pares probantium
» et reprobantium? Congregatio respondit *non vincere, et*
» *neminem istorum videri approbatum. 2* Item an idem
» dicendum sit quando sunt quinque examinatores et quilibet
» eorum approbat unum ex examinatis, et caeteri quatuor

» reprobant approbatum ab altero, Episcopo uni illorum ac-
» cedente ex quo vota sunt singularia an iste cui accedit
» Episcopus sit praeferendus et sic unus ex examinatoribus
» cum Episcopo vincat alios quatuor reprobantes? *idem* re-
» spondit S. Congregatio. 3. Similiter si unus tantum com-
» pareret ad se examinandum coram tribus examinatoribus
» uno illorum approbante, caeteris reprobantibus, an illis possit
» accedere Episcopus? respondit S. C. *non posse et examina-*
» *tum dici reprobatum*. Et ita est accipiendum quod tradit
» *Genuen d. cap. 66, 4 et in annot. n. 18*.

» Sed iuxta hoc succedit difficultas quando dicantur vota
» singularia ut Episcopus possit accedere quibus magis vide-
» bitur supposito quod examinatores debeant esse tres ad mi-
» nus, ut dictum est. Respondetur quod cum ex tribus exa-
» minatoribus unus approbat unum quem alter reprobat, tunc
» dicentur vota singularia, ut Episcopus possit accedere quibus
» magis videbitur et ita procedit quod ait *Ugol. d. c. 50*
» §. *12, num. 3.*, quod singulares sunt quando quisque
» examinator unum adprobaverit, et idcirco singulos. Unde
» videtur falsum quod ait Petrus Ledesma supra. quod si tres
» examinatores fuerint divisi in suis votis, potest Episcopus
» vel Vicarius accedere cui voluerit, quod est omnino falsum
» et si duo fuerint pro una parte, et alius pro alia, potest
» etiam Episcopus vel Vicarius accedere parti cui voluerit,
» quod est omnino falsum: nam si duo sunt pro una parte
» et unus pro alia, non sunt pares nec singulares etc.

» Apparet ex d. §. quod ex approbatis et renunciatis
» per Examinatores solus Episcopus vel Vicarius et non ipsi
» examinatores debent eligere magis idoneum ut in *declar.*
» *Abulen. supra cit. n. 104* et in alia *declarat. supra d.*
» *cap. 18* quae sic ait: *non spectare ad examinatores sed*
» *ad Episcopum eligere ex approbatis magis idoneum*. Et
» in alia *Perus*. et *Barchinon*. quae sic ait: Sciendum quod
» aliqui examinatores praetendebant ad eos spectare idoneiorem
» eligere, et ita de facto plures fuerunt provisi, quibus ex
» gratia Sñus mandavit ut expedirent novas provisiones. Et

» in alia *Paduana* quae sic ait - Per hoc decretum nulla unquam » facultas data est examinatoribus in electione idoneioris ad ei » beneficium conferendum, sed ea ad solum Episcopum spectat; et » ita etiam censuit S. Congr. *5 Aprilis 1598*, et in una *Co-* » *chen. 5 Iulii 1599* et tradit Leo *dict. cap. 18 num. 34*, » referens dictam declarationem Barchinonen. et Paduanam. –

» Unde ex approbatis Episcopus suo iudicio et non ex » votorum calculo, numero et collectione potest eligere et de- » bet eum, qui sibi magis idoneus videatur, ut alias censuit » S. Congregatio super dictum cap. 18 his verbis: - Singuli » examinatores possunt et debent dare vota super qualitate » cuiuslibet examinati ex forma vers. *transacto*. Et Episcopus » non ex collectione horum votorum debet eligere, sed ex » versu *practo*, Examinatores debent solum renuntiare duos » vel tres, verbi gratia, examinatos idoneos, deinde Episcopus » absque votorum calculo, sed suo iudicio debet eligere di- » gniorem. Alia. An si pluribus examinatis aliqui ultra di- » midium vocum fuerint consequuti et sic approbati, et unus » omnia suffragia prospera reportavit, Episcopus facta per » examinatores relatione possit postposito illo, in quem omnia » suffragia confluxerunt, alium ex eis eligere, qui ultra di- » midiam partem vocum habuerint, cum omnes approbati » dicantur? respondit Congregatio *posse:* tradit *Genuen. in* » *praxi cap. 66 in annot. num. 108, et Leo d. c. 18 num.* » *32* . . . Et sic procedit sequens declaratio S. Congregationis. » Approbantibus licet examinatoribus aliquem tamquam magis » idoneum in scientia cuius tamen mores ignorantur, et ha- » bentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum et » approbatum in moribus, hic ultimus est praeferendus. Cui » consonat alia quae sic ait - praeferendus est minus doctus » modo idoneus quando eius mores sunt noti et approbati, » doctori, cuius vita ignoratur etc. »

Quibus in medium deductis EE. CC. iudicio relictum fuit resolutionem dubiis praefatis praebere.

RESOLUTIO. Sacra C.C. sub die 3 Martii 1877 ea quae sequuntur dabat responsa.

Ad I affirmative

Ad II praxim Curiae C. prout proponitur servari posse.

Ad III Episcopum non teneri ad eligendum tamquam digniorem, quem Examinatores maiori suffragiorum numero adprobarunt.

www.libtool.com.cn

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Ex decreto Concilii Trid. *Sess. 24 cap. 18 de ref.* erui edictum ad concursum haud esse praecise necessarium: habetur enim « ibi » *Et si Episcopo aut Synodo provinciali, pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari.*

II. Haud ex iurisprudentia canonum determinatum fuisse quanto tempore edictum manere debeat affixum; sed sufficere ut maneat per aliquod tempus tam ad Valvas Cathedralis, quam ad Ecclesiam beneficii conferendi.

III. Proindeque illa verba decreti Concilii Compestellani *per viginti dies ad minimum praefigatur* designare terminum edicti, non autem tempus affixionis.

IV. Ex praefato Tridentini decreto colligi etiam quod Examinatores pro conferendis paroeciis haud esse possint pauciores quam tribus, non autem quod iidem praecise tres esse debeant.

V. Episcopum et eius Vicarium voto decisivo carere dum agatur de constituenda concurrentium idoneitate; sed eosdem posse tantum accedere ubi vota sunt paria vel singularia.

VI. Vota dici singularia cum quisque examinator unum approbet, ita ut singuli singulos approbent.

VII. Praxim Curiae C. haud reprobari potuisse dum Episcopus vel eius Vicarius accedant Examinatorum votis eo consilio, ut paritatem aut singularitatem dirimant; quod consonat aliis S. C. Concilii resolutionibus.

VIII. Examinatores posse tantum renunciare quot fuerint reperti idonei, non vero designare digniorem; quum ipsa S. C.C. in una Abulen. declaraverit *non spectare ad examinatores sed ad Episcopum eligere ex approbatis magis idoneum.*

CONCORDIAE, INDULTI ET CONDONATIONIS

www.libtool.com.cn

Die 8 Iulii 1870.

Per summaria precum

Compendium facti. Capitulum S. patronatu gaudet super Ecclesiam ruralem sub titulo S. Mariae, quae ab urbe S. parum distat. Usque ab anno 1844 Canonicus B. iussu Episcopi excolere coepit sacrisque imbuere doctrinis plebem innumeram quae Ecclesiam eamdem circumstat. Verumtamen quum populi cura exposceret residentiam Sacerdotis perennem, Canonicus B. exemptionem a choro petiit; eamdemque obtinuit sub die 10 Septembris 1866 *ad triennium arbitrio et conscientia Episcopi.*

Mense tamen octobris eiusdem anni in gravem incidit morbum Canonicus B. a quo morbo (hernia) imparem ad labores amplius tolerandos ille efficiebatur, nullaque spes aderat amplius ut ab eodem sanaretur. Hinc medicorum consilio a choro abstinere omnino debuit; et eorumdem gravibus innixus testimoniis die 2 Iulii anni 1870 alterum consequutus est rescriptum « *Pro gratia dispensationis a chori servitio et a residentia pro diebus festis tantum; amissis tamen distributionibus, quae inter praesentes fieri dicuntur ad biennium.* »

Verumtamen biennio expleto, etsi Capitulum annueret praedicti Canonici favore absentiae a choro, ob immensas curas quas ille impendebat in populum S. Mariae; reclamabat tamen ab eodem canonico fallentiarum solutionem ab anno 1861 ex quo choro interesse destitit, ascendentium ad libellas 3990:72. Canonicus vero B. repetebat impensas de proprio factas ad

instaurandam decorandamque Ecclesiam S. Mariae. Episcopus interdum ut nonnullos removeret abusus qui inter canonicos irrepserant, praesertim in non solvendis fallentiis, huiusmodi quaestionem componere curavit cum Capitulo, habito respectu ad merita insignia Canonici B. Hinc in comitiis capitularibus conventum est ut omnes condonarentur fallentiae, dummodo Canonicus B. nil repeteret de impensis factis: immo cederet omnia utensilia et melioramenta in eadem ecclesia facta in bonum Capituli eiusdem Ecclesiae patroni. Statutum insuper fuit quod Capitulum assentiretur ut Canonicus B. morari posset, causa suae valetudinis apud Ecclesiam S. Mariae, in qua excolere prosequeretur plebem christifidelium: dummodo, Apostolico praevio indulto, tertiam redituum partem relinqueret favore interessentium.

www.libtool.com.cn

Ordinarius retulit reditus canonicorum illius Cathedralis distributionibus quotidianis constitui, et dispesci in sexcentum punctaturis. Cumque magnis prosequutus fuerit laudibus Canonicum B. ob assiduam animarum curam, pro qua exemplaris instar eumdem obstendit, eas quae sequuntur fecit propositiones.

1. Ut S. Congregatio Concilii intuitu expensarum ingentium maximique boni spiritualis a Canonico peracti, indulgeret eidem ut retinere posset quidquid ex punctaturis habuit, quatenus indebite percepisset, idque eo magis quod in praesenti mediis careret ad restitutionem peragendam.

2. Ut idem Canonicus dispensaretur ab assistentia Chori absque ulla temporis limitatione tum ob eius valetudinem, tum ne fructus spiritualis ex laboribus triginta annorum partus detrimentum pateretur, satis factis tamen Missis hebdomadae et anniversariis.

Disceptatio Synoptica.

EA QUAE ADVERSUS CANONICUM B. FACIUNT. Concilium Tridentinum in *Cap. 12 Sess. 24 de Ref.* Sanxit. *Distributiones. . . . . qui statis horis interfuerint recipiant, reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta*

Bonifacii VIII decretum, quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. « Hoc loco animadvertit Bened. XIV *Inst. 107* § *42* » *duo nominat Concilium nempe collusionem, ac remissionem. Primo evenit quando choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis, quamvis absentes revera fuerint. Remissio tunc habetur, cum pars una sponte ac sine ulla conventione distributiones quotidianas alteri parti remittit et relinquit. Utramque S. Concilium gravissime improbat atque interdicit, quamvis autem id severum nimis videatur, ut alteri donare non liceat ea, quae sibi quivis comparavit, tamen parendum omnino est, cum haec iussa indixerit, qui decernendi facultatem habebat.* »

Et Suarez *Tom. II De Relig. lib. 4 de horis canonic. cap. 10 n. 20* S. Congregationis decretum his verbis conditum recenset: « *Non licet Capitulo aliquo praetextu distributiones quotidianas donare, relinquere, aut quavis collusione remittere alicui, qui ab ecclesiae servitio abfuerit, vel alio quovis modo distributiones legitimas amittere debeat; nec fas sit cuispiam eas recipere, et si receperit suas ne faciat, sed eas restituere omnino cogatur.*

Hanc fuisse revera praxim S. Congregationis Concilii facile colligitur ex causa Taracinae diei 13 Ian. 1624 quae refertur in lib. *12 Decret. pag. 149* « ibi - *Sacra Congregatio censuit Canonicum uti proponitur, absentem punctari debere, nec licere Canonicis eadem puncta, seu quotidianas distributiones remittere aut condonare, cum eiusmodi collusiones aut remissiones prorsus sustulerit eiusdem Concilii decretum.* »

Ex rebus nunc praeiactis facilis illatio descendere videtur quod conventio in themate adprobari nequeat, utpote quae S. Concilio Trid. refragari videatur. Et eo minus attendendum est quod Ordinarius retulit aiens: quamdam fuisse initam compensationem inter Capitulum et Canonicum B. hic enim plurimum de proprio contulit in restaurationem Ecclesiae. ideoque ab eodem retineri posse distributiones indebite perceptas

ob absentiam a choro. Etenim neminem fugit compensationem tum locum habere, cum utrinque adsit certum ac liquidum creditum ac debitum. Iamvero ex parte Canonici B. debitum certum est, ast creditum haud esse videtur liquidum, cum non constet quid et quantum impenderit. Insuper si Canonicus B. ut restauraret exornaretque Ecclesiam plurimum de proprio impendit, nullo cogente id fecit, et ut ostenderet suam erga Deiparam devotionem. Ergo nil repetere potest a Capitulo, et nulla ratione excusari potest a fallentiarum solutione, nec non a distributionum indebite perceptarum restitutione. Ast dato quidem et non concesso quod vera compensatio locum habere potuisset, id tamen non licere ex dictis patet.

www.libtool.com.cn

Neque concedi posse videtur Canonico B. indultum absentiae a choro ceu petit Episcopus, cum res sit omnino a iure et a praxi S. C. Congregationis exhorbitans, et in iure odiosa, nonnisi raro et gravissimis de causis aliquando conceditur. Infirmitas vero, quae favore Canonici B. allegatur, ea non videtur esse quae accessum ad chorum eidem impediat: si enim potuit confessionem excipere, verbum Dei praedicare, aliaque quidem gravia s. ministerii munia peragere, sane minus erit choro interesse.

Ea quae canonico B. prodesse videntur. Cum tamen infici nequeat quod Canonicus B. bonum opus operatus sit, tum quoad animarum salutem, tum quoad ornatum et instaurationem, propriis impensis, Ecclesiae, quae in patronatu Capituli est, conventio approbari posse videretur. Et re quidem vera optimo iure visum est Canonicis quibus fallentiae Canonici B. accrescere debuerunt, eas ab eodem haud repetere posse quia ipsis, utpote patronis praedictae Ecclesiae plura incumbebant onera circa eamdem, quae eo devenerat ut capellarum receptaculum effecta fuerit, nullaque adesset via quae ad Ecclesiam duceret. Hinc quoniam Capitulo aliquid debebat Canonicus B. ratione punctaturarum, et Capitulum Canonico ratione expensarum quae in Ecclesia praedicta factae fuerant, ad evitandos inanes circuitus locus compensationi datus est. Cum ergo omnis collusio exulet atque remissio, praefata conventio Tridentino non adversatur, ideoque probari potest.

Quoad indulti concessionem observatum est, quod infirmitas in iure civili quoque a munere et officio semper excusaverit, ceu patet *ex l. 2, § Si quis iudicio ff. si quis cautionibus et l. 60 quaesitum ff. De re iudicata.* Ex parte iuris Canonici piissima Mater Ecclesia morbo vexatos summa humanitate ac pietate iugiter prosequuta est. Hinc Bonifacius VIII *in celeb. cap. Consuetudinem De Cler. non resid. in VI,* quod a Concilio Trid. renovatum fuit, quum generatim constituerit absentes distributiones carere, adiunxit statim: « *exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret.* » Quod etiam S. Concilii Congregatio pluries indultum eiusmodi concesserit facile videre est, nam usque ab anno 1511, 15 Aprilis statuebat: *Eos qui absunt a servitio chori propter infirmitatem. . . . . percipere debere distributiones quotidianas sui Canonicatus, perinde ac statis horis interessent:* ex lib. XI Decretor. pag. 98 a tergo. Item in causa distributionum diei 2 Decem. 1666.

Infirmitatem vero Canonici B. eam esse ob quam concedi soleat indultum ex medicorum depositione erui potest. Isti enim autumant quod ex speciali Dei auxilio repetendum sit quod Canonicus B. adhuc possit ea exercere, quae in animarum bonum illius Ecclesiae redundant, dum viribus corporis, poenitus destitutus sit.

Neque casus iste habet aliquid novi, nam evenit aliquando ut morbus de se levis, gravior efficeretur per accessum ad chorum, ceu Passerinius notat, aliis omisis, ad *Cap. Consuetudinem regul. 4, Conclus. 5, n. 90 De cler. non resid. in VI* « ibi – *Posset tamen dari casus quod infirmitas permitteret Canonicos aliquantisper ex causa sanitatis exire e domo, et non permittere adesse choro; unde in his arbitrium boni viri debet attendi.* »

Tandem haud obliviscendum est apprime adnumerari inter causas, quibus absentiae indultum conceditur, etiam ecclesiae utilitatem. Ex dictis siquidem cuique innotuit quare utilitas Canonici B. Ecclesiae provenerit, neque id memoria repetere

iterum oportet, quoniam ex relatis patet Ecclesiam in qua sacra exercuit ministeria pro animarum bono Canonicus B. Ecclesiam Cathedralis succursalem fuisse, ideoque id peragendo eiusdem Cathedralis munus officiumque implevisse.

www.libtool.com.cn

Hisce praeiactis quaesitum est quonam responso dimittendae essent preces Canonici B.

Resolutio. Sacra C. Cong. animadversis expositis, sub die 8 Iulii 1876 responsum dedit:

Iuxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo.

Ex quibus colliges.

I. Omnem collusionem et remissionem quoad distributiones quotidianas ex iure prohiberi, dum Conc. Trid. edisserit: *qui statis horis interfuerint recipiant* (distributiones) *reliqui vero quavis collusione aut remissione exclusa his careant.*

II. Collusionem, quoad chorales distributiones haberi, quando choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis, remissionem vero quando pars una sponte ac sine ulla conventione distributiones quotidianas alteri parti remittit ac relinquit.

III. Neque cuilibet easdem distributiones recipere, neque suas facere si receperit fas esse.

IV. Conventionem in themate probandam fuisse videri: quum enim omnis collusio et remissio abfuerint, Tridentina dispositio, quoad distributiones chorales, haud laesa manet.

V. Indultum absentiae a choro haud denegari potuisse videri Canonico B. quum pro eo militarent praecipuae causae, quibus eiusmodi gratia concedi solet, infirmitas idest et evidens Ecclesiae utilitas.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

CAMERACEN.

12 Februarii 1877

SUPER CONFRATERNITATIBUS SANCTISSIMI ROSARII COMPENDIUM FACTI. Sacerdos L. Rector Paroeciae de T. Archidioecesis Cameracensis in Gallia octo proposuit enodanda dubia S. C. Indulgentiarum. Duo priora, quorum alterum Confraternitates in genere respicit, alterum ad SSmi Rosarii Confraternitates in specie sese refert, deprompsit orator ex decreto S. C. Indulgentiarum edito die 2 Augusti 1760; quod est sequentis tenoris « Sanctissimus Dominus Noster Clemens PP. XIII benigne » concessit ut Confratres et Consorores cuiuscumque Confraternitatis seu Sodalitii aut Congregationis ubique locorum existentis dummodo sit auctoritate ordinaria erecta, aliqua corporis » infirmitate laborantes, vel carceribus detenti eisdem omnibus » et Singulis Indulgentiis, quibus gaudent caeteri Confratres et » Consorores gaudere possint et valeant: ita tamen ut omissa » visitatione Ecclesiae, alia pia opera iniuncta, quae pro viribus » peragere poterunt fideliter ac devote exequantur. Voluitque » Sanctitas Sua hanc gratiam suffragari in perpetuum, et *ad* » *preces* cuiuscumque Sodalitii, Confraternitatis, seu Congregationis concedi absque ulla Brevis expeditione Die 2 Augu« sti 1760. »

Alia sex dubia, quae potissimum SSmi Rosarii Confraternitates respiciunt, hausit orator ex Summario per S. C.

Indulgentiarum recognito et approbato die 18 Septembris 1862, nec non ex Brevi Innocentii XI diei 31 Iulii 1679. incip. *Nuper pro parte*. Dubia autem quae concinnata fuere sunt quae sequuntur.

www.libtool.com.cn

I. Utrum Confratres et Consorores cuiusque Confraternitatis tunc existentis facultate in praefato Decreto impertita gaudere possint et valeant, sine recursu ad S. Sedem vel ad hoc dictus recursus sit necessarius ex verbis sequentibus dicti Decreti: *Voluitque Sanctitas Sua hanc gratiam..... ad preces* cuiuscumque Sodalitii concedi?

II. Et quatenus affirmative ad primam partem dubii primi utrum Confratres et Consorores Sodalitatis SSmi Rosarii ex speciali S. Sedis facultate, post Decretum praefatum ab Ordinario loci erectae cum participatione omnium ac singularum Indulgentiarium ac aliarum gratiarum Spiritualium, quibus ditata Archiconfraternitas huiusmodi Romae erecta ante dictum Decretum gaudere possint et valeant facultate in hoc Decreto concessa?

III. Utrum recitatio Rosarii integri in qualibet septimana requiratur ad consequendas Indulgentias Archiconfraternitati Romae erectae impertitas tam pro dicti Rosarii recitatione, quam pro aliis operibus, ita ut omissio Rosarii integri in septimana officiat consecutioni Indulgentiarum pro aliis quibuslibet operibus piis concessarum, nempe: pro communione in Ecclesia Confraternitatis in prima Dominica cuiuslibet mensis, pro comitatu processionis SSmi Rosarii tam in praefata Dominica, quam in septem festis B. M. Virginis pro visitatione Cappellae seu Altaris B. M. Virginis in Dominica prima cuiuslibet mensis, in quinque praecipuis festis B. M. Virginis ac aliis diebus et coeteris similibus piis operibus? Vel recitatio Rosarii integri in septimana requiratur tantum ad assequendas Indulgentias recitationi Rosarii adnexas, minime vero ad lucrandas Indulgentias pro aliis piis operibus concessas?

IV. Quid intelligendum est per verba subsequentia, Caput VII integrum quae leguntur sub fine n. 2. Cap. IX Catalogi Indulgentiarum SSmi Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX

confirmatarum? An per praefata verba implicite confirmentur, vel implicite excludantur, a confirmatione aliae Indulgentiae contentae in Cap. VII Summarii Indulgentiarum SSmi Rosarii ab Innocentio confirmatarum in suo Brevi *Nuper pro parte*, quae non expresse recensentur in Catalogo Indulgentiarum a Sanctitate Sua Pio IX anno 1862?

www.libtool.com.cn

V. Quid intelligendum est per verba sequentia « *Confratres Servientes* » quae leguntur in n. 1, Cap. X Catalogi Indulgentiarum SSmi Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX adprobati anno 1862, an per haec verba intelligantur confratres tam militantes quam servituti addicti, imo et famuli?

VI. Quid intelligitur per verbum Rosarium recitandum ante devotam imaginem, pro consecutione Indulgentiae plenariae confirmatae sub n. 3, Cap X Catalogi Indulgentiarum SSmi Rosarii a Sanctitate Sua Pio IX approbati anno 1862, an Rosarium integrum vel eius tertia pars?

VII. Utrum in forma uti vocant absolutionis, seu modo impertiendae Indulgentiae Confratribus SSmi Rosarii in articulo mortis dicendum est: *et per Indulgentiam plenariam a Summo Pontifice Innocentio VIII Confratribus SSmi Rosarii in articulo mortis constitutis concessam*, uti legitur in Capite XII Summarii Indulgentiarum SSmi Rosarii ab Innonocentio XI approbati in suo Brevi *Nuper pro parte*, vel dicendum est: et per Indulgentiam plenariam a Summis Pontificibus Innocentio VIII et Pio V Confratribus SSmi Rosarii in articulo mortis concessam ut legitur in libellis manualibus SSmi Rosarii?

VIII. Utrum praeter festa Mysteriorum SS. Rosarii quae sequuntur videlicet Annuntiationem B.M.V. eiusdem Visitationem, Nativitatem Domini, Purificationem B. M. V. in quibus recoluntur quatuor prima Mysteria Rosarii, Resurrectionem Domini, eiusdem Ascensionem, Pentecostem et Assumptionem B. M. V. in quibus recoluntur undecimum et duodecimum, tertium decimum, et quartum decimum mysterium, etiam ut festa mysteriorum SS. Rosarii habenda sint omnia festa subsequentia, quae reperiuntur in libellis manualibus SSmi

Rosarii, scilicet I. Dominica infra Octavam Epiphaniae Domini, in qua recolitur quintum Mysterium, feria quarta maioris hebdomadae in qua recolitur sextum mysterium, feria sexta eiusdem hebdomadae, in qua recolitur septimum Mysterium, festum S. Coronae Spineae indultum pro Dioecesi Oratoris ac fixum feria sexta post cineres, in quo recolitur octavum mysterium, Inventio S. Crucis, in quo recolitur nonum mysterium, Exaltatio S. Crucis in quo recolitur decimum mysterium, festum Omnium Sanctorum, in quo recolitur quintum decimum mysterium. 2 Quatenus quaedam ex praefatis festis habenda sint ut festa Mysteriorum SSmi Rosarii, quaenam sunt festa illa?

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Consultor, ad quem dubia praedicta remissa fuere, unumquodque expendit eorumdem, aliqua apposite animadvertens. Quarum animadversionum nos, de more, ut brevitati inserviamus, nonnullam referemus.

Ad primum dubium quod attinet, censuit consultor recursum ad S. Sedem necessarium esse etiam Sodalitiis iam existentibus: eoquod verba *ubicumque locorum existentis* tempus innuunt presens, in quo nempe Decretum latum est; clausola vero *ad preces* conditionem ponit suspensivam; hinc donec conditio eiusmodi purificata fuerit, *gratia non suffragatur*. Ideoque cum Briganti *in Reg. XVII Cancell. n. 171, t. II, p. 241* dicendum est Pontificem concedere gratiam hac sub conditione *ad preces*, idest dummodo petatur.

Quoad dubium secundum animadversum fuit quod ut quivis frui possit gratiis omnibus Confraternitati concessis, nil aliud requiritur quam *canonica erectio;* ergo Sodalitium opus non habet novo recursu ad S. Sedem.

Circa dubium tertium putavit idem Consultor consequi non posse Indulgentias aliis piis operibus adnexas, qui integrum in hebdomada Rosarium haud recitaverit. Idque eruit etiam ex analogia Confraternitatum, quarum membra scapulare, aut cingulum portant; nam pro istis fratribus conditio ferendi prae-

fata signa ita praecisa est ut aliis indulgentiis gaudere nequeant suae Confraternitati concessis, nisi id egerint. Principium eiusmodi sanctionem, aliis omissis, etiam sub die 12 febr. 1840 a S. C. Indulgentiarum obtinuit cum respondit: « *Posse fideles Confraternitati sacri Scapularis addicti frui omnibus indulgentiis generaliter a Summis Pontificibus concessis .... Dummodo dicant orationes praescriptas et peragant opera a SS. Pontificibus in concessione earumdem iniuncta inter quae illud locum habet, ut parvum scapulare deferant continuo pendens a collo etc.*

Ergo ait Consultor, ferre scapulare opus ita necessarium est, ut ni id egerint fratres consequi nequeant nequidem alias Indulgentias eisdem concessas pro alis piis operibus.

Dubium aggrediens quartum Consultor notavit Oratorem errasse cum citavit Summarium Pii IX et quum incisum explicaret, qui citatio mera est, non affirmatio vel exclusio implicita.

De dubio quinto loquens Consultor ait; clarum esse sub verbo *servientes* comprehendi tum servituti addicti, tum famuli; et tum ex communi usu loquendi, tum ex praxi forensi sub hoc verbo comprehendi etiam militares certum esse. Ratio autem qua Sistus V in Brevi, a Summario Pii IX adducto, commutavit visitationem ad Capellam Rosarii, et interventum ad processiones in aliquibus festis pro confratribus qui essent in itinere, aut in mari, sive servientes, eadem valet etiam pro militaribus. Istis enim perdifficile esse potest actus perficere illos, ob servitium cui obligantur.

De sexto dubio sermonem faciens Consultor censuit intelligendum esse de tertia Rosarii parte; nam Gregorius XIII in concessione, de qua loquitur Pii IX summarium, dicit *Rosarium vel coronam*: ast sub nomine coronae intilligitur *tertia pars*.

Ad septimum accedens dubium Consultor edisserit sibi indifferens videri an adiiciatur nec ne formulae absolutionis nomen S. Pii V. Nam iste Pontifex indulgentiam concessit

plenariam Confratribus in articulo mortis constitutis, confessis et sacra synaxi refectis; Innocentius vero VIII eamdem concessit Indulgentiam, haud confessionis et communionis conditiones requirens. Quapropter secunda non est nova concessio sed tantum primae concessionis ampliatio. Ideoque nominandus esset potius Innocentius quam S. Pius V. Adiici quoque debet quod in Brevi *Nuper* Innocentii nomen omittitur S. Pii V; dum e contrario reperiatur in formula relata in calce Breviariorum et diurnorum RR. PP. Praedicatorum. Ideoque utraque formula legitima videtur.

www.libtool.com.cn

Quum de dubio octavo verba facere debuisset Consultor, praemonuit quod etsi illi qui de Rosario scripserint assignare voluerint unicuique mysterio proprium festum; tamen nullum existit Pontificium decretum per quod horum mysteriorum dies determinentur. Quinimo quoad mysteria nonnulla reperiuntur discordes auctores qui de illis tractant; ideoque colligi potest quoad hoc haud extare traditionem constantem et universalem. Praeterea in Decreto *Urbis* et *Orbis* S. C. Indulgentiarum diei 18 Sept. 1862 Sanctissimus Pater « *declaravit expresse ut quoties in concessione inveniantur verba in festis, vel in omnibus et singulis festis Domini...semper intelligantur tantum festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Paschalis Resurretionis, Ascentionis et Corporis Christi, ac pariter declaravit ut quoties in concessione inveniantur verba in festis* vel in omnibus festis... *B. Mariae Virg. semper intelligantur dumtaxat festa Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis* et *Assumptionis.* Atque in eodem decreto Sanctissimus Pater declarat: « *quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus festis Domini . . . . . et Beatae Mariae Virginis, intelligendum esse de omnibus festis Beatae Mariae Virginis, quae celebrantur ab universa Ecclesia* » Quamvis declaratio haec magnam effundat lucem super aliquam propositi dubii partem, attamen dubium integre haud resolvit; quia pontificiae concessiones confraternitatem Rosarii respicientes, loquuntur semper *de* festis mysteriorum Rosarii; quae formu-

lae multum differunt ab illis relatis in declaratione Pii IX. Tandem animadvertit Consultor: quum prima dubii pars septem respiciat festus, septem comprehendit membra, quae singulariter examinari debent, tum quia responsum nequit esse aequale pro omnibus, tum quia dependet a principiis diversis etiamsi aequale prodierit.

1. Quapropter Consultor putavit Dominicam infra octavam Epiphaniae non esse festum Disputationis in Templo. Nam ad constituendum *festum solemne, proprium et speciale* alterius ex mysteriis vitae Iesu Christi, inter alias conditiones absolute requiritur ut annuntietur in Martyrologio; ast Templi Disputatio haud annuntiata est. His praenotatis notandum quoque est RR. Pontifices concedere Confratribus Indulgentiam plenariam *illis diebus quibus aliqua mysteria Rosarii, festa Mysteriorum Rosarii celebrantur — Sacra misteria Rosarii recensentur*: quae verba sensu proprio applicantur tantum festis solemnibus, et festis propriis et specialibus alicuius mysterii.

2. Neque Feria quinta in Coena Domini est festum Orationis Iesu Christi in Horto: quoniam Martyrologium loquitur tantum de SSmae Eucharistiae institutione, et Missa est de SSmo Sacramento. Et quamvis in hac die recurrat officium luctus, Praefatio de Cruce, et quamvis Oratio Missae, pacisque omissio Iudae proditionem innuant, istaque sit prima ex tribus diebus Passionis, in qua die adamussim locum habuit Oratio in Horto; omnia haec tamen non sufficiunt ad instituendum *festum solemne, proprium et speciale,* de quibus verbum faciunt Pontifices Romani.

3. Pariter feria sexta hebdomadae maioris haberi non potest ceu festum in quo Confratres lucrari possint Indulgentias. Etenim ut Indulgentiae acquiri possint requiritur, ceu opus specialiter iniunctum, communio; quae ex actuali Ecclesiae disciplina solum celebranti Sacerdoti permittitur.

4. Inter haec festa cooptari nequit festum Coronae Spineae; eoquod S. Indul. Congr. statuerit:. *quando invenitur concessa indulgentia partialis in reliquis omnibus Domini*

festivitatibus intelligi debet concessio *de omnibus festis Domini quae celebrantur ab universa Ecclesia*. Attamen festum Coronae Spineae non celebratur ab universa Ecclesia.

5. et 6. Festa Inventionis et Exaltationis S. Crucis haberi nequeunt ceu festa itineris Iesu Christi ad Calvarium suaeque crucifissionis et mortis in cruce. Ad id evincendum sufficit ut perpendantur duorum festorum elementa: etenim in istis obiectum materiale est crux, in qua Iesus Christus appensus fuit, quaeque etiam Iesu Crucifixi symbolum repraesentat. Obiectum autem *formale intrinsecum* constituitur ab hoc, quod Crux ex Sacratissimis Iesu Christi membris tacta fuerit, eiusque pretioso Sanguine madefacta. Obiectum *formale extrinsecum* festi Inventionis apud Latinam Ecclesiam nil aliud est quam quod S. Elena Crucem repererit; festi autem Exaltationis, quod Heraclius eamdem Crucem recuperaverit. Tandem *mysticum obiectum* duorum festorum est gloria Iesu Crucifixi, triumphus quem, Iesus in cruce moriens, retulit.

Dum ex adverso pro mysteriis quibus tribuere haec festa quis vellet, obiectum materiale est Iesus Christus; *obiectum* autem *formale* est sententia mortis, iter ad Calvarium, sacrificium Crucis, idest Iesus Christus morte damnatus, gravissimo ligno crucis oneratus, quique in cruce moritur.

7. Festum Omnium Sanctorum est proprie festum mysterii decimiquinti; eo quod sit festum *solemne, proprium* et *speciale* Omnium Sanctorum et B. M. Virginis; tum quia festi huius obiectum sit gloria omnium Sanctorum et B. V. Mariae. Neque obicii potest quod Beatae V. M. gloria celebretur in die festi Assumptionis, quae est ut ait Bened. XIV *gloriosa quaedam animae et corporis translatio B. M. Virginis; quae revixit*. Tandem obiectum festi Assumptionis est tantum gloria Virginis; festi autem omnium Sanctorum obiectum est gloria Virginis nec non Sanctorum omnium; ideoque duo constituunt festa inter se distincta.

Haec, aliaque per Consultorem adducta fuere.

Resolutio Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, partim in comitiis generalibus habitis apud

Vaticanas aedes die 8 Maii 1874, partim in particularibus die 12 Februarii 1877, audito prius Consultoris voto, ad praefata dubia respondendum censuit ut infra.

Ad I. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, et ad mentem: mens est supplicandum SSmo: ut per decretum generale extendatur ad omnes Confratres cuiuscumque Confraternitatis, aut Sodalitii Indultum lucrandi singulas Indulgentias exercendo opera pia, quae pro viribus peragere poterunt.

Ad II. Provisum in primo.

Ad III. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad V. Affirmative, et extenditur ad milites actu servientes.

Ad VI. Intelligitur tertia pars.

Ad VII. Utraque forma est legitima.

Ad VIII. Ad primam partem negative; ad secundam dumtaxat festum omnium Sanctorum pro decimo quinto mysterio, et festum B. Mariae Virginis feria sexta post Dominicam Passionis pro decimo mysterio, facto verbo cum SSmo.

De quibus facta relatione per me infrascriptum Cardinalem Praefectum SSmo Dño Nostro Pio PP. IX in audientia diei 25 Februarii 1877 Sanctitas Sua petitas gratias benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 25 Februari 1877.

A. Card. Oreglia a S. Stefano Praef.

Dominicus Sarra Substitutus.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Sabato die 24 Maii 1877.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorundemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 22 Decembris 1876 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Rodrigues Hippolyte. — Les trois filles de la Bible. — Paris 1865.

Les origines du sermon de la montagne. — Paris 1868.

La justice de Dieu, introduction à l'histoire des Judéo-cretiéns. — Paris 1869.

Histoire des premiers chrétiens de l'an 6 à l'an. 38; première partie, le Roi des Juifs, 6-29; deuxième partie, Saint Pierre, 29-38. — Paris 1873.

Les seconds chrétiens — Saint Paul 37-66 orné de trois cartes semi-muettes des voyages de Paul. — Paris 1876.

Opera praedamnata ex Constit. Clem. VIII 28 *februarii* 1592.

Les origines de la religion, par Jule Baissac. — Paris, G. Decaux, 1877.

Ensayos sobre el movimiento intelectual en Alemania, por D. José del Perojo — Madrid, Imprenta de Medina y Navarro.

Ferrari Giuseppe. *Opera omnia.*

Buccellati A. L'Allucinato. Romanzo in tre libri, vol. 3. — Milano 1875-76. *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Della società politica e religiosa rispetto al secolo decimonono, per Guglielmo Audisio, professore di filosofia del diritto nell'Università Romana, canonico di S. Pietro in Vaticano. — Firenze 1876. *Decr. S. Off. fer. IV. die* 18. *Aprilis* 1877. *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Auctor Operis cui titulus: La questione religiosa di ieri e di oggi, con quattro punti di riforma cattolica, per G. B. Fiorioli Della Lena, Padova 1869, proib. Decr. 22 Mart. 1869, *laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, in quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PP. IX. per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 20 Aprilis 1877.

ANTONINUS CARD. DE LUCA Praefectus

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis

Loco ✠ Sigilli

Die 24 Maii 1877 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani Mag. Curs.

MONITUM

www.libtool.com.cn

Ut inscitiam ineuntis aetatis, aliorumque credulitatem decipiant, sub specie recti, solent Religionis atque Moralis christianae osores, nomine *scientiae progressus* operire quidquid effutiant aut perscribant adversus easdem. Verumtamen RR. Pontifices, qui omni studio Doctrinae revelatae et traditae integritatem protegunt, velum calliditati subducunt erroresque detegunt. Specimen tum perversitatis ad fallendas animas, tum vigilantiae RR. Pontificum ad praecavendos errores exhibet documentum inferius relatum; quod apprime hisce temporibus nostris aptatur, quibus plus aequo *scientiae progressus* iactatur ab inimicis piae Matris Ecclesiae.

DAMNATIO

Et prohibitio Libri, cui titilus — Lettera sulla direzione degli studi di Francesco F. Ginevra 1843 (1).

GREGORIUS PP. XVI.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter maximas et acerbissimas quas turbulentissimis hisce temporibus ingemiscimus Catholicae Religionis calamitates, praecipua sane est pestiferorum librorum colluvies, qui veluti *locustae ex puteo abyssi prodeuntes* ferme totam invadunt, ad eam vastandam, Domini vineam, et tamquam *poculum plenum abominationum,* quod vidit Ioannes *in manu Meretricis magnae,* venenum omnis generis bibentibus praebent. Huiusmodi profecto est libellus qui inscribitur « *Lettera sulla direzione degli Studii* » sub nomine « *di Francesco F.* », notam praeseferens typographicam « *Ginevra 1843* » : mole quidem exi-

(1) Latine — Litterae quoad studiorum directionem per Franciscum F. Genevae 1843.

guus. sed argumenti varietate, et errorum multitudine magnis voluminibus habendus est aequipollens, eo fine ac maligna magistrorum iniquitatis arte ad pauca folia ideo redactus, ut sic molis exiguitate et modicitate pretii facilius esse possit prae omnium manibus ad quaelibet studia inficienda, et depravandam iuventutem cuiuslibet aetatis, ordinis et conditionis, religionemque labefactandam. Ex callidioribus quippe Fidei et christianae moralis hostibus quos laudat et nominat, atque ex damnatis eorum operibus hausisse conspicitur Auctor perversas et erroneas quas dictat sententias, et aculeata quibus utitur sophismata contra Ecclesiam, contra catholicam doctrinam, contra christianam moralem, ut vere dici possit in uno hoc eius libello praecipuos collegisse omnium errores atque deliramenta ; ac propterea eidem libello merito potest aptari quod de Priscillianistarum *dogmate* scribit S. Leo ad Turribium (ep. XV.) scilicet « Nihil esse sordium in quorum» cumque sensibus impiorum, quod in hoc *libello* non con» fulserit: quoniam de omni terrenarum opinionum luto mul» tiplicem sibi faeculentiam *Auctor* miscuit; ut solus totum » biberet, quod alii ex parte gustassent. » Atque ut id apertissime pateat, sufficit ex bene multis sequentia summatim ad operis sensum excerpta adnotare.

Asserit Auctor, non posse vincendo responderi philosophorum Scepticorum argumentis : « atque Scepticismum insinuat etiam circa Cosmogoniam Mosaicam : « et periculosas promovet captiosasque dubitationes circa animae naturam eiusque facultates. « Ad ipsius praeterea mentem, iudicandum esset de virtutibus et vitiis relate tantum ad felicitatem generis humani, et conservationem ordinis Naturae in societate civili : - nullo proinde habito respectu ad Legem divinam, neque ad religiosam actionum moralitatem. - Immo eo impietatis devenit, ut pro absurdo habeat et immorale quodcumque *dogmaticum* principium unde frenum imponitur passionibus humanis, audeatque, omni deposita verecundia, suadere politicae Potestati passionis omnium turpissimae et effrenatioris impunitatem. - Statum autem Naturae docet statum

esse belli ac veluti brutorum. - Insuper acceptam refert Luthero et Protestantismo, tamquam societatis beneficium, reformationem philosophicam et reformationem politicam, unde meliorem asserit factam fuisse et nunc esse conditionem populorum ferme omnium Nationum. - Constat igitur, Religionem, quam comminiscitur Auctor, essentialiter esse aliam a Religione revelata, eamque esse tantum Religionem politicam, determinandam, regendam, ac etiam pro voluntate reformandam a politica Potestate cuiuscumque Status, prout in Status Protestantium.

www.libtool.com.cn

Quoad vero Religionem Catholicam, sub nomine Ministrorum, exprobare intendit Ecclesiae numerum dogmatum, moraliaque praecepta libertatem cogitandi limitantia ; ac modum proponit quo possint Gubernia, sub quibus viget, eam reducere, ut ad sensum Politicorum utilis evadat societati cui praesunt. Utilem autem humano generi et societati illam dicit esse Religionem, in qua pauca sint dogmata, simplicioresque religiosae exercitationes, et in qua *Metaphysicae* (ut ait) *praetensionibus cor substituatur*, id est (ex operis contextu) in qua moralibus, Christianae Religionis praeceptis substituantur cordis motiones et affectiones. Quoad crimina autem contra Religionem, studendum esse docet servandae Tollerantiae, magis quam dogma protegere.

Patet itaque Auctoris consilia, et dictata ad reformandam seu potius ad evertendam tendere Catholicam Religionem iuxta principia Protestantium. Principia siquidem ab Auctore posita atque statuta pro Legislatorum et Gubernantium norma in Religionis negotio eo diriguntur: *ut* Clerus diffidentiae et ludibrio populorum, et ecclesiastica Auctoritas suspicioni, invidiae, et despectui exponatur Gubernantium: *ut* vel unico tractu avellantur, vel gradatim abalienentur fideles ab Apostolica Sede, Catholicae Unitatis centro: *ut* quaelibet abrogetur ecclesiastica iurisdictio in foro externo, et in omnibus externis actionibus: *ut* ius sit politicae Potestati moderandi et etiam variandi ecclesiasticas Institutiones, et Instructiones etiam elementares, excutiendi Catholicae Ecclesiae dotrinam, ac de ea

iudicandi, eiusque interdicendi proclamationem: *ut* Ecclesiae regimen ad unum spectet, vel uni subiiciatur civili Gubernio: uno verbo, eo tendunt, *ut* Ecclesia in durissimam adducatur Gubernii servitutem.

www.libtool.com.cn

Haec igitur omnia serio perpendentes, atque ad Crucifixi pedes profusis lacrymis considerantes immensa animarum damna a dicti pestiferi libelli lectione oritura: auditis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana Inquisitorum Generalium suffragiis, Motu proprio et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praefatum libellum ubicumque, et quocumque idiomate, seu quavis editione et versione impressum, aut, quod, absit, imprimendum tenore praesentium damnamus, reprobamus, et prohibemus sub consuetis clausulis et poenis in indice librorum vetitorum indictis, tamquam continentem doctrinas et assertiones - inducentes in Scepticismum et incredulitatem, scandalosas contra bonos mores, impias respective falsas, temerarias, captiosas, erroneas haeresi proximas, de haeresi suspectas, iniuriosas et calumniosas in odium sacri ecclesiastici Ministerii, divinis Ecclesiae iuribus derogantes, Fidei divinaeque Constitutionis Ecclesiae eversivas, Protestantismo eiusque propagationi faventes, schismaticas. -

Hortamur itaque et obtestamur in Domino Venerabiles Fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque Locorum Ordinarios, ut, pro sibi divinitus commisso docendi ministerio, meminerint se districte teneri ad instruendum Gregem in catholica doctrina, atque ad eos arguendos qui contradicunt, proindeque ad modis omnibus, omnique sollicitudine, et apostolica firmitate satagendum, ut oves a tam venenatis pascuis, scilicet ab huius impii et execrandi libelli lectione avertantur.

Ut autem eaedem praesentes Litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, volumus et decernimus, illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Flore de Urbe

per aliquem ex Cursoribus, Nostris, ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui: sic vero publicatas perinde afficere omnes et singulos quos spectant, ac si unicuique illorum personaliter notificatae et intimatae fuissent.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die V. Augusti Anno MDCCCXLIII Pontificatus Nostri Anno XIII.

A. CARD. LAMBRUSCHINI.

Die, Mense, et Anno, quibus supra, supradicta Damnatio, et Prohibitio affixa, et publicata fuit ad valvas Basilicae, Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, et in Acie Campi Florae, ac in aliis locis solitis et consuetis Urbis per me Aloisium Pitorri Apostolicum Cursorem.

Ioseph Cherubini Magister Cursorum.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

www.libtool.com.cn

RATISBONEN.

Quod Apostolicae Sedi erat in votis, ut sacra Romanae Ecclesiae Liturgia in omnibus servaretur Dioecesibus, quum Deo adiuvante effectum prope esset; Sacra Rituum Congregatio etiam de promovenda uniformitate cantus Gregoriani sollicita, curavit ut nova editio librorum eiusdem cantus Gregoriani diligentissime adornaretur. Quamobrem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX., per eamdem Sacrorum Rituum Congregationem, peculiarem deputavit Commissionem Virorum Ecclesiastici cantus apprime peritorum; quae statuit, ut Graduale Editionis Mediceae Pauli V. iterum in lucem ederetur, et cetera quae deerant, supplerentur ad normam eiusdem Gradualis.

Eques Fridericus Pustet Ratisbonensis, Typographus Pontificius, qui plures Librorum Liturgicorum Editiones laudabiliter confecerat; suis laboribus et expensis ingens hoc opus perficere aggressus est, sub directione tamen, et revisione superius laudatae commissionis.

Eiusmodi Opere iam magna ex parte accuratissime absoluto, plures in illud eiusque Typopraphum excitatae sunt contradictiones; adeo ut nonnullae Ephemerides, nedum iniuriosas censuras contra ipsum cantum et Commissionem Romanam intulerint, ac fidem pluribus Sacrorum Rituum Congregationis Decretis ac super re latis infirmare praesumpserint: verum etiam dubia promoverint de authenticitate et vi Litterarum Apostolicarum, in forma Brevis, sub die 30 Maii Anni 1873, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX.

Editionem praefati Gradualis magnopere commendare dignatus est, quemadmodum Paulus V. Editionem Mediceam similibus Litteris Apostolicis condecoravit.

Quum autem Typographus Fridericus Pustet haec omnia ad Sacram Rituum Congregationem detulerit, ipsamque pro opportuno remedio deprecatus sit, eadem Sacra Congregatio, ne fini, quem sibi per hanc novam Editionem Librorum Cantus Ecclesiastici proposuit, alia obstacula et contradictiones interponantur, Oratoris precibus rescribendum censuit: « *Provi-* » *sum per Br v· Pontificium diei 30 Maii Anni 1873,* » *quo editio D. Friderici Pustet a speciali Commissione Vi-* » *rorum Ecclesiastici Cantus apprime peritorum, a Sanctis-* » *simo Domino Nostro per Sacrorum Rituum Congrega-* » *tionem deputata, accuratissime revisa, approbata, atque au-* » *thentica declarata, magnopere Reverendissimis locorum Or-* » *dinariis, iisque omnibus, quibus Musices Sacrae cura est,* » *commendatur; eo quod eidem Sanctissimo Domino Nostro* » *sit maxime in votis, ut, cum in ceteris quae ad Sacram* » *Liturgiam pertinent, tum etiam in cantu una cunctis in* » *locis ac Dioecesibus, eademque ratio servetur, qua Roma-* » *na utitur Ecclesia.* » —

Atque ita rescripsit ac declaravit.

Die 14 Aprilis 1877.

A. Ep. Sabinen. Card. BILIO
S. R. C. Praef.

(L. ✠ S.)

Placidus Ralli, S. R. C. Secret.

DECRETUM

Neapolitana Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannnis Baptistae Iossa laici neapolitani.

www.liturgicum.it

In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Iossa praefati quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate Processuum in eadem Causa constructorum ad instantiam Rev. Patris Generosi Calenzi Presbyteri Congregationis Oratorii de Urbe, et huius Causae Postulatoris, Emus et Rmus D. Card. Dominicus Bartolini huius Causae Ponens sequens Dubium proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis. « *An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati et iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum, de quo agitur ?* » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post accuratum omnium examen, audito etiam voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Praevia sanatione Actorum in Processu Ordinario ab obitu cl. me. Card. Caracciolo usque ad novam terminorum prorogationem: Affirmative* » die 3 Februarii 1877.

Facta autem ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare, petitamque sanationem benigne indulgere dignata est.

Die 15 eiisdem mense et anno.

A. EP. SABINEN CARD. BILIO
S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigilli

Plac. Ralli S. R. C. Secret.

DECRETUM

Veronen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei sororis Magdalenae Marchionissae de Canossa Institutricis Filiarum a Charitate.

Nono Kalendas Iulias Anni 1870 quum Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX benigne annuerit ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servae Dei Magdalenae Marchionissae De Canossa praefatae ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, Subscriptus Cardinalis huius Causae Ponens ad instantiam Reverendi Patris Iosephi Boero Sacerdotis Professi e Societate Iesu et huius Causae Postulatoris, attentis Litteris Postulatoriis plurium virorum Ecclesiastica et Civili Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum « *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur ?* »

Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 3 Februarii 1877.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit: propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Magdalenae Marchionissae De Canossa praefatae.

Die 15 iisdem Mense et Anno

AL. EPISC. SABINEN CARD. BILIO
S. R. C. PRAEF.

Locus ✠ Signi

Plac. Ralli S. R. C. Secretarius

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

www.libtool.com.cn

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA DIE XXII IUNII MDCCCLXXVII AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS

VENERABILES FRATRES

Gratissimum est Nobis hodie conspectu frui frequentiaque Vestra, non solum ut Vobiscum agamus de novis praestantibus viris in amplissimum ordinem vestrum cooptandis, sed etiam ut iustissimum, quod Nobis maxime cordi est, officium erga Venerabiles Fratres Ecclesiarum Catholici Orbis Antistites, et erga Christifideles universos impleamus, ac intimos sensus ad eos expromamus, quos corde continere non possumus. Dedit enim Nobis nuper divinae Clementiae amplitudo praeter tot alia insignia bonitatis suae argumenta, ut quinquagesimum natalem diem Episcopalis Nostrae consecrationis videremus, atque hoc munus aliis etiam muneribus cumulavit, ut nempe tam effusam hac occasione erga Nos et Sanctam hanc Sedem dilectionem omnium ordinum, tum Urbis Nostrae, tum aliorum populorum et nationum longissimo etiam terrae marisque tractu a nobis dissitarum, tam mira obsequii, pietatis, et liberalitatis eorum experiremur officia, quae vere magnum

spectaculum fuerunt mundo, et Angelis et hominibus. Agnoscebamus Nos quidem et publica cum commendatione, ut nostis, declarare non omisimus in Allocutione ad Vos habita die 12 elapsi Martii, Catholicum populum universum Nobis et huic Apostolicae Cathedrae esse devinctissimum; sed hoc ipsum Fideles ita splendidis nuper indiciis, omnibusque modis palam publiceque ostendere et confirmare voluerunt, ut quae ad eorum laudem pertinebant in magnam admirationem prorsus converterint, et gloriam Deo tribuentes, Nos iucundissima consolatione perfuderint. In omni enim paene mundi regione ille dies divinae erga Nos benignitatis et miserationis a populo Dei publicis letitiae et religionis significationibus celebratus est, undique ad nos litterae allatae sunt plenae filialis affectus, plenae doloris, ob iniquum bellum cui obnoxii sumus, quasi tum primum post longa intervalla filiorum vox compressa erupisset: ipsi etiam catholicarum nationum rectores, aliique principes viri et foeminae non solum amplissima nobilitate, sed regali etiam sanguine spectabiles, suae Nobis devinctae voluntatis officia exhibuerunt, luculenter ostendentes suum religiosum studium ab aliorum pietate non vinci. Frequentia autem ac multitudo Fidelium ex omni lingua populo et natione, ex omni ordine aetate et sexu, qui praeeuntibus Pastoribus suis, peregrinatione suscepta, ex remotissimis etiam regionibus ad nos venerunt, fide et amore eorum animos inter tot cuiusque generis incommoda sustentante, comperta est Vobis Venerabiles Fratres, qui tantam vim dilectionis admirantes de ea, in Vestrae gratulationis officio apud Nos amanter implendo, glorificastis Deum, et super ipso divinarum gratiarum largitatem votis vestris implorastis. Vos enim vidistis confertissima agmina ad has aedes Nostras ita in dies singulos coufluentia, ut satis ostenderent quam cuperent diuturnum desiderium Patris sui conspiciendi et alloquendi explere, vidistis amantissimos filios voces Nostras cupidissime haurire, et suis protestationibus ac obsequii significationibus quas lacrimae interdum interrumpebant in persona humilitatis Nostrae Vicariam Christi potestatem venerari, atque

www.libtool.com.cn

ipsum colere Apostolorum Principem, cuius dignitas in indigno licet haerede non deficit. Hanc autem venerationem illustriorem ac splendidiorem quoque Catholicus populus facere voluit, missis et allatis ad nos ex omni parte uberibus largitionum subsidiis, missis et allatis muneribus, multitudine, varietate, pretio, artificio admirabilibus, quae dum Nobis facultatem praebent subveniendi huius Apostolicae Sedis, et Ecclesiae suis bonis spoliatae necessitatibus, christianae etiam caritatis vim et splendorem produnt, quae non modo omnia suffert, omnia sustinet, sed etiam calamitatum et paupertatis impedimenta nesciens, talis est ut numquam excidat, nunquam exhauriatur.

At quis, Venerabiles Fratres, dies tribulationum nostrarum in exercitationem et splendorem tantarum virtutum convertit, quis tantam fidem ac pietatem extulit ac fovit, quis infirmitati Nostrae illud solatium concessit, ut tam illustrium exemplorum Populi Christiani spectatores et testes essemus? Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ubi maior est servorum suorum tenuitas et infirmitas, ibi magis suam gloriam manifestare consuevit, in cuius manu sunt corda hominum, in cuius ditione cuncta sunt posita, Ipse fecit Nobiscum misericordiam suam, Ipse fecit cum tentatione proventum ut possemus sustinere, Ipse gloriam suam in Ecclesia revelavit ostendens mundo eam quo magis impugnatur vires suas intentius exerere, quo magis deprimitur, altius attolli. Facere itaque non possumus quin in conspectu Vestro et coram universo orbe ex intimo corde gratiam et gloriam tribuamus Deo clementissimo, Ipsi benedicentes et confitentes quoniam *benignus est et confortans in die tribulationis, et sciens sperantes in se,* ac Eum precantes ut sacrificium laudis et benedictionis nostrae licet impar operibus misericordiae suae, in abundantia tamen suae dignationis bonus ac propitius excipiat.

Hoc autem officii Nostri debito erga Divinam Bonitatem perfuncti, aequum est nunc ut ad Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, ex catholico orbe universo, sermonem Nostrum convertamus. Vellemus quidem, uti apud eos ex Vobis egimus,

qui ad Nos accesserunt, ita etiam unicuique Vestrum a quibus amoris testimonia accepimus, gratissimi animi Nostri sensus declarare; sed cum id operosius et maius esse videamus, quam ut litterarum ministerio praestari possit, grave Vobis non sit, ut quemadmodum unum fuit omnium Vestrum cor, anima una in obsequiis Nobis deferendis, ita etiam una sit oratio, qua dum universos publice alloquimur, erga singulos privatim intendimus grati animi Nostri officio perfungi. Vobis itaque, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, corona mea sicut Apostolus ait, et gaudium meum, singulares gratias et habemus et agimus, eo affectu et sensu qui melius intelligitur ab animis fidelibus, quam verbis exprimi et aequari possit. Vos fecistis ut luceret lux Vestra coram hominibus, Vos glorificastis Deum et Ecclesiam, Vos de immaculata Christi Sponsa ac Christi in terris Vicario optime meruistis, ac pia liberalitate thesaurum Vobis fecistis non deficientem in caelo, ubi eum nec aerugo corrumpit, nec tinea demolitur.

Quoad Nos autem dilectionis Vestrae memoria ex animo Nostro non excidet, immo Ecclesiae fastis commendata ad exemplum etiam aedificationem et praeconium posterorum dimanabit, nec quidquam umquam erit Nobis antiquius, quam Pastorum Principem constanter rogare, ut Vobis, qui seminastis in benedictionibus de benedictionibus et metere abundanter largiatur.

At nunc hac parte sermonis Nostri praetermittere non possumus, quin ad veram vim et significationem tantarum rerum, mentem Nostram conferamus. Quidnam enim tantus Fidelium ardor, tanta alacritas et constantia, tantus eorum consensus in communis Patris acerbitatibus sublevandis, in hac Apostolica Sede suis subsidiis iuvanda eiusque causa tuenda, in deplorandis iniuriis quae eam affligunt, et divina Clementia imploranda, in assiduis peregrinationibus suscipiendis, quidnam huiusmodi studia et non intermissae sollicitudines ostendunt, quid mundo innuunt, quid spectant, quid assequi contendunt?

Haec manifeste luculenterque demonstrant atque confir-

mant, quod alias iam animadvertimus, perturbationem scilicet et anxietatem in qua sunt Fideles ob communem Patrem hostili dominationi subditum; ac simul universalis veri solemnisque suffragii vim habent, quo contra praetensa suffragia seu potius mendacia huius saeculi, Catholicus orbis universus iterum atque iterum significat, se velle, ut Supremus Pastor Dominici Gregis cum dignitate, libertate, et nemini obnoxia potestate Ecclesiae praesideat.

Haec praeterea dum aperte probant vim caritatis qua membra Ecclesia Suo Capiti adhaerent, ac proinde etiam firmum unitatis vinculum quo membra ipsa inter se invicem coniunguntur, splendidissime simul docent, Catholicam Ecclesiam tot iniquis modis tantoque impetu oppugnatam, omnique externo auxilio destitutam, at non modo nunquam labefactatam et victam, sed contra militiae suae labores constanter sustinentem, et vires suas in dies magis explicantem, radices, ut Chrysostomus ait habere in caelis, et divina ac immortali vita vigere; pleneque confundunt impiorum voces, qui sanctam Christi sponsam sui defunctam temporibus, effetam viribus, ac etiam extinctam dicere non verentur.

Haec ipsa demum vana ac stulta eorum consilia redarguunt; qui *inique inordinate perverse*, ut magni Augustini verbis utamur, *volunt levare aquam super oleum sed demergetur aqua, oleum supereminebit, ponere volunt sub tenebris lucem, fugabuntur vero tenebrae lux manebit, super coelum terram volunt collocare, pondere autem suo cadet terra in locum suum.*

Nos autem, Venerabiles Fratres, considerantes viae divinae Providentiae admirabiles, quae tribulationibus solatia miscet ut non deficiant animi et vires, sed fiducia confirmetur, virtus muniatur et erigatur, ex his incitamentum capiamus ut augeamus constantiam et alacritatem nostram in praeliis Domini praeliandis, in officiis ministerii nostri fideliter obeundis, in adversitatibus pro Dei et Ecclesiae causa impavide perferendis. Dum gravis belli atrocitas terras hoc tempore caede ac sanguine cruentat, quo Deus ab omnibus vult intelligi,

quid inter homines divinis et humanis iuribus eversis, iustitia et veritate oppressa, expectandum sit, producitur etiam nihilo remissior dimicatio nostra tanto nobilior et sua natura praestantior, quanto ad causam et incolumitatem non Religionis solum sed civilis ipsius Societatis pertinet, et ad ea principia restauranda quae pacis et verae prosperitatis fundamenta sunt. Propositum itaque certamen armis militiae nostrae viriliter certemus, in semita iudiciorum suorum sustineamus Dominum, Eum fervide et humiliter obsecrare pergamus ut imperans ventis et mari tranquillitatem reducat; ac interea nec adversa nec potentiam hostium timeamus; Maior est enim qui in nobis est, quam qui in mundo.

www.libtool.com.cn

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

Ex Propositionibus Consistorialibus

Die 22 Junii 1877

Sanctissimus D. N. Pius Papa IX hac mane in S. Palatio Apostolico Vaticano, Ecclesiae Catholicae necessitatibus, de more, consulens, sequentes proposuit Ecclesias:

Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum vacan. per obitum clar. me. Iosephi Aloisii S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinali Trevisanato ultimi illius Patriarchae extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Dominicum Agostini, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Octobris 1871 Clodiensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere suscepto, inibi resedit, eam urbem simulac dioecesim sedulò visitavit, et sacras exegit ordinationes.

Venetiae perantiqua et celeberrima Italiae civitas in intimo Adriatici maris recessu aedificata et ex ultra sexaginta insulis per quingentos fere pontes inter se coniunctis contexta, septem circiter milliarium est ambitus, sexdecim pene mille continet domos, eamque centum viginti mille plus minusve inhabitant cives.

Patriarchalis Ecclesia, Basilicae titulo cohonestata, S. Marci Evangelistae invocatione gaudet, pervetustum, splendidum, pulcherrimumque praefert graecae structurae aedificium, talique pollet magnificentia, ut ad eam ornandam, vel conservandam, aut reficiendam annuus constitutus sit census; eidem vero novem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, Archidiaconatus, atque Archipresbyteratus, duodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, totidem Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Archiprebyterum, a quibusdam Cooperatoribus adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Ecclesia Patriarchali, ubi plurimae praesto sunt insignes, praesertim corpus S. Marci Evangelistae civitatis Patroni, Sanctorum reliquiae decenter adservatae.

Triginta praeterea recensentur

Venetiis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, decem pro viris, et quinque pro mulieribus monasteria, duplex orphanotrophium, quaedam alia loca pia, nonnullae laicorum sodalitates, plura hospitalia, mons pietatis, atque seminarium.

Patriarchatus ambitus ad ultra quinquaginta milliaria protenditur, nonnullaque sub se complectitur loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM HISPALEN. vacan. per obitum clar. me. Ludovici S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis de la Lastra y Cuesta ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici, ad recensitam Sedem metropolitanam Hispalensem R. P. D. Ioachim Lluch et Garriga, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere sive cum ineunte anno 1858 Canariensi Ecclesiae praefectus, sive cum de mense Martio 1868 ad Salamantinam ac tandem sub initio anni 1874 ad Barcinonensem Cathedram translatus fuit.

Hispalis Andalusiae inferioris ac provinciae Hispalensis caput ad flumen Baetim in planitie aedificata ultra duodecim mille continet domos, atque a viginti octo millibus incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Metropolitana Ecclesia peramplae, magnificae, gothicaeque structurae Bmae Virginis Mariae a Sede nuncupatae titulo gloriatur, eique sex suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum ex Literis Apostolicis « *Ad Vicariam* » datis nonis Septembris 1851 septem adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, septemdecim *de gracia*, atque viginti duos Beneficiatos rei divinae operam navantes.

Per quatuor Parochos animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana.

Triginta, et una recensentur Hispali paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, domus Congregationis S. Philippi Neri, ac plurima mulierum monasteria, plures itidem laicorum sodalitates, nonnulla hospitalia, mons pietatis, atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus latissime patet, collegiatam, ac centum nonaginta quinque sub se complectitur loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM VALENTIN. vacan. per obitum clar. me. Mariani S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Barrio y Fernandez postremi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti: Sanctissimus, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici, transtulit ad relatam Ecclesiam R. P. D. Antonium Monescillo et Viso, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere sive cum de mense Iulio 1861 sedibus unitis Calagurritanae et Calceatensi praepositus,

sive cum in mense Martio 1865 ad Ecclesiam Giennensem translatus fuit.

Valentia una ex praecipuis Hispaniarum urbibus, et Valentini regni caput ad oram mediterranei maris aedificata, in suo unius circiter leucae ambitu, eiusque suburbiis ultra nonaginta continet incolarum milia sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Metropolitana Ecclesia, optimae elegantisque structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, nullius eget reparationis, eique iuxta Apostolicas Literas « *Ad Vicariam* » datas nonis Septembris 1851 quatuor suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis sex adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de oficio*, sexdecim *de gracia*, ac demum viginti Beneficiatos.

Per duos Vicarios, quorum alter perpetuus, animarum cura ipsamet exercetur in Metropolitana.

Duodecim praeterea recensentur Valentiae paroeciales Ecclesiae, alteraque in suburbio baptismali fonte munitae, quaedam pro mulieribus religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, bina hospitalia, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Archidioeceseos ambitus ad sexdecim fere leucas in latitudinem, ad ultra decem in longitudinem protenditur, plusquam tercentas continet cum baptismali fonte paroecias, pluresque sub se complectitur civitates et loca.

METROPOLITANAM ECCLESIAM FERRARIEN. vacan. per obitum cl. mem. Aloisii dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Vannicelli Casoni postremi illius Archiepiscopi apud romanam curiam defuncti: Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Aloisium Giordani, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio 1871 Philadelphiensi Ecclesiae praefectus fuit.

Ferraria satis nota ac pervetusta Aemiliae civitas, plano in loco prope Padum flumen aedificata, in suo septem fere milliarium ambitu sex mille continet domos, atque ab ultra viginti septem millibus inhabitatur incolis.

Metropolitana Ecclesia Apostolicae Sanctae Sedi immediate subiecta invocatione gaudet Sanctorum Georgei et Maurelii Martyrum, qui civitatis ipsius sunt Patroni, eique nullus suffragatur Episcopus.

Tres dignitates, ex quibus post pontificalem maior Archipresbyteratus, constituunt eius Capitulum, quod duodecim insuper enumerat Canonicos cum utraque praebenda, octo Mansionarios, plusquam viginti Beneficiarios, aliosque Presbyteros et Clericos divino servitio addictos.

Penes Capitulum extat habitualis

cura animarum, exercetur autem per duos Presbyteros Capellanos Curatos nuncupatos ab ipsomet Capitulo electos et ab Archiepiscopo adprobatos eadem in Metropolitana.

Praeter Metropolitanam octo aliae in Ferrariensi civitate reperiuntur paroeciales Ecclesiae, quarum una tantum baptismali fonte munita, quaedam virorum, sexque mulierum monasteria, plura conservatoria, aliaque loca pia recenter instituta, nonnulla laicorum sodalitia, xenodochium, mons pietatis, et seminarium, cui ad rus colendum praedefunctus Emus Archipraesul magnificam adiecit villam.

Cathedralem Ecclesiam Lycien. vacan. per translationem R. P. D. Valerii Laspro ad Metropolitanam Sedem Salernitanam; Sanctissimus transtulit ad recensitam Ecclesiam R P. D. Salvatorem Aloisium ex Comitibus Zola, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio 1874 Ugentinae Ecclesiae praefectus fuit.

Aletium urbs Neapolitana Salentinorum in agro Hydruntino parum elato in loco aedificata, trium fere milliarium est ambitus, ultra bis mille continet domos, eamque circiter septem mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, boni aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, nullam exigit reparationem, atque Hydruntino Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, viginti quinque cum theologo ac poenitentiario Canonicos, triginta Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per alterum ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur Aletii paroeciales Ecclesiae, quarum altera ritus graeco-catholici est baptismali fonte munita, plura pro viris et quatuor pro mulieribus monasteria, triplex conservatorium, nonnullae laicorum sodalitates, nosocomium, atque seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac viginti sex sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Giennen. vacan. per translationem ad Sedem Metropolitanam Valentin. R. P. D. Antonini Monescillo et Viso; Sanctissimus transtulit ad relatam Giennen. Ecclesiam R. P. D. Emmanuel Maria Gonzalez et Sanchez, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Ianuario praeteriti anni Zelanae Ecclesiae praefectus fuit.

Giennium, seu Gienna vulgo *Jaen* urbs Hispaniae in Andalusia ad amnem *Frio*, et caput provinciae Giennensis ab ultra quatuor millibus familiis, seu a viginti quinque circiter millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesiae, magnificae, gothicaeque structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, atque iuxta Literas Apostolicas « *Ad vicariam* » datas nonis septembris 1851 Granatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum ex praecitatis Literis Apostolicis quinque constat dignitatibus, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicis *de oficio*, novem *de gracia*, et quatuordecim Beneficiatis rei divinae operam navantibus.

Per Parochum Sacrarii animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur Giennensi in urbe paroeciales Ecclesiae et nonnullae filiales baptismali fonte munitae, septem mulierum monasteria, quaedam laicorum sodalitates, aliquot hospitalia, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter leucas quadratas protenditur, ac plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM UGENTIN. vacan. per translationem R. P. D. Salvatoris Aloisii e Comitibus Zola ad Sedem Lyciensem; Santissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. P. Fr. Januarium Mariam Maselli ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido Aquadiae dieoceseos Bovinensis progenitum, et quadragesimum tertium aetatis suae annum supergressum. Inter sodales Ordinis Fratrum Minimorum S. Francisci de Paula in provincia Neapolitana ab adolescentia adscitus, ibique solemnia vota nuncupatus, et sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter in Dei verbo praedicando, navam impendit operam. Ad Ordinis Praelaturas saepenumero electus, tum vices Zelosi, seu vices Procuratoris Generalis eodem in ordine peregit, tum plures per annos ad S. Andreae de Fractis huius almae Urbis Parochi munere ad praesens usque perfunctus est. Vir doctrina gravitate, prudentia, morum honestate, rerumque usu praeditus, dignus, qui memoratae Ugentinae Ecclesiae in Episcopum praeficiatur.

Uxentum civitas olim Salentinorum, nunc terrae Hydruntinae in agro Neapolitano, supra montem aedificata cernitur, et in suo unius fere milliarii ambitu ter circiter mille complectitur incolas.

Cathedralis Ecclesia Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Hydruntino Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Cantoratus, decem cum theologo ac poenitentiario Canonicos, octo Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyte-

rum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Uxenti paroecialis aut Collegiata Ecclesia, sed unum virorum monasterium, aliquot laicorum sodalitates, mons pietatis et seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac ultra triginta sub se complectitur loca.

Episcopalem Ecclesiam Amaten. sub Patriarcha Hierosolymitano in partibus infidelium vacan. per translationem R. P. D. Francisci Folicaldi ad Archiepiscopalem Ecclesiam in partibus infidelium; Sanctissimus ad Eamdem Ecclesiam promovit atque in Auxiliarem Emi. ac Rmi Domini Ioachimi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Pecci Antistitis Perusini deputavit ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubitu in illa civitate ac dioecesi obeunda R. D. Carolum Laurenzi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Perusiae progenitum et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine, ac tum in sacra theologia, tum in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus naviter emicuit. Perusinae civitatis ac dioeceseos plurimis abhinc annis pro-Vicarius Generalis adlectus, atque Canonicus illa in Cathedrali renunciatus, ac successive principe Archipresbyteratus dignitate inibi ad praesens usque honestatus est inter SANCTITATIS SUAE secretos Cubicularios supranumerarios adscitus, ac penes Pontificiam universitatem Perusinam Praesidis Collegii Theologici, Vicarii in spiritualibus Generalis munere hucusque perfunctus est.

Amata urbs Palestinae adhuc sub infidelium iugo miserrime ingemiscit; quocirca status eius infandus silentio praeteritur.

Deinde Sanctitas Sua dignata est creare atque publicare Cardinales S. R. Ecclesiae:

Ex ordine Presbyterorum

R. P. D. Ioseph Mihalovitz Archiepiscopum Zagabrien natum in Torda Dioecesis Csanadien 16 Ianuarii 1814.

R. P. D. Ioannem Baptistam Kutschker Archiepiscopum Viennen. natum in Wiese Archidioecesis Olomucensis die 11 Aprilis 1810.

R. P. D. Lucidum Mariam Parocchi Archiepiscopum Bononien. natum Mantuae die 13 Augusti 1833.

Tandem postulatio sacrorum Palliorum pro Metropolitis Ecclesiis facta est (1).

(1) Reliquas eiusdem diei propositiones et Episcoporum nominationes dabimus proximo insequenti fasciculo.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

CIRCA PATRIMONIA SACRA

Die 8 Iulii 1877

COMPENDIUM FACTI. Ordinarius P. apud Venetas provincias, retulit mos esse in sua Dioecesi, post hominum memoriam, maiorem SS. patrimoniorum partem obligationis ministerio constitui. Persona enim aut sanguinis aut amicitiae ligamine devincta, Clerico a die qua ad Subdiaconatus ordinem conscendere debebat, libellarum vim 260 sacri patrimonii titulo se fore soluturum spondebat, donec provideretur. Vir autem patrimonium constituens ultro indulgebat Clerico ut eius bona immobilia hypothecae vinculis obnoxia redderet.

Attamen hypothecariae inscriptionis systema lege italica modificatum fuit anno 1871; et ope Regii Decreti utile tempus ad annum 1874 productum fuit ad id ut omnes et singuli cives hypothecae iuribus pollentes legem implerent.

Ordinarius P. Litteras ad suum clerum dedit, qua Presbyteros interesse habentes, et precipue illos qui methodo praefata sacrum nacti fuissent patrimonium exhortabatur ut inscriptiones hypothecarias, ea diligentia, qua par erat denuo inchoarent, iuxta italicas leges.

Verumtamen nonnulli Sacerdotes sive socordiâ sive ignorantiâ utile tempus inscriptioni praestitutum elabi siverunt; hinc eorum reale ius effectum fuit caducum. Caeteri vero, duce ignorantia, ipsamet praedia in patrimonii Sacri vim atque securitatem hypothecis gravata aut pretio alienarunt, aut eorumdem venditionem ratam habuere, eoquod vel bono-

rum privatorum possessionem acquisiverant, quae longe excederet redditum pro sacris patrimoniis constituendis praefinitum, vel congruo beneficio praediti erant. Praetereundum tamen haud silentio est, nullum lapidem hosce sacerdotes movisse ut legitimi decreti opera, huiusmodi bona in titulum ordinationis ipsismet adscriberentur. A qua miserrima ignavia insuper est repetendum, aliquem sacerdotem sacro patrimonio omni prorsus modo carere. Nam ex obitu constituentis ius personale, deficiente renovatione inscriptionis hypothecariae, ius reale amissum fuit.

www.libtool.com.cn

Interdum curavit Episcopus ut presbyteri bonis familiaribus fruentes sibi ex iis bonis novum patrimonium constituerent. Sacerdotes autem qui se ad Episcopum converterunt, in Ordinationis titulum illud ipsum beneficium, quod nacti fuerant obtinuere,

Sed ut concientiae stimuli conpescerentur, quibus afficiebantur presbyteri, Episcopus quae sequuntur proposuit questiones.

1. Quum de expositis causis reale ius cesset, maneat tamen ius personale quia, illo defuncto, qui s. patrimonium constituit, eius haeredes obligantur, potest ne dici adhuc permanere s. patrimonium?

2. Et quatenus negative, in irregularitatem et censuras incidisse dicendi ne sunt presbyteri illi?

3. Irregularitate afficiuntur ne Sacerdotes, qui patrimonii sacri expertes effecti, haud curarunt ut beneficium, quod nacti fuerint, sibi assignaretur in titulum ordinationis, et loco amissi patrimonii sacri?

4. Irregularitate detinentur ne Sacerdotes qui, amisso sacro patrimonio, haud curarunt id sibi iterum constituere, ratione ducti quod bona possideant maiora sacro patrimonio?

Quaestionibus absolutis, varias petiit Episcopus facultates quoad presbyteros et ss. patrimonia.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE AUTUMANT SACRA PATRIMONIA EXTINCTA FUISSE.

Quoad primum dubium respondendum esse videtur quod sacra patrimonia caduca renuncianda sint; quia efficacia et

virtute iuris destituuntur. Defuisse in themate iuris adsistentiam ambigi nequit; quia defuit hypothecariae inscriptionis renovatio ad tramites legum italicarum decernentium credita hypothecaria fieri inania nisi praedictae renovationi niterentur. Proinde ius reale evanuit, renovatione deficiente.

www.libtool.com.cn

Ex agendi ratione illorum presbyterorum magis illucescet iuris realis interitus. Isti enim, paucis exceptis, praedia, quae ipsorum favore, hypothecae vinculis fuerant mancipata, vendidere, aut eorumdem venditionem ratam habuere, ceu tradit Ordinarius ipse. Ast in iure scitum est, ad hypotecas dimittendas, hanc methodum fore tutissimam *l. 7 ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* « ibi » *Si consensit venditioni creditor liberatur hypotheca.* Nec absimilis est *lex. 158 de reg. iuris: Creditor qui permittit rem venire, pignus dimittit. Quod de hypotheca etiam tuto retinendum est; quia inter pignus et hypothecam nominis tantum sonus differt, l. 5. ff. de pign. et hypoth. Rota recent. part. 9 tom. 1. Decis 179 n. 78.* Ergo iuris realis interitus liquet.

Sacerdotes istos excidisse e sacri patrimonii iuribus eruitur etiam ex eo quod viri religiosi assignaverint pensionem libellarum 260 in titulum sacri patrimonii donec providerentur. Ast in iure tralatitium est verbum donec conditionem facere *leg. Qui concubinam* §. *uxori ff. de legat. 3.*, Bartol. *in lib. 1 n. 15 ff. de condict. et demonstr.* Surd. *cons. 439 n. 9 e 10* Rota *cor. Tacin. Decis. 235. n. 8.* hinc horum patrimoniorum constitutionem fuisse conditionalem ambigi nequit, ut videtur. Quapropter cum planum sit iam bona privata aut beneficium Sacerdotes nactos fuisse, nequit dubitari proinde, quin purificata hodie conditione, sub qua assignatio facta fuit, patrimonia ad ipsos assignantes pertineant. Idque eo vel fortius retinendum, quia patrimoniorum assignatio locum habuit, clericorum paupertate urgente. Promissio vero ob causam paupertatis habita cessat, cessante paupertate, *l. cura* §. *Deficentium ff. de muneris et honoris et in l. ab his oneribus* §. *auctis ff. de vocat et excusat. muner. Roman. cons. 404 numer. 5 Adden. ad decis. 617 n. 510 et seq. part. 4.*

Recent. tom. 3 Rota dec. 565 n. 2 Ideoque patrimoniorum constitutio haud amplius in suo robore consistit

Insuper ex praeiactis colligi potest Praesbyteros amisisse etiam actionem personalem. Siquidem quaevis actio, post extinctam obligationem, penitus corruit; quia mater actionis est obligatio. Porro obligatio evanuit, dum omnes et singuli Sacerdotes seu beneficio, seu patrimonio, seu congrua sustentatione instructi iam sunt, ideoque ipsamet actio in personam defecit; ergo sacra patrimonia extincta sunt.

www.libtool.com.cn

EA QUAE INNUUNT SACRA PATRIMONIA ADHUC EXISTERE. Sacra patrimonia sarta tectaque censenda sunt, quoties creditum atque hypotheca subsistit; de credito neque dubitari licet; quia instrumentum a publico Tabulario confectum hac in causa clarissime id evincit. Negligentiam autem in renovatione hypothecae iuri reali lethale vulnus haud infligere potuisse videtur. Nam qui praefatam renovationem negligit, temporis praerogativam amittit, quia ex recentioribus legibus ille est potior in iure qui est prior in inscriptione. Etenim aequum est meliorem esse hac parte conditionem diligentioris creditoris, cui licuit vigilare ad suum consequendum *L. pupillus 24 ff. quae in fraudem creditoris*. Unde solemne in iure est principium, *vigilantibus iura subveniunt, L. non enim 16 ff. ex quib. caus. maior L. si in iure 20* §. *hoc tit.* Cum itaque Sacerdotes inscriptionis hypothecariae renovationem neglexerint, sequitur ipsis anterioritatis iacturam obvenisse, non autem hypothecae delectionem. Necessarium enim est ad hypothecam delendam principem obligationem de medio tolli, quia hypotheca est accessoria principalis obligationis Alciat *in L. plebs. 237* §. *pignus in vers. sive ff. de verb. signific.* Quapropter Bal. in *L. executorem 8 n. 1 in fin. C. de execut. rei iudic.* dicit quod hypotheca est firma contractus accessio; ideoque quum in themate adhuc obligatio principalis locum obtineat, seguitur etiam quod hypotheca haud exciderit.

Proindeque perperam infertur hypothecae extinctio ex omissa renovatione ; quum maxima intersit differentia inter hypothecam et hypothecae inscriptionem seu renovationem. Hy-

potheca enim est ius reale ad securitatem creditoris bonis xum, iisque perpetuo inhaeret, atque in eos perpetuo transit in quos migrant ipsa hypothecata bona *L. 35 ff. de pignorat. act., l. 38 ff. de oblig. et act.* §. *Contra Inst. quib. alien. licet vel non.* In inscriptione vero versatur vis hypothecae, quam ad singulorum iura tuenda, et in bonum publicum lex invexit. *Pailliet pag. 396 , Grenier, Troplong hoc tit. passim.* Et merito; contrahentes enim et mutuantes, inscriptionis auxilio, onera apprime noscunt, quibus Debitoris bona subiacent. istiusve fraudes, nec non artes subdolas declinant.

Praemissa itaque distinctione inter hypothecam et hypothecae inscriptionem, prono velut alveo fluit, quod aliud sit se iure hypothecae exuere, et aliud inscriptioni nuncium remittere. Ex recentioris inscriptionis omissione non habetur iuris realis remissio; nam sunt duo inter se admodum diversa. Hoc adeo verum est ut firmo manente credito, fas sit semper creditoribus suscipere inscriptionem contra debitorem, quae vim suam tantum exeret a die renovationis. Unde Sartum tectumque est ius reale Presbyterorum , sed solum ad imam sedem sunt deiecti.

Ex hoc pariter nullum damnum fore obventurum Presbyteris videtur, quia pensio in themate venit alimentorum causa; ast lex in alimentis favorabiliorem debiti causam respicit, nec arrestari sinit. Quare alimenta fore privilegiata extra omnem dubitationis aldem positum est. Attamen in italo Codice solemne est creditum privilegiatum creditis etiam hypothecariis fore praeferendum *art. 1953 De privilegiis cap. 1.* Ergo Presbyteri, creditoribus hypothecariis concurrentibus, primam sedem obtinent.

Quoad Vero debitoris personam nullum quaesitis iuribus presbyterorum paratur damnum; eo quod ad conservandam hypothecam contra personam debitoris non est necessaria inscriptio vel renovatio; hinc iura creditoris adversus hunc integra omnino servantur, quaecumque ea fuerint, Zachariae *hoc tit. tom. 1* §. *128* idemque sentiunt tum externa tum nostra tribunalia, Aula Leodiensis apud Dénévers année 1870

supplément pag. 32. Rota in Romana delection. vinculi locorum montium *Iunii 1817* §. *4 coram Zinanni.*

Quapropter ius reale presbyterorum quaquaversus consideretur in suo robore perstat. Quamquam vero ille qui sacrum constituit patrimonium vitâ functus fuerit, nihilominus, Episcopus ait: haeredes obligantur iuxta actum originarium sacri patrimonii, hinc actio personalis in promptu est. Et ideo sacra patrimonia sarta tectaque manent.

www.libtool.com.cn

Quum autem patrimonia sacra naturâ suâ, sint perpetua nequeunt ope iuris extingui per beneficii assecutionem, sed facto opus est, atque Episcopi assensu; qui recognoscat an Beneficium sit legitime acquisitum, et ad vitae substentationem par sit; illudque subroget in locum patrimonii, ceu pluries decrevit S. C. Concilii penes Fagnanum praesertim in Aquilana *24 Februarii 1652 lib. 19 Decret.pag. 172* ubi S. Congr. respondit. « *Renunciationem patrimonii ad cuius titulum Clericus simpliciter sacris Ordinibus fuit initiatus, absque licentia Episcopi factam non sustineri etiam post assecutionem beneficii ad eius vitam sufficientis.* » Et cum in eadem Congregatione diei 12 Iulii 1687 propositum fuisset sequens dubium « *An bonis ad commodam sustentationem postea quaesitis, vel beneficio sufficienti a lepto, statim patrimonium evanescat, vel potius requiratur expressa subrogatio bonorum seu beneficii assequuti ab Episcopo facienda loco patrimonii, qua subrogatione expresse non facta, patrimonium adhuc vigeat* ». Sacra etc. *censuit danda esse decreta alias edita et signanter 8 Augusti 1602 tenoris sequentis.*—Quaeritur an verba illa Concil. *in cap. 2 Sess. 21, atque deinceps alienari* etc. *intelligenda sint, ut postquam Ordinatus adeptus fuerit unde vivere possit, requiratur etiam licentia Episcopi? S. Congr. censuit requiri licentiam quamvis ordinatus sit adeptus.* Idemque resolutum fuit in Senog llien. *25 Iunii 1705.* Nam proposito dubio – *An impetrato beneficio, bona in titulum patrimonii ante assignata redeant ad primaevum statum* Responsum fuit: *Negative.* Ergo quum in themate Episcopi decretum abfuerit, penes praedictos Sacerdotes sacra patrimonia manere dicendum est.

Neque opponi posse videtur Presbyteros bona hypothecis gravata alienasse; quia horum venditio ipso iure nulla est, ex quo eadem alienari nequeant absque venia Episcopi ipsius, ceu habetur in *d. cap. 2.* « *atque deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint.* » Quae verba inducunt nullitatem actus ipso iure, propter adverbium illud *nullatenus* quod tollit omnem potentiam alienandi, *ex Glossa in Clem. 1. verbo nullatenus, de sequest. possess. et resolvunt Gratianus Discept. Forens, 159 n. 18, Gonzalez ad regul. 8 Cancellar. gloss. ultim. n. 65.* aliique.

Secundum aggrediendo dubium visum est abesse in themate irregularitatem, sive dicere placeat sacra patrimonia adhuc subsistere sive non. Quod irregularitas exulet in primo casu res per se loquitur . Quoad secundum autem, nempe si patrimonia haud amplius existerent, sic ratiocinari placuit. Irregularitas videretur incursa fuisse, quia Clericus qui ordinatus est absque titulo, incurrit suspensionem latae sententiae, et eam violans incurrit irregularitatem ex Concilio Chalcedonensi *act. 15 can. 6* – ibi – « *Sanctorum canonum statutis consona santione decernimus, ut sine titulo ordinatio irrita habeatur, hoc est sic ordinatus incurrat suspensionem latae sententiae, quam violans efficitur irregularis.* » Ergo pari de ratione idem iudicium de Presbyteris in themate est ferendum; dum ratio est eadem, nimirum tituli carentia. Iam vero ubi eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio, *l. illud. ff. ad leg. Aquil., leg. a Titio de verb. oblg. et cap. Inter corporalia 2 de translation. Episcop. Cum ratio legis sit anima legis l. cum ratio 7 ff. de bonis damnatorum.* Itaque Sacerdotes, suspensione semel violata, irregularitate afficiuntur.

Huiusmodi sed vero difficultas nullius roboris esse videtur. Irregularitas enim, auctore Suaresio, *concl. 3 n. 15 disp. 40 de irregul.* « ut contrahatur, non satis est, quod in simili » casu, vel minori posita sit; sed necesse est, ut in propria » specie talis causae, vel delicti lata sit. Haec est communis

» sententia quae satis colligitur ex *cap. Is qui*, tum propter » verbum illud *expressum in iure:* nam quod solum per ar- » gumentum a simili elicitur, non potest dici in iure expres- » sum. Tum etiam ex casu illius textus: dicitur enim ibi, » celebrantem in Ecclesia polluta non manere irregularem, » quia id non est in iure expressum: et tamen profecto si » argumentum a simili in hac materia validum esset, illud » esse maximum, quia celebrans in Ecclesia interdicta fit » irregularis: quamvis autem non sit idem, Ecclesiam esse » pollutam, et interdictam, sunt tamen valde similia; quia » utrumque est quoddam canonicum impedimentum continens » prohibitionem Ecclesiasticam, contra quam agere in utro- » que casu peccatum mortale est. Ergo cum in hoc non va- » leat argumentum a simili ex mente Pontificis, signum est » numquam valere. Denique non solum in irregularitaie hoc » locum habet, sed etiam in omni poena, quae ipso iure im- » ponitur, ipsoque facto incurrenda est: numquam enim poena » ipso iure lata pro uno crimine, incurritur in altero, ipso » etiam iure, seu facto, quantumcumque simile, aut aequale, » aut maius videatur. Quia de facto imposita non est ex vi » alterius legis, quae in alio tantum casu loquitur et exten- » denda non est; tum quia odia restringenda sunt; tum et- » iam quia hoc pendet ex voluntate Legislatoris quae tam » limitata esse censetur, quam verba eius. » Atque ita docet Hostiensis in *cap. Si celebrat. de clerico excomm. ministr. num.* 5. *Panormitanus in cap. ult. de iure Patronat. n. 8 citans Ioannem Andream et communem in regula Odia de Regul. iuris in 6. et alios refert Tiraquellus num. 243, et Covarruvias in 4 Decretal. 2 part. cap. 8* §. *8 n. 8. et Castro lib. 1 de Lege poenali, cap. 7 docum. 3.*

Praeterea nulla incurritur irregularitas, nisi a iure sit expressa, ceu perlegere datum est in *cap. Is qui de sentent. Excomm. in* 6° – ubi – Licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen cum id non sit expressum in iure, laqueum non incurrit. — Huius autem iuris nomine, occurrunt tantum Pontificis Decreta, seu Concilii a Papa approbati, quemadmodum

constat ex absoluta iuris appellatione. Nam ius particulare cuiuscumque privatae Ecclesiae, vel Nationis non appellatur ius simpliciter, praesertim in iure canonico, sed vocatur Episcopi statutum, aut synodale, aut provinciale, iuxta *cap. 2 cum similibus de Constitutionibus in* 6°. Hinc nec venit consuetudo, docente eximio Suaresio *Concl. 13 Disp. 40 de irregul. sect. 4.* « Cum enim in dict. can. Is qui, pro regula » ponitur, nullam esse irregularitatem, nisi sit in iure expressa, manifeste excluditur omnis alius modus inducendi » irregularitatem. Item ob hanc causam sufficiens principium » et ratio ad excludendam ab aliquo casu irregularitatem est, » non esse in iure contentam: illa autem collectio bona non » esset, si allegari posset traditio, vel alia consuetudo ad » irregularitatem sine iure comprobandam. Adde, nullam censuram ipso facto incurri posse, nisi vel in iure expressa » sit, vel per hominem imponitur; in irregularitate autem » non habet locum impositio per hominem: ergo semper ad » ius ipsum recurrendum est. Quin potius de omni poena, » seu inhabilitate privativa est generalis regula, numquam » incurri ipso facto nisi sit in iure expressa, ut tradunt Abbas, et Felinus in *Cap. Quaerebam de Iureiurando*. Estque » id valde consentaneum rationi, tum quia odia restringenda » sunt, neque facile admittenda; tum etiam quia licet consuetudo possit introducere obligationem legis quoad vim directivam, non tamen quoad vim coactivam, praesertim ipso » iure seu facto; quia numquam poena censetur hoc modo » posita, nisi id expresse constet quod accidere potest ubi » verba non sunt expressa: quia ergo irregularitas privatio » est ipso facto incurrenda, necesse est ut in iure expressa » sit. » Affabre Fagnanus *C. si quis presbyter de cler. excomm. n. 5* scribebat – qui dicit aliquem irregularem, debet dare causam Iuris. – Profecto in iure ne ullum quidem verbum de Sacerdotum irregularitate, propter patrimonii interitum, extat. Ergo presbyteri ab irregularitatis labe sunt immunes.

Relate ad censuras observatum est quod etsi presbyteri

illi viderentur censuris irretiti, quia bona ecclesiae vendiderunt inconsulta auctoritate ecclesiastica; plura tamen suadent eosdem in censuris haud incidisse. Quod enim ipso iure nullum est, nullum effectum habere potest *vulg. cap. non praestat impedimentum, cum ibi not. Extr. de Reg. iur. in 6.* Profecto venditio a Sacerdotibus peracta, ex dictis, nullitate laborat; ideoque Sacerdotes nequamquam in censuras incurrisse retinendum est; idque eo magis quia quum in casu adsit bona fides, deest contumacia et censurae contemptus, qui necessarius omnino est ad censuras incurrendas.

www.libtool.com.cn

Cui conclusioni, praeter alios canonistas, assensum praebet Garcias Tract. de Benefic. Tit. « *Ordinatus ad titulum patrimoni qui post ordinationem illud retro donat, seu renunciat, vel alienat, quamvis peccet mortaliter, quia facit contra prohibitionem Concilii maxime cum sit facta ob bonum publicum principaliter, et favorem totius Ordinis clericalis, et sic castigari posset per Episcopum, tamen non incurrit ullam suspensionem* » *Navarrus 158 versic. 2 quod et dicto consilio 22.* Salcedo *supra num. 13* Ioann. Gouttieres *pract. lib. 2 quaest. 65 num. 9.* Emmanuel Rodriguez *d. cap. 15 n. 4,* aliique quamplures.

Et ratio est quia iste non est ordinatus sine titulo, et sic non esset suspensus, etiam stante suspensione contra ordinatum sine titulo, et nullo iure talis poena reperitur imposita contra ordinatum retro donantem, vel alienantem patrimonium ad cuius titulum fuit ordinatus, sed solum, quod renunciatio et alienatio est nulla ex concilio d. can. 2. – ibi – « *atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint.* »

Quae sententia confirmatur a Bonacina *par. 5 n. 125* subdens « *quia talis venditio est ipso iure nulla, et ita patrimonii titulus validus remanet; unde talis sacerdos dicitur cum vero titulo ordinatus; poena autem Canonum per Tridentinum innovata non imponitur eis qui patrimonium alienant, sed qui sine eo ordinantur* ».

Eadem habet Thesaurus de poenis ecclesiasticis *part. 2.*

Ordo cap. 11. « *qui post ordines receptos suum beneficium aut patrimonium, aut pensionem dimittit sine licentia..... non habens aliunde, unde commode sustentari possit, peccat mortaliter, nullam tamen censuram aut poenam latae sententiae incurrit. Sed merito puniri potest et debet a suo Ordinario ita DD. communiter, quos allegat Barbosa in remiss. ad d. cap. 2, Trid. Sess. 21 litt. T. et deberet Episcopus eum suspendere a divinis donec reintegrari sibi fecerit titulum suum.* »

www.libtool.com.cn

Eadem S. C. Concilii die 6 Martii 1638 apud Benedictum XIV *notif. 26 n. 38,* « *censuit eum qui de facto alienavit patrimonium, ad cuius titulum fuerat ordinatus, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuisset, in censuras non incidisse, sed alienationem factam, esse ipso iure nullam.* » Ergo erui posse videtur Presbyteros, de quibus in themate nullis censuris adstrictos fore.

His praemissis Eminentissimorum iudicio resolvenda supposita fuere.

Dubia

I. *An omissa renovatione inscriptionis hypothecariae, patrimonia sacra adhuc perdurent in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An Sacerdotes inciderint in irregularitatem et censuras in casu.*

Et quatenus affirmative.

III. *An et quomodo concedenda absolutio in casu.*

IV. *An favore Sacerdotum loco patrimonii sacri excipiendae sint meliores cautiones Episcopo oblatae, remissis solemnitatibus a sacris Canonibus sancitis in casu.*

V. *An et quomodo elargienda sit Episcopo facultas dispensandi a patrimonio sacro in casu.*

RESOLUTIO

Sacra C. Concilii die 8 Iulii 1876, causa discussa, resolvere dignata est:

Dilata et ad mentem: la mente è che il Vescovo proponga distintamente le domande e quali facoltà (1) *desidera, e in pari tempo gli si faccia conoscere che li chierici in sacris non incorsero nè la sospensione nè la irregolarità.* Latine - « Dilata et ad mentem; mens est quod Episcopus distinte proponat petitiones, et quales desideret facultates; eodemque tempore certior fiat quod clerici in sacris haud inciderint neque in suspensionem, neque in irregularitatem. »

www.libtool.com.cn

Ex inde colliges.

I. Nisi deleatur obligatio princeps, deleri nequit hypotheca; quae est firma accessio contractus, et ius reale in securitatem creditorum bonis perpetuo inhaerens ad cuiuslibet manus ipsa hypothecata bona transierint.

II. Hypothecae renovationem praeseferre bonum anterioritatis in creditorum concursu; ex legibus enim recentioribus ille est potior in iure, qui est prior in inscriptione.

III. Ideoque presbyteros in themate ex eorum negligentia tantum passos esse anterioritatis iacturam, non vero obbligationis delectionem: ex quo fit quod eisdem presbyteris semper liceat inscriptionem renovare, firmo manente credito, et sacra patrimonia sarta tectaque maneant.

IV. Sacra patrimonia esse, suapte naturâ perpetua; hinc ope iuris solummodo deleri nequeunt, sive per assecutionem beneficii, sive per bona postea quaesita, sive quia eadem ss. patrimonia divendita fuerint a presbyteris, dum ipso iure venditio eiusmodi nulla sit.

(1) Episcopus P. adhuc, tempore quo scribimus, neque distinctas fecit petitiones, neque alias expetivit facultates. Forsan ille casibus consulit particularibus, qui in sua Dioecesi obvenire queant, singulariter facultatem excipiens a S. Sede. Veruntamen nos ne obliterata maneret quaestio eiusmodi, quae haud parvi nobis momenti visa est pro eo quod iam resolutum fuit circa suspensionem et irregularitatem, eamdem tradimus lectoribus nostris. Omittimus tamen disceptationem quaestionis huius in ea parte, quae tria ultima respicit dubia, quae a S. Cong. Concilii insoluta relicta fuere. Quod superest dabimus, quatenus dictus Ordinarius posthac ad eamdem S. Congregationem, modo prescripto, recurrat.

V. Hinc ad extinguenda ss. patrimonia requiri omnino Ordinariorum licentiam dum Conc. Trid. *Sess 11. cap. 2.* clare edixerit « atque illa (ss. patrimonia) deinceps *sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint.* »

VI. Ad irregularitatem incurrendam requiri quod haec in iure expresse contineatur pro una specie determinata; nec sufficere hanc latam fuisse pro casu simili vel minori; numquam enim poena pro uno crimine lata incurritur pro altero, quod simile, aut aequale aut etiam maius videatur.

VII. Proindeque etiamsi ss. patrimonia in themate non amplius existerent, presbyteros haud censendos esse irregularitatem incurrisse, quia ex iure illi qui ordinatur *sine titulo incurrit suspensionem latae sententiae, quam violans efficitur irregularis;* non vero ille qui post ordinationem, quocumque modo sacri patrimonii expers fiat.

VIII. Insuper etsi graviter peccent presbyteri, qui post ordinationem sacrum patrimonium retrodonant, renunciant, vel alienant, et castigari per Episcopum possint, nullam tamen incurrunt suspensionem.

REMOTIONIS IMPEDIMENTI.

Die 3. Marti 1877.

COMPENDIUM FACTI. Angela N. anno 1875 in Curia Episcopali A impedimentum Sponsaliuna proposuit adversus Franciscum M. ob matrimonii promissionem, quam autumavit ab eodem retulisse tum verbis, tum scriptis usque ab anno 1871: quamque subsequutum est carnale commercium cum prolis procrea-

tione. Ritu (1) summario iudicium super id instituit Vicarius Generalis; amicamque sententiam oratrici protulit. Haud sententiae isti acquievit Franciscus; sed apud S. C. Congregationem impedimenti remotionem expostulavit. Insuper expetivit dispensari ab impedimento sponsalium *quatenus constet, et ad cautelam;* adiiciens quoque se paratum esse Angelae compensationem praebere, quam S. C. Congregatio expedire duxisset.

Ordinarius de informatione et voto requisitus, hanc detulit sententiam; Franciscum tali in conditione constitutum esse ut facile solvere posset biscentum ducata in damnorum compensationem. Quae pecuniae vis aliquo modo stare posset, adiicebat Episcopus, loco ducatorum 400, quae Franciscus, cum deprehensus fuerit in flagranti commercio cum praedicta puella, adpromiserat, quatenus matrimonium contrahere abnueret. Quoad nuptias vero per difficile esse, ait Episcopus, Franciscum induci posse ad consensum prestandum, post acrem contentionem: eoque fortius quia alias inhiat nuptias.

Disceptatio synoptica.

Ea quae Francisci defensor produxit. Duo in contentione eiusmodi, de partium consensu, concordata fuere dubia, ceu in calce videre est. Et ad primum quod spectat, aiebat orator, sponsalia in themate aut nulla sunt aut si quae adfuerint resolvi debent. Quod nulla extiterint sponsalia ex eo deduxit quod mulier ab alio iam desponsata et deflorata fuisset. Siquidem *ex cap. 22. de sponsal.* irrita atque nulla efficiuntur sponsalia, si alia quae praecesserint in suo vigore permaneant: idque procedit quamvis in secundis promissis iuramentum intercesserit; ita post textum in *cap. 22 de sponsal. n. 5.* « *si quis vel quae cum dua-*

(1) Forma iudiciorum iuxta canonicum commune ius in duas dividitur classes: Prima vocatur *ordinaria* seu *solemnis*, altera vero *summaria* appellatur. Solemnis vel ordinaria forma antiquior, forma autem summaria recentior est. Quum de forma solemni auctores diffuse loquantur, quoad iudicium summarium adeat lector Volumen V. huius ephemeridis pag. 85 appendix I. *De potestate ecclesiastica iudicandi, deque iudiciis summariis.*

bus vel duobus sponsalia de futuro contraxerit, nec copulam habuit cum secunda sponsa, nulla et irrita sunt sponsalia posteriora etiamsi iuramento sint confirmata;..... unanimis et certa. Quod obtinet etiamsi cum secunda sponsa interfuerit copula, dummodo priora sponsalia fuerint ignorata; quia ex culpa sponsi vel sponsae nequit infirmari prima fides alteri exhibita; Reiffen. ex aliorum DD. sententia *tit. cit. num. 7 etiam in casu, quo posterioribus sponsalibus accessit copula, et pars illa, cum qua posteriora contracta fuerunt, ignara fuerit priorum sponsalium et consequenter decepta; valent in hoc casu sponsalia priora.* Quin imo etiam in casu, quo secundus sponsus dignoscat, sponsam fuisse a priori sponso defloratam cum promissione matrimonii, dummodo hic prior in coniugii proposito perduret, irrita sunt secunda sponsalia, utcumque copulam concomitantia; ita quoque ex *communi ac certa* tradit idem Reiff. *tit. cit. n. 6. Etsi posterioribus sponsalibus accedit copula aut etiam impregnatio nulla sunt et irrita si cum primo quoque sponso aut sponsa habita fuit copula; aut posterior sponsus aut sponsa conscius fuit, quod matrimonium ei promittens prius iam cum alio contraxerit sponsalia:* Palao *de sponsal. disp. 1. pun. 22. n. 6 Pontius de Sponsal. l.22. cap. 24 cum communi ac certa aliorum.* Quorum opinio fulcitur obvia iustaque ratione; quia nempe ex culpa sponsae non debet sponsi ius infringi; secus enim latissima via collusionibus et fraudibus aperiretur; et sponsalia rite ac valide inita confirmataque copulà carnali, facile eluderentur posterioribus fornicationis culpis, quae ut fides prior infirmaretur, continuo admitterentur.

Quo in iure praestituto, ait orator Francisci; cliens Angelam carnaliter cognovit quando iam alio desponsata fuerat, et ab eodem deflorata, et tempore commercii carnalis Francisci adhuc perdurabat in defloratore voluntas Angelam ducendi in uxorem. Ex quibus arguitur quod si aliqua sponsalia a Francisco cum Angela contracta fuerint, nulla atque irrita declaranda fuissent, quia priora adhuc vigebant.

Quod sponsalia vere extiterint inter Angelam et eius de-

floratorem, cum quo fugam e domo paterna arripuit, ipse deflorator, praevia iuramenti religione, asseruit. Ast uti indubia admissa confessione defloratoris, praesumptio exurgit quod Angela quoque in sponsalibus consenserit; et quod si defloratio intercesserit, intercessisse etiam matrimonii promissionem retineatur. Omissis enim aliis testimoniis *S. Rota Romana decis. 28 n. 23 apud Coscium de sponsalit.* decrevit: « *Si puella consensum praebuit, ut suae virginitatis iacturam faceret, facto ipso, quod verbis est potentius, repromissionem suam praestitit, ac sola spe futuri oblati coniugii honesta mulier id gessisse praesumitur.* In themate praesumptio ex facto oritur; nam Angela haud inopinam aggressionem passa est, sed libenter media iuveni praebuit, ut suum noctu conscenderet cubiculum. Quibus tamen praesumptionibus praestantior confessio mulieris accedit, tempore non supspecto deprompta.

Attamen admissa hypothesi validitatis sponsalium Angelae cum Francisco, admitti quoque debet uti iusta et sufficiens causa ad eodem dissolvenda praecedens defloratio quam Angela passa est. Etenim si sponsus deprehenderit sponsam ab alio fuisse defloratam, iuste a sponsalibus recedit: primum quia ignominiosum est ducere corruptam; secundo quia notabilis in muliere intervenit mutatio; quae tunc incidere dicitur cum primo stuprum dignoscatur: idque ex iuris principio quod paria sunt tam non esse quam non apparere *c. pastoralis de except.*; tertio quia damnum iniuste patitur sponsus utpote bigamus ex muliere corrupta evadens, ac proinde irregularis Castro Palao *de sponsal. disp. 1 pun. 29. n. 4.* Gouttierez *de Sponsal. c. 34. n. 2.* Sanchez de *Matrim. l. 1. disp. 63. n. 3.* Reiffenst. *in decr. l. 4. t. 1. §. 8. n. 746.*

Idipsum etiam obtinet quando sponsus defloratione ignorans sponsam carnaliter cognoverit; atque hoc sive fiete matrimonium promiserit ut corporis copiam haberet, sive veraciter spoponderit. Petrus De Ledesma *de matr. qu. 45 art. 4. dub. 1. ad confir. 3.* Sanchez *de matrim. l. 1. disp. 10*

n. 11. Reiffenst. *in decr. tit. de sponsal.* §. *4. n. 228* et Rota Romana *decis., 19 n. 31. p 10 rec.* « *dum Ioannes cum dicta Angela ad sponsalia devenit sub credulitate, quod ipsa esset virgo, cum talem sese esse finxerit, ac illius impudicitiam ignoravit iste pariter non tenetur matrimonium contrahere vigore sponsalium.* »

www.ibtool.com.cn

Etiam S.C. Concilii in *Hidruntina Sponsalium 3. Martii 1855,* infirmavit sententiam Vicarii Generalis Hidruntini, qui impedimentum ob Sponsalia admiserat, nullo in pretio habens defiorationis exceptionem a muliere ab alio iam perpessae.

Testis aliquis innuit praesumi posse defiorationem Angelae notam esse debuisse Francisco ceu eidem innotuit fuga puellae; quae publica fuit, et accidit prope Francisci domum. Respondit defensor irrationabiliter praesumi vel ipsum agnovisse stuprum vel nihil hoc pendisse, quia « *nihil volitum quin praecognitum* » et *voluntas non fertur in incognitum.* Insuper ex regula iuris *in cap. 47 de reg. iur. 6. praesumitur ignorantia ubi scientia non probatur,* recto infertur quod cognitio stupri debeat esse certe et evidenter demonstrata, ut sponsus ad mulierem accedens censeatur renunciare exceptioni perpessae defiorationis. Ita ut si haec certa demonstratio deficiat, sufficiat etiam ut sponsus culpam sponsae probabiliter ignoret. Guttierez *tract. de matrim. c. 34. n. 2.* Pignatelli *lib. 4. tit. sect. 3. n. 6.* « *Si praedictae causae erant ab altero contrahente probabiliter ignoratae, iis postea cognitis dant illi ius rescindendi sponsalia.....nam paria censentur in iure non esse, et non apparere.*

Nullius pariter esse roboris obligatio matrimonii, et syngrapha solvendi 400 ducata, uti pena quatenus Franciscus matrimonium contrahere abnueret : quia ex dolo et metu extortam fuisse syngraphan illam constavit. Dum parentes ipsimet puellae omnia iam paravissent, quando Franciscus in cubiculum Angelae introductus fuit.

At vero « *fraus et dolus nemini debent patrocinari* » et *cap. 5 de reg. iuris* « *quod latenter et per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.* » Quod

profecto etiamsi absque violentia promissum fuerit, ex dispositione tamen Sacrorum Canonum omnino infirmatur cap. 29. de Sponsalib. « *cum itaque libera matrimonia esse debeant, et ideo talis stipulatio propter poenae interpretationem sit merito improbanda, mandamus, quatenus, si ita est, eumdem B. ut ab extorsione praedictae poenae desistat, ecclesiastica censura compellas.* »

www.libtool.com.cn

Defensor animum vertens ad dubium secundum praemonuit incertum valde fuisse quod Franciscus mulieri matrimonium promisisset cum eam carnaliter cognosceret. Idque primum eruit ex testium depositione, quorum nullus caussam cognitionis quoad sponsalia exhibuerit; quum nemo retulerit quibus expressionibus promissiones ex utraque parte datae fuerint. Et ex facto ipso syngraphae, qua sese Franciscus obligavit aut inire matrimonium; aut 400 ducata solvere, deduxit orator nullas intercessisse matrimonii promissiones. Quia syngraphâ illâ Franciscus cogebatur ad obligationem tamquam tunc primum contractam, ac veluti ad poenam flagrantis culpae obsignandam; dum ex adverso omnia tranquille processissent, quia utraque pars in culpa deprehensa, iam se desponsatam ultro fuisset confessa.

Adiecit tandem Francisci orator: quamvis ex detecta defloratione resoluta esse censeri debuissent eiusmodi secunda sponsalia; tamen potiori ratione indulgenda fuisset dispensatio *ad cautelam*, quatenus EE. Patribus existentia atque validitas sponsalium admittenda visa fuisset. Graves adfuisse rationes ad id obtinendum autumavit; qualis fuit infamia a muliere ob repetitam fornicationem cum defloratore incursa, quaeque refunderetur in familiam Francisci per eiusmodi coniugium. Et cum fornicationum publicatio causa mulieris facta fuisset, quae iudicium instaurare pro impedimento contra Franciscum cupivit; iniquum ferme videretur, ut dedecoris sui poenam perferret Franciscus « *quod quisque ex sua culpa damnum sensit non intelligitur damnum sentire leg. 203 ff. de reg. iuris* » atque in l. 74 ff. eod. tit. « *non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri.* » Hisce cau-

sis accedit viri aversio ob iurgia et convincia quae locum habuerunt, et quia iam Franciscus ad aliam mulierem nubendam animum et mentem applicuit. Quae causae plurimi penduntur a DD. ad excludendam coniugii coationem ; et S. Rota Romana in *Amerina Sponsalium* 8 Februari 1841 §. 6. coram *Quaglia* – ibi – « *Vicissim vero satis validae visae sunt causae per Vincentii oratores adductae ob quas reluctatur matrimonium contrahere. Occurrit animorum dissociatio exorta ante litis initium, quaeque per hanc litem recrudescit; occurrit propinquorum, atque praesertim Vincentii matris harum nuptiarum improbatio; ac demum occurrit Vincentium animum adiecisse ad aliam mulierem ac cum ea matrimonium praeparasse; quae quidem causae etiam seiunctim satis sunt ad excludendam coactionem perpendit Rota.* »

Cum S. C. Congregatio saepe perpenderit, prosequutus est defensor, quam difficilis exitus sit censurarum remedio ad matrimonii coactionem devenire, etiam in casibus, in quibus constaret de sponsalibus contractis, dispensationis beneficium ad graviora removenda mala, indulgere consuevit. Exemplo sunt *Pistorien. Sponsalium super dispensatione diei 7 Iunii 1856, et Bisinanien. dissolutionis sponsalium diei 19 Septembris 1841.*

Ea quae mulier in sui favorem produxit. Praemonuit Mulier sponsalia inita cum Francisco haud nutare post latam Curiae sententiam, et post repetitas confessiones ab eodem Francisco peractas pluribus in adiunctis. Quinimo eadem sponsalia vim accipere per supplicem libellum Sanctissimo admotum, in quo formiter declaravit Franciscus sese appellationem retrahere, sed tantum petere dispensationem ab eisdem *quatenus constet et ad cautelam.* Certumque fuisse, ait mulier, quod ex amoribus cum Francisco puerum in lucem edidi, qui viginti et octo vixit menses ; quodque factum idem admisit Franciscus. Posita igitur evidentia sponsalium, posito damno illato per prolis susceptionem eruitur contra SS.Canonum disciplinam impedimenta relaxari non posse, nisi legi-

timae et gravissimae causae probentur sive ad *rescissionem* sive ad *dispensationem*.

Quoad *rescissionem* obiectum fuit alia sponsalia praecessisse cum alio iuvene; ideoque nulla atque irrita fieri secunda. Huic obiectioni responsum fuit quod non liceret Francisco allegare exceptionem *de iure tertii*: nam iuvenis qui prima inierat sponsalia non modo numquam eadem invocavit, sed multo ante hoc iudicium tempore, aliam duxit uxorem. Adiici debet quod sponsalia cum alio iuvene nemo testatur, nemoque probavit; et inauditum est illa absque aliqua probatione praesumi posse. Praeterea etiamsi sponsalia inita cum primo iuvene praesumi possent, irrita evasissent postquam iuvenis ille aliam sibi matrimonio copulavisset. Quod enim sponsalia per recessum solvantur testatur Reiffenst. *lib. 4. tit. 1. §. 7 n. 211* « *Quando* (quis) *ita se gerit, aut tale quid agit, quod ipso facto sponsalia aut matrimonium recusare merito censeatur.* » Et S. Rota in Albanen. *Sponsaliorum super censuris 15 dec. 1710* §. *Accedebat*, haec habet « *Per non factam reclamationem actui indicativo recessus a contractu passim inducitur mutuus assensus in recedendo ab eodem contractu, ut in proposito Goffred. Hostien. et sequitur Sanchez etc.* ».

Alia rescissionis ratio iuxta Franciscum fuit stuprum antea mulieri illatum; quippe vulgatum in iure est antecedentem hanc dedecoris notam solvere sponsalia postmodum sequuta. Verum mulier in facto contendit hanc suam calamitatem notam Francisco fuisse tum quia id evenit in parva civitate, tum quia in eadem civitate domus mulieris et Francisci quadraginta passibus inter se distent. Insuper quod raptus et fuga mulieris innotuissent Francisco testes adducti confirmarunt, idemque Franciscus id fassus est. Nam in iurata inquisitione legitur: Franciscum admittere se, post carnale commercium scivisse mulierem ab alio raptam et defloratam fuisse; attamen si post eiusmodi notitiam alias matrimonii renovavit promissiones, ad id fuit coactus timore minarum patris mulieris.

www.libtool.com.cn

Atqui si Franciscus ipse ait sibi notam fuisse praecedentem puellae iacturam, et nihilominus promissiones ac repromissiones iteravit, conclusit mulier eum amplius non posse a fide resilire, ut docet Cosci *de sponsal. vot. 7. n. 104.* – ibi – « *Si scienter et voluntarie sponsus cum defiorata sponsalia contraxerit..... censetur cessisse iuri suo, et consequenter nec sponsa sponsi, nec respective sponsus sponsae pravos mores amplius reprobare potest.* » Unde Sanchez *de matrim. lib. 1. disp. 63 n. 2.* - ibi - « *Pro hac sententia videtur aperta glos. cap. Quaemadmodum, verb. Praecedentem, ubi reddens rationem cur ob praecedentem foeminae fornicationem non licet sponso resilire, ait quia contrahendo cum ea videtur mores eius adprobare.* »

www.libtool.com.cn

Quibus accedit quod Franciscus non modo sponsalia contraxit, sed eadem ratione peccavit, quam nunc in mulierem redarguit, ideoque semper reiiciendus esset, ut notat Sanchez *de matrim. lib. 1 disp. 66 n. 2.*

Neque dicere fas est puellam corruptam nullam mereri pietatem ; nam id Franciscus pernoscens sponsalia contraxit, et sub hac fide puellam utero gravem reddidit animo decipiendi eamque fraudandi. Nam cum nemini fraus et dolus patrocinari debeant, si turpiter mulier cecidit, turpius deceptor abutitur sub aequitatis specie. Insuper aetate maior, parentibus vita functis, plena ille libertate uti potest ; deque obsoleto mali exitus praetextu admonet Reiffenst. *lib. 4. tit. 1. §. 8. 268* « *Certe raro contingit, quod ob matrimonium contractum inter parentes et consanguineos sponsorum tantae inimicitiae vel discordiarum pericula immineant quae ad dissolvenda sponsalia sufficiant* ».

A rescissione sponsalium ad eorumdem transiens dispensationem observatum fuit, gratiam contra matrimonii impedimentum concedi non posse nisi maxima iustitia duce : Reiffenst. *in append. ad lib. 4 de dispensat. §. 1. n. 1. seq.* « *Quamvis sponsalia solvi potius quam dispensari dicantur... notandum quod ad dispensandum in impedimento voti et sponsalium Pontifex necessario habere debeat iustam causam, quia ambo*

impediunt matrimonium iure divino, in quo nec valide nec licite dispensare potest Papa. » Ast inter causas dispensationis ab auctoribus notatas nulla favet Francisco ; imo vero rationes inimicitiae. scandali, pacis ineundae, copulae habitae, infamiae mulieris suadent potius *servari sponsalia* ut medela adhibeatur, quam dispensari ut inter deceptae ac deceptoris familias gravissima aliqua calamitas expectanda sit.

www.libtool.com.cn

Neque pecuniariam admisit mulier compensationem titulo poenae vel damnorum sarcitione. Quamvis enim in chirographo stipulatio poenae inveniatur, quatenus pactis deficeret Franciscus, tamen unilateralis chirographus est, cui nec mulier neque alii pro ea suscripserunt ; ideo in contractum verti nequit. Adiecit insuper mulier propriam familiam nedum indigere, sed Francisci familiam antecellere ; proindeque poenam a Francisco oblatam semper vilem imparemque evadere. Ex iure quoque poenae sponsalibus adiectae nullo in pretio habentur; ceu docet Cosci *de sponsal. vot. 6. n. 130* - ibi - « *Quoties stipulatio contractus sponsalium in se contineat, et secumferat poenale pactum, istud pro non apposito habetur, utpote ab utroque iure damnatum.* » Quam compensationem intollerandam esse cum mutuae promissioni accesserit corporis traditio docent Sanchez *lib. 1. disp. 9. n. 3. disp. 44. per tot. Reiffenst. de matrim. n. 115 Rota in Romana Sponsalium 24 Ianuar. 1738* §. *Constabilito et in confirmator. 8 Iun. 1739* § *et sane cor Nunez.*

Quibus relatis proposita fuere dirimenda

Dubia

I. *An et quomodo sit locus remotioni impedimenti sponsalium in casu.*

Et quatenus negative.

II. *An sit consulendum SSmo : pro dispensatione in casu.*

RESOLUTIO.

Sacra C. Concilii die 3 Martii 1877, causa visa, respondere censuit.

Ad I. praevidebitur in secundo.

Ad II. affirmative, solutis ab oratore ducatis biscentum in compensationem damnorum. (1)

www.libtool.com.cn

EX INDE COLLIGES.

I. Nulla atque irrita effici secunda sponsalia etiam iura-

(1) Gregorius Nonus *lib. 4, tit. 1 cap. 2 de sponsalibus* ait: *Praeterea hi, qui de matrimonio contrahendo pure et sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, et omnibus modis inducendi, ut fidem praestitam observent.* Ex quibus verbis erui videretur, quod sponsi omnino cogendi essent ad fidem, quam sibi invicem dederunt, praestandam; ita ut nullis mediis, ne censuris quidem, parci debeat ad finem consequendum. Idem namque Pontifex *cap. 10 eod. tit.* etiam respondebat, quod si is qui iureiurando aliquam in uxorem ducere promisit, monitis Episcopi non acquieverit *ecclesiastica censura* eum compellat, ut ipsam in uxorem recipiat, et maritali affectione pertractet. Verum his praecisis verbis hanc addebat Pontifex parenthesim: *Nisi rationabilis causa obstiterit.* Huius Decretalis sensum exponens Cuiacius quoad dictam parenthesim sic se habet: *Exempli gratia rationabilis causa est, si illo coacto ad peragendas nuptias prospiciatur periculum aliquod grande discordiae et odii acerbioris.* Quae Cuiacii interpretatio affabre confirmari videtur ex responso quod idem Pontifex dabat *cap. 17 eiusd. tit.* Interrogatus enim, qua censura mulier compelli debeat, quae iurisiurandi religione neglecta nubere renuit cui se nupturam, interposito iuramento firmavit: respondit: *Quod cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.*

Quamobrem DD. arbitrantur, Pontificis mentem fuisse, quod iudex omnimode conetur, etiam per censuram, ut partes promissionem suam, praesertim iuramento firmatam, adimpleant; nisi praevideat quod eiusmodi coactio difficiles exitus sit habitura.

Et Sanchez *de Matrimonio lib. 1. disput 29.* rationem assignavit, qua merito eo in casu, quando nempe difficiles exitus praevideantur, a coactione iudex abstineat: « *Quia iudicis est* (ait ille) *compellere ubi fini matrimonii expediret: ex fine enim desumenda est necessitas mediorum; sed in eo casu non expedit fini matrimonii cogere, sed potius mutuum obsequium, quod ipsius finis est impediretur ..... Item quia nunc iudex coactionem denegans, actori favet; vitat enim ipsius grave damnum, ut si petenti proprium gladium ad se necandum iudex denegaret. Tandem quia expedit, Ecclesiam minus malum permittere ut maius vitet: maius autem malum est scandala et perpetuas inimicitias oriri, quam fidem sponsalium frangere: iuste igitur Ecclesia hoc permittet, gratiâ illud vitandi.*

Huic inhaerendo doctrinae saepe S. C. Concilii pro sponsalium dispensatione SS^mum Patrem rogat; quamvis Sponsalia de quorum validitate in iudicio disceptatur, praeseferant tandem conditiones omnes, quibus valida declarentur, et quamquam iuramento firmata et copulâ carnali subsequuta fuerint. Ecclesia enim praetulit in patientia tolerare contravenientem suae promissioni, quam absoluta coactione eumdem urgere ad matrimonium contrahendum: ex quo, prudenti consilio, praevideat loco officii maritalis et mutui amoris, oritura sint scandala, et perpetuae inimicitiae.

mento confirmata, si alia quae praecesserint adhuc in suo robore maneant.

II. Ex DD. sententia nulla pariter fieri secunda sponsalia etiamsi eisdem accesserit carnalis copula, et pars illa cum qua contracta fuere ignara fuerit priorum sponsalium; vel quoque si sponsus noverit sponsam fuisse a priori sponso defloratam cum promissione matrimonii, dummodo iste prior in coniugii proposito permaneat.

III. Eiusmodi sententiam haud esse basi destitutam ex eo colligitur quod per sponsae culpam sponsi ius laedi non debeat; nam lata fraudibus et collusionibus sterneretur via, quatenus copula carnali, quae facile admitti posset, priora sponsalia, rite inita, infirmari possent, fidesque prior eludi.

IV. Rite praesumendum esse sola spe futuri matrimonii honestam puellam suae virginitatis iacturam facere: istoque facto, quod verbis est potentius, suam praestare repromissionem in matrimonio.

V. Inter causas, quibus sponsalia dissolvi licet, apprime cooptari sponsae deflorationem ab alio peractam; tum quia notabilis in muliere supervenit mutatio, tum quia nefas sit ducere corruptam.

VI. Proindeque vigore sponsalium haud obstringi matrimonium contrahere, qui sponsalia iniit cum puella, quae se virginem esse finxit, cuiusque ignoravit impudicitiam; quia in iure magno in pretio habetur exceptio deflorationis ab alio perpetratae, et quia ex regula iuris « *quod latenter et per vim vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.* »

VII. Verumtamen censeri suo iuri cessisse, qui scienter et voluntarie sponsalia cum deflorata iniit; eoquod cum ea sic contrahendo mores eius approbare videatur.

VIII. Videri in themate notam fuisse sponso praecedentem deflorationem, quinimo illum peccavisse eodem modo quo puellam postea redarguit ut sponsalia cum ea inita declararentur irrita.

www.libtool.com.cn

APPENDIX I.

Licet quae sequuntur documenta nec sacrae theologiae nec canonici iuris scientiam proxime respiciant; attamen nec a proposito nostro penitus abludunt, et gratissima esse futura lectoribus nostris certissime scimus. Ea enim primo ad germanos eosque maximos non fucatos ac spurios Michaelis Angeli Bonarotae honores pertinent; cuius nomen bonis omnibus, nedum italis qui patria digni sint, carum ac sanctum fuit semper et erit. Unde nos inter acta nostra iterum ea documenta vulgantes, tum symbolam nostram conferimus ad rite recolendam memoriam summi viri quarto ab eius nativitate mox elapso saeculo; tum iis occurrimus, qui diverso studio abrepti ac meridiana in luce stertentes, nescio quem alium Michaelem Angelum cerebro suo confixerunt deque eo verba fecerunt. Deinde cum paucos ante menses duo nebulones seu sycophantae extiterint; qui in hoc ipso artium bonarum omnium domicilio ac sede principe Romanis PP. calumniati sint quasi bonis artibus omnibus nedum et musicae (*risum teneatis amici*) vel parum faverint vel etiam infensi ac molesti fuerint, ex hac ipsa horum documentorum lectione quid de illis duobus sentiendum sit cuique sano patebit. Insanis utique, qui in urbe bonarum artium monumentis undequaque confertissima aut ignorant aut ignorare se simulant quam optime de eisdem artibus perpetuo meruerint Summi Pontifices, haec omnia inutilia fore non dubitamus, cum facilius caput asini lavari possit quam eorum mentes mutari qui vel ab prensatione vel ab stultitiarum magnitudine nomen sibi fecere

Illos etiam, qui cum auribus audiant et oculis videant et manu tangant attrectent vix minorem artium ac religionis

curam fuisse Pontificibus nostris, attamen novos ac insuetos eidem artibus favores concessum iri autumant ab ea gente, quae urbem suam principem omni prorsus artium monumento destitutam ac plane nudam per saecula tenuit ac tandem dereliquit, infelices omnino reputamus, ac qui inter mortuos amandentur plane dignos. Neque igitur ipsis proderunt documenta nostra. At lectoribus nostris bonisque omnibus magno usui erunt tum ad animos veriori factorum notitia informandos, tum ad obtrectactorum ora compescenda.

www.libtool.com.cn

Verum neque hisce documentis opus erit recolenti quanta in artium incrementum praestiterit Pontifex quo laetamur sospite. Hic enim, velut ille auditor philosopho rerum motum inficianti, hac vel in parte factis potius quam verbis aut chartis malignitati hominum respondere in more habuit. Nam et musivi et atrebatici operis scholam magistris eximiis creditam perpetuo aluit ab exquisita operum pulchritudine toto orbe commendatam; et pluribus conspicuis erectis vel instauratis edificiis urbem ornavit; et nedum veterum sculptoriae artis monumentorum conservationi prospexit, sed et nova ut prodirent impense curavit; summosque sculptores sicut olim Teneranum ita nunc vero Iacomettum, ac Gallium familiarissimos habet: quantum vero pictura ei debeat, testis vir clarissimus Alexander Mantuanus, qui Raphaelis Sanctii aedibus ornandis felix imitator vel veteras picturas instaurando vel novas creando novum aedi Vaticanae decus magnam sibi apud omnes laudem adquisivit.

Quantum tandem de musica arte Pontifex noster meruerit, nonnisi stupidus ignorare potest; cum et ad audiendam cantorum pontificiorum scholam, lubentius quam ad theatra, accurreret genus humanuum; eaque schola musicae artis innumera exquisita ac summi pretii monumenta sanctissime servet. et professoribus toto orbe claris etiam nunc floreat et splendeat, eosque omnes et singulos, vel ex quo eorum cantica ob novas rerum vices conticuere, habeat in stipendio.

At non illi tacebant (parcatis comparationibus, lectores!) anno huius saeculi septimo ac sexagesimo, cum in solemniis sae-

cularibus SS. Apostolorum Petri et Pauli, universa schola romana cooperante, vaticanam basilicam cantibus, universum qui huc confluxerat orbem stupore et exstasi impleverunt. Huiusmodi quidem facta adeo momentosa adeo ineluctabilia maiorem prae documentis nostris ad persuadendum vim habent.

De quibus, ut plene innotescant, dicemus adhuc ea nobis olim tradita fuisse ex authentico exemplari fideliter descripta ab insigni veterum manuscriptorum interprete Ioanne Baptista Carincio pio atque erudito viro, Fabricae Sancti Petri a tabulario, qui illa editurus erat inter documenta cuiusdam opellae quam parabat. De qua opella, ex quo ille obiit quatuor abhinc annis, quid factum fuerit nos plane latet: documenta quae suppeditavit grato nunc animo edimus, memoriam eius bonis omnibus commendantes. At in eo fallebatur vir bonus et prudens quod illa inedita putaret. Siquidem edita fuerant ab Dominico Morenio; ex quo iterum ea edidit Florentiae hoc ipso anno Aurelius Gottus vitae Michaelis Angeli nostri praeclarus novorum subsidio documentorum enarrator. (Vol. 2. pag. 123. et seq.)

NOTA. Haec scripta fuere mense decembri a. 1875 nec interea praelo tradidimus, spe confisi, quae nos fefellit, tertium simile documentum, Iulium pp. III; maximum et illum Michaelis Angeli patronum, auctorem habens, inveniendi. Si unquam vel nostra diligentia vel amicorum benevolentia nobis illud habere contigerit, hisce duobus sine mora inter acta nostra addetur.

DILECTO FILIO MICHAELI ANGELO DE BONAROTIS PATRITIO FLORENTINO.

PAULUS PAPA III.

Dilecte fili salutem et apostolicam benedictionem.

Cum felicis recordationis Clemens Papa VII. immediatus praedecessor Noster primo et deinde Nos tibi pro depingendo a te pariete altaris Capellae nostrae, pictura et historia ultimi iudicii ad laborem et virtutem tuam qua nostrum saeculum

ampliter exornas remunerandum et satisfaciendum introitum et redditum mille ducentorum scutorum auri annuatim ad vitam tuam promittimus, prout etiam promittimus per praesentes, Nos ut dictum opus a te inchoari coeptum prosequaris et perficias, passum Padi prope Placentiam quem q^m. Ioannes Franciscus Burla dum viveret obtinebat, cum solitis emolumentis iurisdictionibus honoribus et oneribus suis pro parte dicti introitus tibi promissi, videlicet pro sexcentis scutis auri, quos ipsum passum annuatim reddere accepimus, nostra promissione quoad reliquos sexcentos scutos firma remanente, ad vitam tuam auctoritate apostolica tenore praesentium tibi concedimus, concedentes vice-legato nostro Galliae Cispadanae nunc et pro tempore existenti ac dilectis filiis Antianis et Communitati dictae civitatis Placentiae et aliis ad quos spectat ut te vel procuratorem tuum pro te in possessionem dicti passus eiusque exercitii admittant et admissum tueantur, faciantque huiusmodi Nostra concessione vita tua durante pacifice frui et gaudere, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Marcum die 1 Septembris 1535. Pontificatus Nostri anno primo.

II. *Dilecto filio etc. ut supra.*

PAULUS PAPA III.

Dilecte filii etc. Excellentia virtutis tuae tum in sculptura et pictura tum in omni architectura quibus te et nostrum saeculum ampliter exornasti veteres non solum adaequando sed congestis in te omnibus quae singula illos admirandos reddebant prope superando, Nos merito permovet ut te in loco honoris et amoris Nostri praecipuo collocantes, usum virtutis tuae in picturis sculpturis et architecturis palatii Nostri apostolici ac operibus in illo nunc et pro tempore faciendis libenter capiamus. Itaque te supremum architectum scultorem et pictorem eiusdem palatii Nostri apostolici auctoritate apostolica deputamus, ac Nostrum familiarem cum omnibus et singulis gratiis, praerogativis, honoribus, oneribus et antelationibus, quibus alii Nostri familia-

res utuntur uti possunt seu consueverunt, facimus, et aliis familiaribus Nostri aggregamus per presentes. Mandantes dilecto filio magistro domus Nostrae, ut te in rotulo familiarium Nostrorum describat et describi faciat, prout Nos etiam describimus. Et insuper cum Nos tibi pro depingendo a te pariete altaris Capellae nostrae pictura et historia ultimi iudicii ad laborem et virtutem tuam in hoc et ceteris operibus in palatio Nostro a te si opus fuerit faciendis remunerandos et satisfaciendos introitum et redditum mille ducentorum scutorum auri annuatim ad vitam tuam promiserimus, prout etiam promittimus per presentes. Nos ut dictum opus a te inchoari ceptum prosequaris et perficias et si quo alio in opere voluerimus, Nobis inservias, passum Padi prope Placentiam, quem q^m. Ioannes Franciscus Burla dum viveret obtinebat, cum solitis emolumentis iurisdictionibus honoribus et oneribus suis pro parte dicti introitus tibi promissi, videlicet pro sexcentis scutis auri, quos ipsum passum annuatim reddere accepimus, Nostra promissione quoad reliquos sexcentos scutos firma remanente, ad vitam tuam auctoritate apostolica tenore presentium tibi concedimus; mandantes vice-legato Nostro Galliae Cispadanae nunc et pro tempore existenti, ac dilectis filii Antianis communitati et hominibus dictae civitatis Placentiae et aliis ad quos spectat, ut te vel procuratorem tuum pro te in possessionem dicti passus eiusque exercitii admittant et admissum tueantur faciantque huiusmodi Nostra concessione vita tua durante pacifice frui et gaudere, contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 1. Septembris 1535. Pont. N. a. I. (*)

(*) Tratti da una copia ecc.

EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

www.libtool.com.cn

INSTRUCTIO

Sacrae Congregationis De Propaganda Fide Super Visitatione SS. Liminum.

1. Inter praecipua officia, quae Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis et Episcopis iuxta SS. Patrum et canonum statuta incumbunt, illud profecto est accensendum, quod ipsi sacra Apostolorum Limina visitare, eaque occasione Rom. Pontifici obsequium ac obedientiam praestare, et rationem reddere de pastoralis muneris implemento deque omnibus, quae ad Ecclesiarum suarum statum, et cleri populique mores ac disciplinam, animarumque ipsis creditarum salutem pertinent. Quod quidem officium, unitatis, et communionis cum Apostolica Sede quaedam veluti tessera, ex iis iuribus sponte fluit, quae Rom. Pontifici vi primatus, quo ex divina institutione in universam pollet Ecclesiam, inhaerere compertum est. Nemo autem ignorat quae hoc in themate fel. rec. Sixtus V. in celebri Const. *Romanus Pontifex* die 20 Decembris 1585 edita praescripsit.

2. Cum vero nonnulla identidem suboriantur dubia circa modum, quo huic muneri Sacrorum Antistites satisfacere debeant, atque inde graves anxietates ob sacramenti religionem, quo se illud impleturos spoponderunt, S. Consilium Christiano Nomini propagando propositum sollicitudinis suae partes esse duxit, Sixtinam Constitutionem opportune declarare, ut quo enucleatior erit legis dispositio, eo promptius ab omnibus executioni mandetur.

3. Et praeprimis recolere praestat quod in §. 7 memoratae Constitutionis praescribitur: « Ad hoc autem debitum » visitationis officium commode explendum omnes patriarchae,

» primates, archiepiscopi, et episcopi, Itali videlicet vel ex » Italicis insulis, unde commodius in Italiam traiici potest, » veluti Siculi, Sardi, Cursi, et alii adiacentium provinciarum » Italiae ac etiam Dalmatiae, et Graecarum, quae e regione » ipsius Italiae et Siciliae oris sunt, *tertio anno;* Germani vero, » Galli. Hispani, Belgae, Bohemi, Hungari, Angli, Scoti, » Hiberni, et ceteri omnes, qui in Europa sunt circa mare » Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris » mediterranei, *quarto anno;* et qui intra Europae fines sunt, » his provinciis remotiores, ac etiam Africani litoribus no- » stris adversi, ac insularum maris Oceani Septentrionalis et » Occidentalis Europae et Africae citra continentem novi » orbis. . . . *quinto anno;* Asiatici vero, et qui extra Asiam » et in aliis novis terris orientalibus, meridionalibus, occiden- » talibus, et septentrionalibus, tam in insulis quam in con- » tinentibus, et denique in quibuslibet mundi partibus *decimo* » *anno,* iter suscipiant, et, Deo concedente, perficiant. »

www.liptopl.com.cn

4. Iam vero saepe quaesitum fuit, undenam in computando triennio, quadriennio etc. exordiri oporteat. Et quidem alii opinati sunt ea temporis intervalla Episcopos computare debere a die, quo ad Sedem episcopalem in Consistorio renunciati sunt, aut quo literae Apostolicae ipsis expeditae fuerunt; alii a die consecrationis, alii denique a die acceptae Sedis possessionis. Quidam etiam existimarunt initium temporis ad SS. Liminum Visitationem peragendam sumendum esse a die, quo dioecesis erecta fuit. Hinc ad aures S. Congregationis pervenit variam hac super re variis in regionibus praxim invalescere coepisse.

5. Ad omnes huiusmodi opiniones e medio tollendas sat est, ea quae Sixtus V. constituit, sedulo inspicere; aperte enim in § 8 Constitutionis praefatae enunciatur, a die publicationis eiusdem Constitutionis Episcopos ad SS. Apostolorum cineres visitandos omnino teneri. Quemadmodum igitur scribit Fagnanus (1), praedicta annorum spatia omnibus incipiunt

(1) *In II Lib.* Decret. *in Cap.* Ego N. Episcopus *IV.* de iurer. *n.* 36.

currere a die, quo bulla Sixti V. edita fuit, hoc est a die 20 Decembris 1585. Nec difficultatem facessunt, quae in § 7 leguntur; nam, ut idem Auctor observat « verba bullae-*Haec* » *autem annorum spatia* - non ita sunt accipienda, ut initium » computationis triennii vel quadriennii etc. sumi debeat a » die consecrationis, susceptionis vel translationis huiusmodi, » sed hunc habent sensum, ut eo ipso quo quis est consecratus, incipiat sibi currere obligatio visitandi Limina, non » autem ut spatia supradicta ab eo tempore computari debeant. Et hanc interpretationem semper habuerunt ea verba » in S. C. Concilii. Haec autem computatio fieri debet ab » ipsa die publicationis Bullae exclusive, et sic in fine cuiusque triennii etc. vel decenni integra dies vigesima Decembris cedit commodo Episcoporum, adeo ut tempus ad visitandum praefixum duret usque ad ultimum momentum eius » diei. Ita enim statuitur pro regula, ut dies termini non » computetur in termino. » Revera praelaudata S. Congregatio Concilii, ut omne dubium amoveret, per encyclicas literas ad universi Orbis Catholici Praesules die 16 Novembris an. 1673 datas significavit, unum eumdemque perpetuo et ab omnibus observandum esse terminum pro sacra Visitatione, qui amussim est dies editae in lucem Sixtinae Constitutionis (1).

6. Idipsum S. haec Congregatio de Prop. Fide an. 1802 Episcopis Hiberniae enunciavit; et an. 1865 cuidam ex Archiepiscopis Americae Foederatae scribebat « triennia etc. » decennia ita esse computanda, ut initio sumpto a die, quo » praedicta Constitutio edita fuit, nimirum a die 20 Decembris 1585, perpetuo et sine alia interruptione pro omnibus » successoribus Episcopis decurrant. »

7. At nuper controversia mota est, *an etiam pro sedibus recenter erectis tempus Visitationis sacrae computandum sit a die publicationis Const. Sixtinae*. Nec defuit inter recentiores canonum Doctores, qui arbitraretur triennia, quatriennia etc. quod ad Dioeceses attinet post Sixtum V. erectas, com-

(1) *V. caus.* Carpectoraten. *diei* 19 *Febr.* 1718 *in princ.*

putanda esse a die, quo primus noviter erectae dioecesis Episcopus administrationem suscepit.

8. Sed nulla suppetit ratio, cur Episcopi novarum dioecesum aliam a ceteris dimetiendi temporum spatia pro Visitatione SS. Liminum rationem sectentur; ipsi enim quoque Sixtinae Constitutioni, sicut in aliis dispositionibus, quas continet, ita et in hac adhaerere debent. Quocirca propositae mox quaestioni Emi PP. huius S. Consilii in generalibus Comitiis diei 3 Maii 1875 post maturam deliberationem decreverunt, respondendum esse *Affirmative*, nimirum etiam ab Episcopis, qui sedibus recenter institutis praesunt, praefatam regulam esse retinendam.

9. Quae cum ita sint, cum quispiam ad Episcopalem Sedem, sive ex veteribus, sive ex novis, evehitur, diem quo lex Sixti V. prodiit, prae oculis habeat; et si, praefiniti temporis inde incipiens computationem, noverit eius praedecessorem vertente triennio, quatriennio etc. oneri SS. Liminum Visitationis haud fecisse satis, sciat ipse se ad eam absolvendam adstringi. Iuverit iterum audire Fagnanum, qui scribit (1) « ex praescripto huius Constitutionis Sixti V. § *Ad hoc* » *autem* vers. *Quae ne longius differantur* etc. tempus qua» lecumque excursum alicui ex Episcopis, qui sive morte » praeventus, sive alia quacumque de causa ob non finitam » tempus ei praescriptum Limina non visitaverit, ita intelligi » effluxisse et excurrisse illius successori, ut, termino ipso, » iuxta Praedecessoris sui iusiurandum completo, debitam » visitationem conficere teneatur. Quae verba non eum ha » bent sensum, ut Episcopus successor teneatur visitare pro » omnibus trienniis etc., pro quibus eius praedecessor non » visitavit..., sed illa verba ita sunt accipienda, ut Episco» pus nuper consecratus, si eo triennio etc., quod eo tem» pore currit, eius praedecessor non visitaverit, teneatur » ipse visitationem perficere. » Si proinde incoepto iam triennio etc. Episcopus SS. Limina adiverit, relationemque suae

(1) *Loc. cit. n.* 46.

dioeceseos exhibuerit, ac postea e vivis migraverit, neutrum repetere successor tenetur; persolutio enim praedecessoris successori suffragatur (1).

10. E contra si quis dioeceseos curam assumpserit paulo ante quam triennium etc. sub antecessore incoeptum ad exitum perveniret, cum temporis defectu nondum in promptu possit habere quae ad statum propriae Ecclesiae referendum requiruntur, succurrit remedium implorandae prorogationis, quae, hisce praesertim in adiunctis, a S. Sede facile impertitur.

www.libtool.com.cn

11. Notum est ipsam Sixtinam legem Episcopis consulere, qui, legitimo impedimento detenti, ad Apostolorum sepulcra personaliter se conferre non possunt; id enim per Procuratorem ipsis praestare permittitur. Immo quod ad Procuratoris deputationem facilius ac remissius agi coepit, ut inde a sua aetate animadvertebat s. m. Bened. XIV (2), et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est. « Unde si » Episcopus iusto quolibet impedimento detentus a S. C. li» centiam petat visitandi Limina per Procuratorem, atque » etiam in eum finem deputandi canonicum aliquem, aut Sa» cerdotem dioecesis suae iam in Urbe existentem, et priva» tis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum nego» tiorum gestorem aut agentem, de rebus Ecclesiae et dioece» sis probe instructum, dummodo ecclesiastico caractere in» signitus sit, facta Rom. Pontifici per Secretarium ipsius » Congregationis instantiae illius relatione, non ita frequen» ter reiici solet, ut olim evenisse constat, sed petita licen» tia et facultas passim benigne conceditur. » Pariter ad Procuratoris munus olim haud admittebatur Sacerdos regularis, nisi probata deficientia Capituli et cleri saecularis, exceptis fortasse Ecclesiis remotissimarum regionum (3); sed in hoc etiam sequioribus temporibus S. Sedes sese faciliorem praebere consuevit.

12. Quae communiora ac potissima sint impedimenta, qui-

(1) *Fagn. loc. cit. n.* 47.
(2) De Syn. Dioec. *L. XIII. Cap. IV n.* 8
(3) *Ibid.*

bus Episcopi a Romano itinere suscipiendo excusantur, videre est penes rerum canonicarum tractatores *ad Cap. IV.* Ego N. *de iureiur.* Ea vero sic perstringit Catalanus (1): « Est » quidem munus et reipublicae officium episcopatibus adiunctum...., item aetas gravis, hostilitas quoque ac timor » hostium, incursus latronum, pestis et alia id genus, quorum tamen quaedam impedimenta Antistites profecto excusant a visitatione personali tantum, non vero ab illa, quae » per certum nuntium, veluti aegritudo, decrepitas, munus » episcopatui adiunctum, quae personam respiciunt ipsius Episcopi. Sunt autem quaedam alia, quae etiam a mittendo » Romam certum nuntium Episcopos excusant, ut ex. gr. » pestis, viarum obsessio, hostilitas, modo tales sint, quae » impediant accessum dioecesanorum ad Urbem. » Ceterum tot esse possunt huiusmodi impedimenta, quot peculiares cuiusque personae circumstantiae, quibus fiat, ut sine magna difficultate aut gravi incommodo urbs Romae adiri non possit.

13. Sed facile quisque intelliget ordinarias causas, quae personalem visitationem impediant, nostra hac aetate nonnisi raro locum habere; ea enim invexit humanum ingenium adiumenta ad varias locorum distantias percurrendas, ut incredibili ferme celeritate et facilitate longissima quaeque itinera terra marique perfici valeant. Et, si ad debitum Visitationis officium *commode,* ut ipse ait, explendum Sixtus V. praedicta temporum intervalla praescripsit, *variam,* ut verbis utamur Benedicti XIV (2), *locorum atque dioecesium ab Urbe distantiam summa aequitatis ratione perpendens;* quid in praesens tam facile, quam intra ea intervalla ad Urbem accedere? S. igitur Congregatio sibi persuadet, SS. Antistites huic muneri, cui sese, interposito sacramento, obstrinxerunt, nedum statis a Sixto V. temporibus nunquam esse defuturos, sed immo spem fovet in Domino, ut, magistrorum veritatis Petri et Pauli sepulcra, fidelium animas illuminantia, coram veneraturi, suam huc praesentiam saepius etiam exhibeant.

(1) Comment. Pont. Rom. *Tom. I. ad* § *IV.*
(2) *Loc. cit. n.* 5.

Quod certe ipsi libenter praestabunt, modo attenta consideratione revolvant illud Sardicensis Concilii (1) « optimum et » valde congruentissimum esse, si ad caput, idest ad Petri » Apostoli Sedem de singulis quibuscumque provinciis domini » referant Sacerdotes. » Ita enim fit, ut Rom. Pontifex, cui omnium Ecclesiarum sollicitudo concredita est, Praesulum Romam adventantium opera et adiutorio, ubique locorum christiani gregis necessitates agnoscere, spiritualis ovium morbos intelligere, et aptiora remedia adhibere valeat, nec quidquam ipsum lateat earum rerum, quas ad Dei gloriam augendam, ad Religionem propagandam, ad animarum bonum promovendum necessario eum scire oportet. Plura sane negotia per epistolam possunt expediri; nemo tamen inficias iverit, plura esse alia, quae melius nequeant pertractari, quam si os ad os alloquamur. Accidit etiam, quaedam aliquando occurrere, quae secreti fidem ita postulante, ut ea scripto mandare periculosum sit; hinc fel. rec. Bened. XIII. in Rom. Synodo an. 1725 (2), Episcopos monet, « ne ita passim personali ab hac » Visitatione e dispensent, monita hic multa et sane proficua » eorumdem SS. Ecclesiae Principum patrocinio et Summi » Pontificis vivae vocis oraculo percepturi quae scriptis aliquando nequeunt consignari. »

14. Ne itaque pigeat SS. Antistites ad Urbem, quam Apostolorum Principes suo sanguine consecrarunt, ex dissitis etiam regionibus properare, eum etiam in finem, ut arctioribus usque vinculis cum Supremo Ecclesiae Capite et duce coniuncti, eo fortius praeliari praelia Domini pergant, quo maiore in dies impetu ac velut agmine facto christianae Reipublicae hostes eum oppetere adoriuntur.

15. Hanc autem S. Congregationis instructionem SSmo D. N. Pio PP. IX. per me infrascriptum Secretarium in audientia diei 13 elapsi mensis relatam Sanctitas Sua benigne in omnibus adprobavit eique apostolicae suae auctoritatis robur adiecit.

Datum Romae ex Aedibus dictae S. C. die 1 Iunii 1877.

(1) *Epist. Syn. ad Iul. I. Rom. Pont. apud Labbaeum Tom. II col. 690 edit. Venet.*
(2) *Tit. XIII Cap. I.*

LITTERAE APOSTOLICAE

AD P. SIRE E CONGREGATIONE S. SULPICII PARISII QUI LITTERAS DOGMATICAS DE IMMACULATA CONCEPTIONE UT IN PRIMARIAS MUNDI LINGUAS VERTERENTUR CURAVIT.

WWW.LIBRARY.VATICAN.VA

PIUS PP. IX

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Pium sane et gloriae Deiparae et Immaculatae opportunum prorsus tuum consilium fuit quod eo spectavit, ut Dogmaticae litterae, quibus Immaculata Deiparae Conceptio ab hac Apostolica Sede definita et promulgata Christiano Populo fuit, omnium fere Gentium quae per Orbem diffusae sunt vernaculis linguis, ad publicum Fidei testimonium, accurate redderentur, ac eius Dogmaticae definitionis memoria illustri pietatis et artis *Monumento* decoraretur.

Feliciter autem contigisse gaudemus, Dilecte Fili, ut tuis curis tuaeque industriae, Auspice Deipara Virgine, et piorum Hominum studiis largiter suffragantibus optimus exitus responderet, quemadmodum et Relatio rerum a Te gestarum Nobis data, et Collectio Voluminum quae a Te Nobis cum Ven. Fratre Benedicto Archiepiscopo *Rhemensi* novissime oblata sunt, splendide luculenterque testantur. Nam et *Interpretationum* numerus, quae in oblatis *Voluminibus* continentur et insignia et pretiosa artium *Ornamenta* quae in iis fulgent, et integrum ac nobilissimum *Opus* iisdem Voluminibus asservandis et custodiendis dedicatum, ita hoc *egregium pietatis Monumentum* commendant, ut illud non laudi solum Eorum omnium, qui Tecum venerationem suam erga Sanctam Dei Matrem et obsequium erga Auctoritatem Sanctae huius Sedis ostendere voluerunt, sed et Praesentium ac Posterorum aedificationi plene profuturum censeamus.

Hinc nos, Dilecti Fili, gravissimo cum affectu oblatum munus accepimus, ac dignum omnino habuimus, ut in publico *Vaticanae* Nostrae Sedis loco ad gloriam Immaculatae Deiparae et ad perpetuam *Posteritatis* memoriam proponeretur.

Facere autem non possumus quin his litteris Nostris peculiarem laudem Tibi tribuamus ob eam insignem partem quam in hoc Opere habuisti, ac simul gratulemur aliis omnibus Fidelibus qui liberalitatem, artem, operam suam rei a Te susceptae eo zelo navarunt, ut ipsa feliciter ac splendide ad exitum adduci potuerit.

Cum porro ea quae a Vobis acta sunt ad incrementum gloriae referantur Eius, *quae Honorificentia est Populi nostri, quae Divinarum est potentissima Conciliatrix gratiarum* non dubitamus quin ipsa de Coelo pietatem et affectum tuum aliorumque Fidelium respiciat, ac merita vestra uberrima mercede remuneretur.

Eius Benignitatem et Nos adprecamur ex corde, ut Vobis impetret esse inter eos, quorum nomina scripta sunt in libro vitae ac cupimus, Ipsa suffragante, *auspicem esse omnis Gratiae et Prosperitatis Apostolicam Benedictionem,* quam Ven. Fratri Archiepiscopo *Rhemensi* et Tibi, Dilecte Fili, Cunctisque aliis Fidelibus, qui sua studia in tuum Opus contulerunt, peramanter in pignus paternae Nostrae dilectionis in Domino impertimus.

Datum *Romae*, apud *S. Petrum*, die 24 Martii An. 1877. Pontificatus Nostri Anno Trigesimoprimo.

PIUS PP. IX.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

Ex Propositionibus Consistorialibus

Die 25 Iunii 1877

Sanctissimus, hac mane, benigne disposuit tradere Cardinalitium pileum Cardinalibus iis qui eum nondum receperant. Ideoque Emi DD. Cardinales Ignatius do Nascimento Moraes Cardoso, Patriarcha Lisbonen. creatus et publicatus die 22 Decembris 1873; Franciscus di Paola Benavides y Navarrete Patriarcha Indiarum creatus et publicatus die 12 Martii 1877; Michael Paya y Rico Archiepiscopus Compostellan. creatus et publicatus ut supra; Ludovicus Maria Ioseph Eusebius Caverot Archiepiscopus Lugdonen. creatus et publicatus ut supra; Ioseph Mihalovitz Archiepiscopus Zagabrien. creatus et publicatus die 22 Iunii 1877; Ioannes Baptista Kutschker, Archiepiscopus Viennen. creatus et publicatus ut supra; et Lucidus Maria Parocchi, Archiepiscopus Bononien. creatus et publicatus ut supra, hora decima ante meridiem convenerunt in Capella, ad hoc erecta in aedibus Vaticanis, ibique coram Emis Cardinalibus, Capitibus Ordinum, Camerario, et Vice Cancellario S. R. Ecclesiae, nec non coram Camerario S. Collegii solitum praestiterunt iuramentum.

Interdum Emus Cardinal Ioseph Hippolitus Guibert Archiepiscopus Parisien. creatus et publicatus die 22 Decembris 1873, et Emus Cardinal Victor Augustus Isidorus Dechamps, Archiepiscopus Mecliniensis, creatus et publicatus die 15 Martii 1875, qui nondum cardinalitium pileum receperunt, in Aula Consistorii, cum aliis Cardinalibus Romae residentibus, conveniebant.

Ibique cum novem EE. Cardinales pileum cardinalitium per manus SSmi. recepissent, locum quisque suum occupavit iuxta tempus propriae creationis.

Deinde quum SSmus os clausisset Cardinalibus do Nascimento Moraes Cardoso, - Benavides y Navarrete - Paya y Rico - Caverot - Mihalovitz - Kutschker, et Parocchi sequentes proposuit Ecclesias:

www.libtool.com.cn

CATHEDRALEM ECCLESIAM CLODIEN. vacan. per translationem R. P. D. Dominici Agostini ad Patriarchalem Sedem Venetiarum; Sanctissimus promovit ad recensitam Ecclesiam R. D. Sigismundum e Comitibus Brandolini-Rota ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *S. Cassiano del Meschio* dioeceseos cenetensis progenitum et quartum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressum. Sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim sacramentales confessiones excipiendo, Deique verbum praedicando, naviter incubuit. Apud Ecclesiam Immaculatae Conceptioni Bmae Virginis Mariae dicatam, in *Solighetto* eiusdem dioecesis propriae familiae expensis erectam, et sacra supellectili, censu ac paroeciali domo ditatam, animarum curae addictus, hucusque vero S. Mariae de *Miane*, ubi etiam aere suo magis amplum assurgit templum, Archipresbyter-Parochus renunciatus est. Inter SANCTITATIS SUAE Cubicularios Secretos adscitus, et Apostolicus Missionarius adlectus est.

Clodia Fossa, postea Clugia, urbs Veneti in insula parva maris Adriatici sita, duplicis milliarii cum dimidio est ambitus, bis mille fere continet domus, eamque ultra viginti quinque mille incolunt cives catholici.

Cathedralis Ecclesia, satis ampli ac moderni aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Venetiarum Patriarchae suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, octo cum theologo ac poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes,

Penes Capitulum extat animarum cura, quam Presbyter ipsamet exercet in Cathedrali.

Duae aliae recensentur Clodiae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex virorum religiosa domus, pro puellis conservatorium, aliquot laicorum sodalitates, mons pietatis, hospitale et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad sexaginta fere milliaria protenditur et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM MINDONIEN. vacan. per obitum bo. me. Francisci de Sales Crespo et Bautista ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus promovit ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici ad recensitam sedem Mindoniensem R. D. Iosephum Emmanuelem Palacios et

Lopez ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Burgensi in urbe progenitum et quinquagesimum nonum aetatis suae annum supergressum. Presbyteratus ordine ac sive in sacra theologia, sive in sacris canonibus dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus exercendis laudabilem imp ndit operam. Ad S. Mariam de Ned Mindoniensis dioeceseos Parochum aliquandiu agens, illa in Cathedrali Lectorali dignitate cohonestatus est. Compostellana exinde in Ecclesia Metropolitana Poenitentiarius, et hactenus Decanus renunciatus, eiusdem archidioeceseos Vicarii in spiritualibus Generalis, seu Gubernatoris munere saepius perfunctus est.

Mindonia antiqua urbs Gallaeciae montibus circumdata in Lucensi provincia, fertilique in loco aedificata, ultra mille continet domos, atque a sex circiter millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia, solidae, optimaeque structurae, Bmae Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, corinthiaci ordinis praefert aedificium, atque Compostellano Archiepiscopo suffragatur. Eius capitulum ex Apostolicis Litteris « *Ad Vicariam* » datis nonis Septembris 1851 quinque enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, undecim insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos, ex quibus quatuor vocantur *de officio*, reliqui vero *de gracia*, ac tandem decem Beneficiatos.

Per Presbyterum praevio concursu electum animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali.

Nulla alia insuper reperitur Mindoniae Curionalis Ecclesia, nec mons pietatis, sed unum mulierum monasterium, aliquot laicorum sodalitates, hospitale, ubi et brephotrophium, ac tandem seminarium.

Dioeceseos ambitus ad quatuordecim circiter leucas in latitudinem protenditur pluraque sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam Blesen. vacan. per obitum bo. me. Ludovici Theophili Pallu du Parc ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Reipublicae Gallicae Praesidis, evexit ad memoratam Ecclesiam R. D. Carolum Honoratum Laborde ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Nazarii urbe dioeceseos Nannetensis progenitum et in quinquagesimo primo aetatis suae anno constitutum. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis peragendis functionibus sese laudabiliter exercuit. Praedefuncti Nannetensis Antistitis a Secretis, ac dein Vicarius in spiritualibus Generalis adlectus, ad Ecclesiam S. Similiani Nannetis Parochus hucusque renunciatus est.

Civitas Blesensis in provincia Liderici et Cari in colle ad Ligerim fluvium aedificata, salubri fruitur aere, et a viginti circiter millibus inhabitatur catholicis sub temporali Gallico dominio.

Ecclesia Cathedralis, optimae architecturae, S. Ludovici Galliarum Regis titulo gloriatur, nullius eget reparationis, et Parisiensi Archiepiscopo suffragatur.

Nulla dignitas, aut praebenda existit amplius in eius Capitulo, quod novem recenset cum theologo Canonicos titulares, quibus adiunguntur etiam alumni magni seminarii diebus festivis inservientes divinis.

Per Archipresbyterum Canonicum a nonnullis Vicariis adiunctum animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali, ubi praeter baptismalem fontem, praesto sunt, nonnullae Sanctorum, praesertim S. Ludovici, reliquiae magna veneratione adservatae.

Tres aliae praeterea in urbe Blesensi recensentur paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, domus fratrum doctrinariorum, quatuor mulierum religiosae domus, duplex hospitale, magnum ac duo parva seminaria: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Liderici et Cari provinciam, pluraque sub se continet oppida.

CATHEDRALEM ECCLESIAM VESZPRIMIEN. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Ranolder ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Boemiae et Hungariae Regis Apostolici transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Sigismundum Kovàcs, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Iunio 1869 Sedi Quinquecclesiensi praefectus fuit.

Veszprimium Hungariae civitas sita in comitatu eiusdem nominis mille fere ac biscentum domos ac decem circiter mille complectitur incolas praefato Serenissimo Imperatori, et Regi Apostolico in temporalibus subiectos.

Cathedralis Ecclesia sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli affabre exstructa, bene conservata ac nulli reparatione obnoxia Archiepiscopo Strigoniensi suffragatur.

Cathedralis Ecclesia duodecim enumerat cum Theologo ac poenitentiario Canonicos, quos inter Praepositus maior dignitate primus est, insuper non paucos Presbyteros, et Clericos, qui divino servitio sunt addicti.

Per alterum ex Canonicis cura animarum exercetur ipsamet in Cathedrali fonte baptismali munita.

Una est in dicta civitate parochialis Ecclesia fonte baptismali munita, gymnasium item ordinis Scholarum piarum, unum Franciscanorum coenobium, duplex mulierum monasterium, nosocomium, seminarium, et mons pietatis.

Satis ampla est Dioecesis, biscentum viginti paroecias, et plura oppida, ac loca sub se complectitur.

www.libtool.com.cn

CATHEDRALEM ECCLESIAM MARIANNEN. in Brasilia vacan. per obitum bo. me. Antonii Ferreira Vicoso ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad praesentationem Serenissimi Petri secundi Brasiliae Imperatoris transtulit ad recensitam Mariannen. Ecclesiam R. D. Antonium Mariam Corrêa de Sà et Benevides, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Decembris nuper elapsi anni Goyasensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere nondum suscepto, Vice-Rectoris et historiae naturalis Professoris emeriti apud Imperiale Petri Secundi Collegium in urbe S. Sebastiani Fluminis Ianuarii hucusque honore donatus est.

Mariannensis Civitas una ex principibus urbibus provinciae Fodinarum generalium, cuius est caput civitas de Auro Nigro, quadringentas ferme continet domos, atque a mille plus minus inhabitatur Catholicis sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, firmae, elegantisque est structurae, et Archiepiscopo S. Salvatoris in Brasilia suffragatur.

Capitulum quatuor conflatur dignitatibus, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, decem Canonicis absque theologali, ac poenitentiaria praebendis, totidem Capellanis Cantoribus, nonnullisque aliis Presbyteris et clericis, qui divino famulantur servitio.

Per Parochum animarum cura exercetur in memorata Cathedrali.

Nulla alia praeterea existit in Mariannensi civitate paroecialis Ecclesia, nullum sive virorum, sive mulierum monasterium, nec mons pietatis, sed quaedam recensentur religiosae congregationes, laicorum sodalitates, xenodochium, hospitale, ac seminarium.

Dioecesis latissime patet, ac plura sub se oppida et loca complectitur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CASSOVIEN. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Perger ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici promovit ad recensitam Ecclesiam R D. Constantinum Schuster ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Szakolczae, archidioeceseos Strigoniensis progenitum, et in sexagesimo aetatis suae anno constitutum. Congregationi Clericorum Regularium Scholarum Piarum dato nomine, ibique philosophiae et artium liberalium Doctoris laurea et sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus

apprime enituit. Albo cleri Colocensis archidioeceseos adscriptus, et animarum curae aliquando addictus, Notarii Consistorialis et Archivarii, a Secretis Archiepiscopi, Bibliothecarii archidioeceseos, Supremi dioeceseos scholarum Inspectoris et seminarii Clericorum Rectoris munere perfunctus est. Abbas titularis Beatae Virginis Mariae Bellifontis, Praepositus S. Pauli de Bacs, Archidiaconus et Metropolitanae Colocensis simul a latere Archiepiscopi Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

Cassovia una ex praecipuis Hungariae superioris urbibus in Comitatu Abaujvar amoena in planitie collibus vitiferis cincta aedificata, bis mille circiter continet domos, eamque ultra viginti mille incolunt cives, qui fere omnes catholicam religionem profitentur sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia novitus recostructa S. Elisabeth Andreae Regis filiae titulo gloriatur, amplam, gothicamque praefert structuram, atque Agriensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum septem enumerat Canonicos, et hos inter quatuor dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositura maior; duos item Capellanos, novem Presbyteros et quinquaginta Clericos sacris inservientes; praebendae autem theologalis ac poenitentiaria desiderantur.

Per alterum ex Canonicis a quibusdam Presbyteris adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Cassoviae paroecialis aut Collegiata Ecclesia, nec ullum laicorum sodalitium, sed duplex pro viris et unum pro mulieribus monasterium, bina hospitalia, mons pietatis, atque seminarium cum alumnis.

Dioeceseos ambitus satis late patet, fere biscentum paroecias, pluraque sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM QUINQUECCLESIEN. vacan. per translationem R. P. D. Sigismundi Kovàcs ad Sedem Veszprimiensem; Sanctissimus ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis apostolici transtulit ad recensitam Ecclesiam R. P. D. Ferdinandum Dulanszky, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Septembris 1875 Alba-Regalensi Ecclesiae praefectus fuit. Qui consecrationis munere susceptο ad Sedem sibi creditam accessit.

Quinquecclesiae civitas Hungariae inferioris in Comitatu Baranyaensi ad pedes montis Mecseck amoeno in loco aedificata, unius circiter milliarii quadrati est ambitus, ultra bismille continet domos, eamque viginti pene mille incolunt cives catholici sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia solidae, ele-

gantisque structurae S. Petri Apostolorum Principis ac S. Stephani Proto Regis titulo gloriatur, atque Strigoniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum decem enumerat cum theologo ac poenitentiario Canonicos, quos inter quatuor dignitates, quarum post Pontificalem prima Praepositus maius, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per alterum ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Tres aliae recensentur in urbe Quinquecclesiensi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, tria pro viris ac duo pro mulieribus monasteria, orphanotrophium, nosocomium, mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus per Comitatus Baranyaensem, Tolnensem, Sümeghiensem et Verôcensem extenditur, ac plura sub se complectitur, oppida et loca.

Dein os apertum fuit septem Cardinalibus quibus antea clausum fuerat: et Sacrum Pallium petitum fuit pro Sede Cathedrali Quinquecclesiarum; quo privilegio ditata fuit a Sa. Me. Benedict. XIV.

Tandem anulum Cardinalitium tradidit Sanctissimus praedictis Emis: assignans Titulum presbyteralem SS. Nerei et Achillei Emo Cardinali do Nascimento Moraes Cardoso; Titulum S. Thomae in Parione Emo Cardinali Benavides y Navarrete; Titulum SS. Quirici et Iulittae Emo Cardinali Paya y Rico; Titulum S. Silvestri in Capite Emo Cardinali Caverot; Titulum S. Pancratii Emo Cardinali Mihalovitz; Titulum S. Eusebii Emo Cardinali Kutschker; Titulum S. Sixti Emo Cardinali Parocchi.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

SOLUTIONIS

Die 10 Iunii 1876 et 19 Maii 1877.

Compendium facti. Andreas in Collegiata Ecclesia A Dioecesis X Canonicus Theologus, praebendam possidebat scutorum 85 uti caeteri Canonici. Eius praebendae reditus ad scutata 105 aucti sunt anno volvente 1858, quo SSmus suppressis favore Sacristiae quatuor Canonicatibus, scutata viginti theologali praebendae assignari mandavit.

Constat redituum augmentum Andreae sollicitudinem suo muneri satisfaciendi haud excitasse: siquidem in integros annos sexdecim, octoginta duas tantum lectiones ad populum habuit: id est quinque circiter in singulos annos.

Exinde factum est, ut pluries tam longi temporis spatio Capitulum Episcopali Curiae factum narraverit querelasque admoverit: et revera Andreas non semel a Vicario Generali admonitus est ut proprio officio deesset. At ipse respondebat, ait in informatione sua Ordinarius, « solis leonis tempore et in » festis solemnioribus se tacere ex iure; mense Maio, Adventus » et Quadragesimae tempore, ac infra octavam defunctorum » tacere, quia aderat in Ecclesia alius concionator: tacere pa- » riter ex consuetudine advenientibus saturnalibus et autu- » mnalibus feriis. Et utinam (prosequitur informatio) reliquis » Dominicis diebus legisset! Sed ut in his etiam a legendo » abstineret, modo in vocis defectu aliisque corporis indispo- » sitionibus, modo in aliis functionibus in Ecclesia fieri so- » litis, modo in auditorum defectu excusationem petebat. »

Interea tamen Andreas praeter scutata octogintaquinque suae praebendae, annuam pensionem scutorum viginti a Sacristiae Administratore ex integro exigere satagebat, quamquam Capitulares questus ad Ordinarium proferrent, qui nullam intentatam viam reliquit ut Theologus impositum sibi officium adimpleret. Immo eo usque res devenit, ut Capitulares Episcopali Palatio ad plures inter ipsos quaestiones dirimendas convocati coram Ordinario, una cum ipso decrevissent, amittendas esse a Theologo distributiones singulis lectionibus respondentes, in Sacristiae utilitatem convertendas.

Sed cum in melius non reduceretur Andreas, consentiente Vicario Generali, Sacristiae Administrator annua scutata viginti ultro ei solvere renuit. Tunc Canonicus Theologus ad Sacram Concilii Congregationem provocavit, postulans ut Capitulum condemnaretur ad tradendas sibi pensiones usque ad exitum iudicii, nec non ad damna et expensas.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Capituli Argumenta. A fine quem sibi proposuit S. Tridentina Synodus *Sess. 5. Cap. 1. de Reform.* in instituendis Canonicatibus huiusmodi, exordium ducebant Capitulares statuentes: neminem in dubium revocare posse, quod Canonicus Theologus, in sua sive Cathedrali sive Collegiata Ecclesia, S. Scripturae lectioni atque explicationi incumbere teneatur.

Hanc legem, ne inobservata maneret, sanctione muniendam voluisse eamdem S. Synodum in citata sessione. Siquidem Ordinariis facultatem dedit, negligentes et contumaces, etiam per fructuum subtractionem, compellendi ad sui muneris satisfactionem. « Statuit et decrevit (S. Synodus) quod in illis Ecclesiis in quibus praebenda aut praestimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus S. Theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates et alii locorum Ordinarii eos, qui praebendam aut praestimonium seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius S. Scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos,

» si idonei fu rint, alioquin per substitutum ab ipsis Episco-
» pis . . eligendum, etiam per fructuum subtractionem cogant
» et compellant.» Quam fructuum subtractionem a Tridentino Concilio indeterminato modo statutam, definitam reperiri in Constitutione Benedicti XIII quae incipit *Pastoralis Officii*, per verba « Volumus autem et mandamus tertiam partem proven-
» tuum dictae praebendae theologalis ab Episcopo distribui et
» proportionaliter applicari singulis lectionibus S. Scripturae,
» quae Praebendato praescriptis diebus et horis totius anni
» habendae erunt: ita ut si praebendatus universas lectiones
» habuerit, adsignatas distributiones integras absque ulla pror-
» sus diminutione consequatur, si vero in aliqua vel pluri-
» bus lectionibus defuerit, distributiones neglectis lectionibus
» respondentes amittat, quae in Sacristiae Ecclesiae benefi-
» cium cedant et erogentur. »

www.libtool.com.cn

Numerum lectionum quod attinet, tunc dicendum esse universas lectiones habuisse Canonicum Theologum, cum quotannis, saltem quadraginta vicibus, vel per se vel per alios idoneos legerit. « Canonicus Theologus quadraginta saltem quot-
» annis lectiones publice in Ecclesia habere tenetur per
» seipsum vel per alios idoneos » ita *Ferraris Biblioth. Canonic. verb. Canonicatus, Canonicus Art. 9 §. 15* et allegat *Bened. XIII in Conc. Rom. tit. 1 Cap. 71* decernentem ut « Provisi de praebenda huiusmodi theologali, tam in alma
» hac Urbe nostra quam alibi, quadraginta saltem quotannis
» lectiones publice in Ecclesia habere teneantur. » Id confirmasse S. C. C. in causa *Nullius seu Sublacen. diei 11 Aprilis 1807* in qua ad dubium « *An Canonicus Theologus quadraginta saltem S. Scripturae lectiones intra annum habere debeat, seu potius loco illarum legere possit casus conscientiae in casu* » quamvis in contrarium adduceretur praescriptio annorum sexaginta, responsum datum est « *teneri ad quadraginta lectiones infra annum: sive Sacrae Scripturae sive Theologiae arbitrio Episcopi.* » Nec Episcoporum arbitrium porrigi ad lectionum numerum diminuendum uti definiit eadem *S. Congregatio in Patavina 15 Iulii 1645*, et

in *Amerina Theologalis 15 Martii 1710*. Quoad potestatem Episcopi negligentem canonicum theologum puniendi, post allata iam Tridentini verba, audiendum esse citatum *Ferraris Verbo « Canonicatus » Art. cit. Num. 22.* « Et dato quod » Canonicus nolit ullo modo legere, potest Episcopus illum co- » gere comminationibus poenarum, sequestrationibus fructuum, » et, perseverante contumacia, etiam ad privationem devenire. » S. Congreg. in *Maioricensi* ut refert Aldan. in *Compendio* » *Canon. resolut. lib. 1 tit. 3 num. 5.* Et ubi Episcopus » procedat contra eum ad privationem, non tenetur servare » temporum intervalla quae praescribuntur in *Cap. 12 sess. 24.* » Ead. Sac. Congregatio *15 Novembris 1621, 13 Decret.* » *fol. 85.* »

www.libtool.com.cn

His positis, nihil proficere Andream cum opponit, fructus sibi a Capitulo non fuisse rite denegatos, quatenus Capitulum facultatem a iure non habeat mulctandi Theologum Canonicum: quia huiusmodi offensio neque in facto consistit neque in iure. Non in facto: etenim in compertis haberi, mulctam non a Capitulo, sed ab Ordinario, requisito tamen et consentiente Capitulo, inflictam fuisse; non in iure, cum Benedictus XIII in citata constitutione mulctae quantitatem praefiniverit. Mulctam vero ad tertiam fructuum partem in huiusmodi casibus esse extendendam. Quapropter computatione instituta iuxta normam traditam in hac constitutione, Andream ingentis summae erga Sacristiam debitorem evadere.

Tandem exulare in facto quae ipse affert ut suam negligentiam excuset : scilicet contumaciam Canonicorum in scutatis viginti sibi persolvendis, causam fuisse cur lectiones neglexerit : cum ex informationibus constet, eius segnitiem ab nacta canonicatus possessione exordium duxisse.

Minus autem ei proficere rationes ad suum silentium cohonestandum, haustas vel ex functionibus in Collegiata A fieri solitis, vel ex auditorum defectu. Sane quoad primum testari Ordinarium « multis abhinc annis in Ecclesia A fieri mense » Maio quotidianas preces in honorem B. M. V. absque ulla » prorsus concione: et Dioecesis X consuetudinem esse, omittendi

» S. Scripturae expositionem tantum Adventus et Quadrage-
» simae tempore et festis per annum solemnioribus, et alicubi
» in diebus dominicis Octobris : at praedicto tempore excepto,
» semper ubique fieri, nulla habita ratione vel mensis Maii,
» vel solis leonis, vel aliorum praetextuum quos adducit Theo-
» logus Orator. » Quoad secundum, negant Capitulares audi-
tores revera defecisse: sed etiamsi defecerint, praetextum huiusmodi Canonicum Theologum a legendo non eximere allegantes *Ferraris verb. – Canonicatus Canonicus* – Art. 9 §. 31 ubi diserte tradit « Non potest autem Canonicus Theo-
» logus se eximere ab explanatione Scripturae, praetextu quod
» non habeat auditores. S. Congregat. Conc. in *Fundana*
» *15 Octobris 1618.*»

www.libtool.com.cn

Argumenta Canonici Theologi. Opponebat is primo loco, Canonicorum exceptionem nullo in pretio esse habendam, quia exceptio de *iure tertii*, hoc est Curiae Episcopalis. Tralatitium namque esse in iure Ecclesiastico, Canonicum Theologum circa lectiones habendas et poenas sibi infligendas si negligens sit, ab Ordinario unice pendere: ita *S. C. C. in Pacen. 24 Augusti 1765*, et in causa *Electionis quoad Canonicum Theologum diei 30 Maii 1867*. (1). Ita *Constitut. Bened. XIII Pastoralis Officii* pluries citata quae inter caetera habet: « Mandamus tertiam partem proventuum dictae Praebendae
» Theologalis ab Episcopo distribui et proportionaliter applicari
» singulis lectionibus. »

Sed dato etiam quod Canonici non agant *de iure tertii*, ipsis qui excipiendo actores fiunt, onus probationum esse imponendum : ideoque eorum actionem reiiciendam, nisi evincant 1. numerum lectionum quae quotannis habendae sunt; 2. quot lectiones habuerit ipse; 3. mulctam pro neglectis lectionibus ab Ordinario praestitutam. Iamvero, quod attinet numerum lectionum, hunc unice pendere vel a praemonstrata Ordinarii voluntate, vel implicite per approbationem consuetudinis in Ecclesia A vigentis, vel explicite per appositum decretum. Ita *S. Congr. Conc. in Patavina 15 Iulii 1645*. In the-

(1) Vide huius ephemeridis Volumen III, pag. 284.

mate consuetudinem Capitulo haud opitulari, quia sui praedecessores vel nunquam vel perraro legerunt. Episcopi decretum nullum afferri posse quia non extat: neque suppleri posse per assertas Vicarii Generalis hortationes, quia non sufficerent. Demum theoriam quadraginta lectionum in annum, explodi ex citata causa *Electionis quoad Canonicum Theologum:* et ex eo quod in ipsa Cathedrali Ecclesia Dioeceseos vicies ad summum in annum legitur.

www.libtool.com.cn

Ad secundum descendens, contendebat: non probare Canonicos documentis quot revera ipse lectiones habuerit.

Tertium tandem aggressus, duplici errore Canonicorum thesim infectam aiebat: quia vellent et mulctam sibi infligi absque praevio Episcopi decreto quo quota summa definiatur et distributionum loco constituatur; et distributiones lectionum desumi ex integra praebenda scutorum 105. Etenim Constitutionem Benedicti XIII *Pastoralis Officii,* continere legem poenalem non *latam* a Pontifice sed ab Ordinario *ferendam*. Ergo usquedum tertiam partem Theologalis praebendae Ordinarius ab aliis duabus non exceperit ac lectionibus applicaverit, Benedictinam sanctionem non in *facto* sed in *fieri* esse, et tertiam partem lectionibus applicandam retinere naturam fructuum, non minus quam aliae duae: nilque amittere Theologum non legentem cum Pontifex expresse dixerit, *distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat.*

Quod superest, animadvertendum esse: scutata viginti Canonico Theologo annuatim designata, non stipendii sed praebendae naturam induere. Re sane vera Pontificem quo sospite laetamur faustaque omnia precamur, praedictam summam non in alium finem adsignasse Theologo Collegiatae Ecclesiae A, quam ut exequeretur Constitutionem Benedictinam quae praecipit; tenues Theologorum praebendas augeri debere per beneficiorum suppressionem. Ex his sequi: se, vel legerit vel non, annua scutata viginti sua ex integro fecisse, quia proventus beneficiorum quicumque, nisi aliquis eos separaverit, sunt fructus beneficii, iique sequuntur titulum, independenter ab adimplemento operis Beneficiato praescripti. Ex intentione enim eo-

rum qui beneficia fundarunt, nec non ex lege canonica patere: opus titulari iniunctum non esse ad fructus beneficii in ratione *conditionis* verum in ratione *modi:* et modum de sui natura importare ut Beneficiatus ad eum implendum adigatur iuris remediis adhibitis, quae inter recensetur etiam privatio fructuum qui maturari debeant in posterum, non vero expoliatio eorum fructuum quorum dies cessit.

www.libtool.com.cn

Caeterum tertiam partem quae pro lectionibus in futurum habendis distributiones constituat, desumendam solummodo esse ex scutatis viginti: secus duas tertias partes proventuum Theologus in distributionibus haberet; alteram pro chorali servitio, alteram pro lectionibus: quod esset absurdum.

Rebus ita se habentibus, propositum est dirimendum

Dubium

An et in qua summa sit locus solutionis in casu.

S. Congregatio Concilii die 10 Iunii 1876 causa cognita responsum dedit.

Archiepiscopo, qui attentis praescriptionibus ab ipso datis coram Capitulo, et sequestratione iussu Vicarii Generalis facta, rem componat de bono et aequo.

Responsum a S. Congregatione editum rem *de bono et aequo esse componendam,* novas excitavit questiones inter Andream Canonicum Theologum, et Capitulum Ecclesiae A. Siquidem ille contendebat compositionem super scutatis 54 tantum cadere posse, Capitulum vero, deuptis prius scutatis istis 54 quoad scutata 160 compositionem instituendam esse suadere conabatur. Prior summa cumulum reprehesentabat confectum ex mulcta obulorum 50 in singulas lectiones ab Ordinario statuta a die 27 Novembris 1873: altera cumulum annuae pensionis scutorum 20 quam pluribus abhinc annis, Vicario Generali consentiente, eidem solvere Capitulum detrectavit.

Rem ita exponebat S. Congregationi Ordinarius.

« Theologus affirmat usque ad diem 27 Novembris 1873,
» quo die coram Capitulo a me statuta fuit mulcta obulorum
» 50 pro qualibet lectione omissa, se ius habere ad integram

» pensionem annuam: quandoquidem lex habere non potest » vim retroactivam, et cum a praedicto die usque ad praesens » mulctas scutatorum quinquagintaquatuor circiter incurrerit, » super has mulctas dicit faciendam esse compositionem de » bono et aequo, ita ut non 54 sed puta 27 scutata tantum » relinquat. Contradicunt tamen reliqui Canonici contendentes, » mulctam ex integro solvendam esse a Theologo prout de » iure, maxime quia non ex integra praebenda theologali, » sed solum ex pensione eidem postea adiecta eadem desumpta » fuerat, et compositionem de bono et aequo ab Episcopo fa- » ciendam cadere super omne id quod Capitulum Theologo » solvere renuebat, idest super summam scutatorum 160 cir- » citer, demptis prius scutatis 54 pro mulctis. Idque confir- » mant eo quod dubium isti S. Congregationi propositum etiam » tempus, iuxta causae libellum meas praescriptiones prae- » cedens amplectebatur, ac proinde et responsum eidem refe- » rendum esse existimant, secus absurdum sequi dicunt, quod » nimirum pro annis anterioribus summum ius Theologi fa- » vore, pro posterioribus vero in quibus mulcta legitima in- » ferior statuta est remedium aequitatis invocaretur ad ipsius » Theologi negligentiam remunerandam, qui coeteroquin et » post editum decretum in sua negligentia perseverat, cum » hoc temporis intervallo, quinquies tantum S. Scripturam » legerit. »

Super his dubium concinnatum est.

An et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu.

S. Congregatio Concilii, causa cognita, in comitiis diei 19 Maii 1877 respondere censuit.

In decisis at compositionem faciendam esse super integra centumsexaginta scutatorum summa.

Ex his omnibus colliges.

I. Non esse de *iure tertii* exceptionem Capituli contra Canonicum Theologum allatam, quia licet stricto iure dici possit Theologum ab Episcopo unice pendere quoad ministerium, ad

Capitulum tamen pertinent Sacristiae administratio et Ecclesiae Capitularis decus, quae tueri valet et debet.

II. Nisi Episcopale decretum praeiverit, Theologo negligenti mulctam infligi non posse quoad praeteritum.

III. Episcopi decretum quoad distributiones a Theologo amittendas, licet latum fuerit in Capitulari Concilio, et unius cuiusque distributionis summam non constituerit in specie, satis explicitum tamen esse cum mandaverit, amitti debere a Theologo distributiones singulis lectionibus respondentes in Sacristiae utilitatem convertendas, et Canonico Theologo applicari posse.

IV. Decreto huiusmodi praeexistente, mulctam ad eas quoque lectiones quae ante litem coram S. Congregatione contestatam omissae fuerunt protendi posse.

V. Ideo S. Congregationem, in comitiis diei 10 Iunii 1876 cum decrevisset *in casu* rem de bono et aequo componi debere ab Ordinario qui facta novit; formulam adiecisse *attentis praescriptionibus ab ipso datis coram Capitulo et sequestratione iussu Vicarii Generalis facta*. In comitiis vero diei 19 Maii 1877: tenuit, compositionem eas summas amplecti debere, quas Vicario Generali consentiente, iamdiu Capitulum solvere detractaverat.

Uberiores deductiones quoad caetera omnia invenies in contemporanea *super dubiis circa S. Scripturae explanationem et honorarium*.

DUBIA

CIRCA S. SCRIPTURAE EXPLANATIONEM ET HONORARIUM.

www.libtool.com.cn

Die 10 Iunii 1876.

Compendium facti. Dioecesis X Archiepiscopus, occasione arrepta contemporaneae causae SOLUTIONIS, damna removere cupiens quae ob neglectam S. Scripturae explanationem obvenire solent his praesertim temporibus, nonnullas quaestiones S. Congregationi obtulit dirimendas ita conceptas.

« 1. An possim in Canonici Theologi et aliorum ex Clero » Saeculari defectu, Religiosum provisorio modo deputare ut » in Collegiata Ecclesia A S. Scripturam statis diebus exponat?

» 2. Quaenam pensio ex redditibus Theologalis praeben- » dae eidem tribuenda?

» 3. Ex expositis causis quas affert Canonicus Theologus » ne legat, quaenam ei suffragari possunt?

» 4. Si lectio Scripturalis culpabiliter non habeatur, taxa » eidem respondens in Sacristiae, seu quod idem est, in quatuor » suppressarum praebendarum utilitatem eroganda iuxta Bene- » dicti XIII Constitutionem, desumenda erit tantum ex adiecta » postea pensione viginti scutatorum, vel etiam ex parte theolo- » galis praebendae iam praeexistentis? »

Disceptatio Synoptica.

Ex Officio animadversum est quoad primam questionem, Regularis deputationem exclusam videri ex his quae habet *Ferraris verbo Canonicus. Art. VI Num. 23, 24.* « Cum praeben- » da Theologalis vacat, dari debet in commendam Canonico ido- » neo eiusdem Capituli, donec titularis provideatur: alias poterit

» Episcopus applicare fructus alicui personae extra capitulum, » quae suppleat munus legendi: *S. Congr. Conc. in Camerinen.* » *24 Februarii 1593;* et haec persona extra Capitulum debet, » si reperiatur idonea, eligi ex clericis Saecularibus: *S. Congr.* » *Ep. et Reg. in Urbinat. 5 Octobris 1573.* » Verum contra hanc opinionem afferri posse ipsam Constitutionem Benedicti XIII quae incipit *Pastoralis Officii* in qua decernitur « *In casu autem gravioris contumaciae praebendati, liceat Episcopo deputare alium theologum Saecularem sive Regularem.* » Hanc secutam fuisse *S. Congr. Conc. in Bellunen. 27 Aprilis 1630* in qua dubium proponebatur « *An in casu gravioris contumaciae alium Theologum Sacerdotem sive Saecularem sive Regularem qui illius vices suppleat atque interim fructibus et distributionibus potiatur, ab Ordinario deputari possit*» et responsum est « *Affirmative.* » Hanc theoriam et iuri communi cohaerere quo praecipitur, in defectu Sacerdotum Saecularium, semper et ubique Regulares vocari posse. Neque ipsos operam cum eorum statu incompatibilem praestare, quia Religiosi omnes ad excolendam vineam Domini manus admovere debent.

Pro secunda questione recursus fiebat iterum ad constitutionem Benedicti XIII qua sancitum est, tertiam partem e praebendae fructibus esse subtrahendam: atque innuebatur, aequum videri Theologo hanc auferri ex toto, si universas lectiones neglexerit, eamdemque per consequens lucrari Religiosum qui eius negligentiam de Episcopi mandato supplebit.

Quoad tertiam quaestionem respicientem causas quae suffragari valeant Canonico Theologo ne legat, monitum est nihil universaliter in iure definitum reperiri. In genere gaudere Theologos a legendo vacatione a festo S. Thomae Apostoli usque ad diem post Epiphaniam, a Dominica Septuagesimae ad primam Dominicam Quadragesimae, a Dominica Palmarum ad totam Paschatis octavam, a festo S. Ioannis Baptistae ad diem 5 Novembris. Ita namque respondisse *S. Congr. Conc. in Assisien. 24 Ianuarii 1629 lib. 98 pag. 350* quam refert *Ferraris Verb. Canonicus Art. 9 Num 26.* Verum et notatu

dignum esse, S. Congr. Concilii hac de re consuevisse nihil innovare circa speciales cuiuscumque Ecclesiae consuetudines, praesertim si sint laudabiles, et ad bonum spirituale fidelium ordinatas. Cum ergo in Dioecesi X consuetudo vigeat qua tempora determinantur quibus Canonicus Theologus tacere valeat, huic esse inhaerendum.

In casu, Ordinario de suae Dioecesis consuetudine testante, constare: exceptis temporibus Quadragesimae et Adventus atque solemnioribus festis, et alicubi etiam diebus Dominicis Octobris, semper ubique S. Scripturae expositionem fieri, nulla habita ratione mensis Maii vel solis leonis.

Quarta quaestio erat, an in casu negligentiae taxa in Sacristiae utilitatem eroganda desumenda esset ex adiectis postea scutatis viginti, vel etiam ex parte theologalis praebendae iam existentis. Et in hac quaestione, revocatis in medium iis omnibus quae de Benedictina Constitutione allata sunt quoad secundam, adiectum est prae oculis esse habendum, quod scutata viginti data fuerunt Theologo, non ratione officii et muneris, neque mercedis seu honorarii, sed potius in augmentum praebendae praeexistentis. Etenim Tridentinam Synodum, cum agit de praebendis quae ob tenuitatem, adiectis etiam distributionibus quotidianis, pro sustinendo Canonicorum gradu non sufficiunt, statuisse *Sess. 24 Cap. 15 de Reform.* « Liceat Episcopis... » vel aliquot simplicia beneficia iis unire, vel si hac ratione » provideri non possit, aliquibus ex iis suppressis.... quorum » fructus et proventus reliquarum praebendarum *distributio-* » *nibus quotidianis applicentur*, eas ad pauciorem numerum » reducere. » Atque hac dispositione voluisse unitorum vel suppressorum beneficiorum proventus distributionibus quotidianis applicari. Ex hoc erui posse: summam scutatorum viginti Theologo adsignatam praebendae naturam induere. Id confirmari ex Bulla favore Theologi expedita, in qua nulla mercedis, honorarii, aut muneris mentio reperitur : sed concessio facta verbis *ex redditibus vero suppressorum canonicatuum .. detrahi volumus scutata annua viginti Canonico Theologo solvenda.*

Verumtamen, (ultimo loco notatum est ex officio,) pro Canonico Theologo animadverti posse, quod cum praebenda Theologalis constituta iam esset, caetera scutata viginti loco mercedis et honorarii, seu ratione muneris et officii, concessa videri in praemium maioris laboris quem Canonicus iste ferre debet: alioquin accideret quod in contemporanea causa ipse innuebat, nempe quod Canonicus Theologus peioris foret conditionis quam caeteri Canonici eiusdem Capituli, quibus praebenda scutorum octogintaquinque intacta manet.

www.libtool.com.cn

His Emorum Patrum iudicio subiectis, pro quaestionum numero quatuor concinnata sunt

Dubia.

I. *An deficiente Canonico Theologo et aliis de Clero Saeculari, Religiosus provisorie deputari possit ad explanandam S. Scripturam in casu.*

Et quatenus affirmative

II. *An et quae pensio ei tribuenda sit in casu.*

III. *An et quae causae excusent Canonicum Theologum a legendo in casu.*

IV. *An et quae mulcta infligenda Canonico Theologo, si culpabiliter legere omiserit in casu.*

S. Congregatio pro sua sapientia die 10 Iunii 1876 responsa dedit

Ad I. *Affirmative ad formam Constitutionis Bened. XIII pastoralis officii.*

Ad II. *Affirmative ut in primo.*

Ad III. *Standum legitimae consuetudini et arbitrio Episcopi, dummodo lectiones non sint infra numerum quadragenarium in singulis annis.*

Ad IV. *Affirmative ad formam praedictae Constitutionis ex integra Praebenda Theologali, comprehensis in ea viginti scutatis.*

Ex his colliges

I. Cum agitur de obligationibus Canonici Theologi, iudicandi normas hauriendas unice esse a Concilio Tridentino *Sess. 5 Cap 1 de Reform.* et a Constitutione Sa. Me. Benedicti XIII quae incipit *Pastoralis Officii.*

II. Iuxta hanc Constitutionem, deficiente Canonico Theologo et aliis de Clero Saeculari, posse Ordinarium deputare provisorie Religiosum qui S. Scripturam explanet.

III. Pensionem Religioso Scripturam legenti assignandam esse pro tertia parte fructuum Theologalis praebendae.

IV. Inter causas excusationis a legendo consuetudinem legitimam recenseri, deque hac iudicium remitti arbitrio Episcopi: ast quaecumque sit consuetudo, cavendum esse ne lectiones sint infra numerum quadragenarium in singulis annis.

V. Quae Theologo ex suppressis beneficiis adsignantur, non mercedis et honorarii ratione muneris constituti speciem praeseferre, sed veri augmenti praebendae Theologalis iam existentis, nisi aliter in concessione adsignamenti expresse disponatur.

VI. Idcirco in casu S. Congregationem decrevisse, tertiam partem fructuum pro neglectis lectionibus *ex integra Theogali praebenda* esse subtrahendam.

VII. Huiusmodi responsa, eaque praesertim quae ad *primum secundum et tertium dubium* referuntur, pro generali lege in quaestionibus similibus haberi posse.

www.libtool.com.cn

Die 5 Augusti 1876. et 27 Ianuarii 1877.

Compendium Facti. Quaedam ecclesia Dioecesis M. quae paroecia fuit, anno 1635 curâ D. Philippi R. in Collegiatam erecta est. Et hic idem D. Philippus. qui adlaboravit ut hoc conficeretur, sua bona patrimonialia adsignavit pro uno Praeposito, prima Capituli Dignitate, atque duodenario Canonicatuum numero. Electionem et nominationem, post obitum suum, vacatione sequutâ, Canonicorum collegio commisit, hoc sub ordine. Primo loco voluit ut eius consanguinei usque ad quartum gradum praeferrentur caeteris Sacerdotibus optimis moribus, sufficientique literarum scientia pollentibus; secundo vero loco alios de sua familia et terra oriundos vocavit; quibus non extantibus tertio loco Sacerdotibus de eadem terra ius succedendi reservavit; quatenus autem postremo indigeni Sacerdotes qualificati deficerent Presbyteros ex Insula oriundos esse eligendos iussit.

Iuxta fundatoris praestitutum ordinem condita fuere Ecclesiae Collegiatae statuta, quae ope Brevis Apostolici Urbani VIII approbationem consequuta sunt. Insuper voluit fundator ut Presbytero electo ad Canonicatum onus inesset institutionem obtinendi a Romano Pontifice, si vacatio contingeret in mensibus Sedi Apostolicae reservatis alios a Magno Magistro Hospitalis S. Ioannis Hierosolimitani, quod munus ad praesens Episcopus Dioecesanus explet.

Quum res bene processissent in omni adiuncto, evenit ut lis oriretur ex vacantia unius ex duodecim Canonicatibus sub die 21 Augusti 1875. Siquidem cum vacatio contigerit in mense pontificio, ideoque litterae Apostolicae necessariae forent

institutionis consequendae causâ, tres sacerdotes oriundi omnes e terra fundatoris, idest Carmelus S. Ioannes B. et Franciscus V. supplices se obtulerunt proprio Ordinario, ut eos Romano Pontifici commendaret. Prior caeteris praeferri efflagitavit, eo quod e terra originem duceret a fundatore designata, a quo etiam eius genitores promanabant, et quia pientissimo fundatori sanguine iunctus esset.

Attamen Episcopus censuit quod etiamsi admitteretur Carmeli S. consanguinitas cum fundatore, neutiquam caeteris concurrentibus esset praeferendus, quia duodecimo gradu a fundatore distat, dum iste vocaverit consanguineos usque ad quartum gradum. Quare a prima vocatorum sede extorris fieret. Nec sors absimilis obventura est Carmelo in altera sede, in qua fundator vocavit oriundos de sua Familia et terra: cum hoc in loco adsint honorati qui gestant cognomen fundatoris; dum hac thesserâ careat Carmelus S. Proindeque, prosequebatur Episcopus, deficientibus a fundatore vocatis, tum in primo tum in secundo ordine, ius succedendi pertinere dicent dum est Presbyteris e dicta terra. Et ex istorum albo selegi Ioannem B. utpote Sacerdotem qualificatum, et pro eo preces admovit Datariae Apostolicae, eumdem designans ceu digniorem inter postulantes.

Vix tamen hoc nuncium ad aures Carmeli S. pervenit, supplicem dedit libellum sacratissimo Principi ut evinceret sese possidere omnes a fundatore qualitates volitas; quibus Ioannes B. omnino carebat. Ideoque expostulavit ut Canonicatus sibi concederetur. Interdum accidit ut alius canonicatus per mortem praebendati vacaret, vigentibus reservationibus et affectionibus Apostolicis. Et Episcopus opinione ductus quod tam in prima, quam in secunda vocatorum sede nullus instituendus superesset, Franciscum V. utpote tertio loco vocatum, caeterisque concurrentibus praeferendum, Romano Pontifici commendavit.

In tanta collitigantium discrepantia Emus Cardinalis Pro-Datarius, lato decreto, causam ad S. C. Concilii remisit *pro voto*.

Disceptatio synoptica

WWW.BIBLIOTECA.CA

RATIONUM MOMENTA PRO CARMELO S. Patronus Carmeli in prima defensionis parte habuit pro certo Fundatores ius passivum descendentibus suis tribuisse. Idque ut ostenderet, ait, in prima sede vocationis voluisse comprehendere agnatos et cognatos ; siquidem verbum *consanguinei* a fundatore adhibitum, cum agatur de eo qui proprià caret familiâ, accipiendum est materiali significatione, proinde proximiores praeponendos edisserit. Confirmavit haec fundatoris testamento ; in quo legitur instituisse « *haeredes peculiares Paulum Angelicum, et Mariam filios Paulinae B. eius patruelis ;* hinc in actu erectionis Collegiatae suos consanguineos tertium constituere gradum sciebat. Thesim confortare sategit orator cum his, quae habentur in particula donationis peractae favore Pauli filii Paulinae *patruelis* fundatoris ; in qua Paulum consanguineum vocavit : hinc censuit hac in prima sede, clausula *usque ad quartum gradum inclusive* includi quoque cognatos.

Adiecit insuper orator, quod etiamsi placeret in prima sede solos admittere agnatos, in iure tamen pro certo haberi in defectu agnatorum venire cognatos ceu docet Pitonius *de contr. Patron. alleg. 75 n. 3. Amostaz. de causis piis lib. 3. cap. 7. n. 42, cap. 8. n. 8. Garz. de benef. part. 7. cap, 15 n. 21.* et innixus auctoritati praefati Pitonii sustinuit quod si testator voluisset extraneos praeponendos esse clericis de sanguine, *verba fundationis improprianda forent. Rota cor. Pamph. decis. 313 n. 5. et 6.* Ex quibus omnibus collegit cognatos esse praeponendos usque in infinitum.

Vocavisse fundatorem in secunda sede illos de familia B. natos in sua natali terra ait advocatus. Avertit etiam iure antiquo sub verbo Familiae comprehendi tantum agnatos, iure novissimo agnatos et cognatos ex *leg. fin. cod. tit. 55. de suis et legitimis et Novella 118* et praesertim in hac materia,

in qua appellatio familiae communis est quoque cognatis ceu firmat Rota *decis cor. Azpuru* § *3 et verbis* Pitonii *alleg. 100 n. 191.*

Quod autem cliens non conservet fundatoris cognomen haud officere ait advocatus; nam cognomen non stat *taxative* sed *demonstrative*, quatenus nempe personas quas vocavit voluit derivandas ex cognominata familia. Proinde distinguens ita ratiocinatur, vel *familiam* cum adiuncto cognominis impersonaliter vocavit, et tunc solos agnatos comprehendisse censeri debet, vel personas consideravit ex cognominata familia procedentes, et tunc ad cognatos quoque vocationem suam extendisse dici debet.

Quapropter in casu ostendit fundatorem vocasse *personas ex eadem familia;* legitur enim in dispositione *alii de familia de B.* Et ex *cap. de elect.* quod legitur in statutis Collegiatae *praeferens in electione illos de familia B.* dummodo *nati sint in terra* fundatoris: et infe.ius: *observari semper debet quod illi de familia B. quatenus digni et sufficientes extent excludere debent illos de terra* fundatoris. Quae confirmari dixit ex eo quod fundator erat Sacerdos qui nullam legitimam sobolem habere poterat, proinde censetur invitasse omnes de familia latissime sumpta. Rota in *Nonantul. Capel. 330 in fin. coram Arim. et cor. Molines decis. 157. n. 13 et seqq.* Confirmavit insuper cognominis additamentum fuisse appositum *demostrative* auctoritate Rotae in *Auximana Iuris patr. 9 Martii 1703.* Pitonii *alleg. 75 n. 17.* Hinc conclusit nihil officere in casu si cognomen fundatoris non gestetur, dummodo demonstretur clientem derivare a stipite fundatoris. Ideoque ut illi de sanguine dici possint exclusi propter extraneos, necesse foret ut *cognati* expresse fuerint exclusi *per viam regulae omni* casu et omni tempore iuxta *Piton. Alleg. 75 de contr. patron. n. 6.* Cum id non existat, arguit, praeponendos esse omnes qui de familia de B. derivant. In tertia vero sede vocavit fundator eos qui ortum haberent in dicta terra, et in quarta natos de insula.

Transiens patrocinator ad secundam orationis partem au-

tumare sategit Sacerdotem Carmelum omnia possidere a fundatore volita requisita : si enim non ad primam vocatorum sedem, tamen ad secundam et tertiam pertinuit. Ipse est de familia B. coniunctus est sanguine cum fundatoris et originem duxit e terra fundatoris eiusdem. Bonis praeterea cum ornetur moribus, aeque ac scientiâ sufficienti praeditus sit, prae alio omnino instituendus esset.

www.libtool.com.cn

RATIONUM MOMENTA ADVERSUS CARMELUM S. Sacerdotis B. defensor tres esse passivae vocationis ordines autumavit in praefatis Canonicatibus. Et in primo ordine venire ait fundatoris consanguineos agnatos vel cognatos *usque ad quartum gradum inclusive ;* in secundo vocatos fuisse qui sunt de familia B. seu qui gestarent cognomen fundatoris, tandem presbyteros in praedicta terra *natos ,* quibus deficientibus , presbyteros Insulae succedere posse ait.

His praemissis edixit Carmelum S. haud praeferendum esse, ea ratione qua *consanguineus fundatori* sit, idest quia vocatus fuerit in primo loco ; nam neque constat de eius consanguinitate, et ex arboribus ab eo exhibitis in duodecimo ad minus reperitur gradu consanguinitatis... dum oporteret esse intra quartum gradum.

Neque ad secundum ordinem vocatorum confugere posse presbyterum Carmelum , in quo invitantur qui sunt ex familia de B. nam huius cognomen ex antiquissimo tempore ex omnibus arboribus expunctum fuit. Et postrema ex generationibus B. desinit in *foeminam* , a qua Sacerdos Carmelus mediate descendit. Quamvis enim iure communi appellatione *familiae* veniant omnes propinqui sive agnati sive cognati, ex iure tamen novissimo in *l. final. Cod. de verb. signif.* nomine familiae demonstrari videntur solummodo , agnati, *idem cognomen habentes*, ita ut tale vocabulum accipi soleat in sensu restricto ad agnationem in ipso quoque patronatu *Card. de Luca de iurep. disc. 25 n. 3 et disc. 26 n. 6.*

Fortius autem si verbo *familia* addatur *cognomen* ceu in casu dictum est *de familia B.* tunc enim quum petitor patrona-

tus ex lege fundationis descendere opus habeat a familia, illiusque cognomen gestare, indubie debet esse *agnatus,* uti ad rem inquit *Piton. de controv. allegat. 100 n. 193. Ex recepto usu Italiae sub nomine familiae demonstrari videntur solummodo agnati idem cognomen habentes. . . Facilius et sine ulla difficultate, quando, ultra nomen familiae, concurrit aliud adiectum cognominis* de Perettis de Monte Alto: *hoc enim casu solos agnatos comprehendi exclusive ad cognatos firmat Card. de Luca de iurepatr. disc. 26 n. 8 vers. secundo, ubi in fine subiungit: quod stante huiusmodi adiecto, nulla cadere videtur difficultas ut soli agnati comprehendantur Card. Ant. De Luca Ad Gratian etc. Rota etc.*

Retulit etiam presbyteri B. defensor in postremis quandoque statibus praelationem habuisse quosdam de B. de cognomine nempe fundatoris, quamvis eidem sanguine non iungerentur ; attento tamen *cognomento* B. antelati sunt praesbyteris ortis in dicta terra. Attamen contrarium docuisse S. Rotam, articulo formiter discusso super eisdem canonicatibus ; nam praesumptio semper est, quod disponens, vocando illos de familia, praesertim cum additamento *proprii cognominis,* intellexerit de personis habentibus sanguinem eiusdem Familiae, a qua ipse suam traxit originem ad *text. in l. pronunciatio 145* §. *familiae in fin. de verb. et rer. significat, Alex. etc. Paris etc. Rovit. etc.*

Argùmentum urgens defensor ait ; quod si fundator in consanguineis tam agnatis, quam cognatis usque ad quartum gradum invitatis absque dubio consideravit coniunctionem sanguinis cum propria familia, ita etiam censeri debet eandem sanguinis coniunctionem voluisse invitando *alios de familia de B.* ad hoc ne melioris conditionis dici deberent omnino extranei quam alii ultra quartum gradum eidem testatori coniuncti, qui nullam vocationis sedem haberent.

Quidquid tamen sit, numquam competitoribus praeferri posset Sacerdos Carmelus S. tum quia fundatori haud consanguineus esset, tum quia ipsum cognomen B non gestaret.

Itaque, conclusit orator, consideratis tribus petitoribus in in pari omnino gradu vocationis, idest in tertio ordine, in quo Canonicatus adiudicandus fuit *Presbytero* qualificato nativo terrae fundatoris; minime ambigendum esset de praelatione sui clientis Sacerdotis B. Quandoquidem ex iure in *can. si forte distint. 53*, et ex Statutis ipsis sub *cap. III*, colligi datum sit, quod in casu paritatis requisitorum dignior semper praeeligendus est. Ast in casu digniorem esse Sacerdotem B. ipse Ordinarius autumavit: et ex comparatione meritorum trium postulantium facile erui potuisse asseruit advocatus.

Hisce aliisque notatis, utriusque partis favore, relictum fuit EE. CC. prudentiae enodare praesens.

www.liptool.com.cn

Dubium.

An et cui danda sit institutio in casu.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. causa discussa, sub die 5. Augusti 1876, dubio proposito respondit:

Affirmative favore Sacerdotis B.

Causae prosequutio. Presbyter Carmelus S. obtento novae auditionis beneficio, sibi et non alii dandam fuisse institutionem contendit. Idque ut evinceret in duas divisit partes defensionem; asserens in prima parte (nil novi adiungens) suam descendentiam e familia B; confutans in secunda Curiae argumenta, quibus ostendi voluit illum excludendum fuisse quoniam cognomen B. non gestaret. Ait enim in materia indifferenti ut est iuspatronatus agnatos, sed et cognatos comprehendi *Pitonius allegat. 75 de controv. patron.* sic se habet « *Espressio cognominis proprii non potest coarctare vocationem ad solos agnatos, sed cognatos etiam capax est comprehendere, cum dicatur stare demonstratio ad denotandam originem et principium a quo provenire debent vocati.* »

Tandem adiecit, praeter alia, Sacerdos Carmelus S. quod si admitteretur principium, cognominis gestationem ius praebere ad secundam sedem vocatorum, innumerae familiae illius ter-

rae ius passivum haberent ad canonicatus. cum ibi usatissimum eiusmodi cognomen sit. Quapropter, addebat. exploratum est fundatorem in prima sede vocasse tum agnatos, tum cognatos; praetulit enim consanguineos tam ex paterna quam ex materna linea usque ad quartum gradum. Et iis deficientibus vocavit alios de familia B. illimitate in secunda sede. ceu innuitur ex fundatoris verbis « *alii de familia de B.* » Vocabulum enim *alii* ad praecedentes personas se refert in prima sede vocatas. quae sunt agnati et cognati. Ast cognati non secumferunt cognominis gestationem ergo colligebat Carmelus S. sese excludi non posse a secunda vocatorum sede, quamvis fundatoris cognomine careret, dum eiusdem fundatoris cognatus esset; Sacerdotem autem B. neque cognomen gestasse, neque fundatoris cognatum fuisse.

Hisce denuo praenotatis super quaestione eadem propositum fuit dirimendum.

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Cui dubio Sacra eadem Congregatio sub die 27 Ianuari 1877 respondit: *In decisis et amplius.*

Ex quibus colliges

I. Ex DD. erui in Italia esse usum receptum quod sub nomine familiae demonstrentur solummodo agnati idem cognomen habentes; et praecipue si ultra nomen familiae aliud concurrat adiectum cognominis.

II. In themate patere praesbyterum Carmelum haud praesetulisse eiusmodi qualitates; nam neque agnatus erat, neque cognomen familiae institutoris gerebat.

www.libtool.com.cn

CONSUETUDINUM SEU DISTRIBUTIONUM ET MISSAE CONVENTUALIS

www.libtool.com.cn

Die 21. Aprilis et 19 Maii 1877.

(Per Summaria precum)

In relatione status Ecclesiarum B. et F. Rmus Episcopus haec S. C. C. exposuit.

» 1° In Cathedrali B. tum celebrans tum adsistentes pro » conventuali Missa canenda, initio *Tertiae* e choro descen- » dentes ad *Sextae* ac *Nonae* recitationem amplius non rede- » unt; et nihilominus ex antiqua consuetudine distributioni » quotidianae minoribus horis respondenti uti praesentes par- » ticipant.

» 2° B. ex antiqua item consuetudine Canonicus, qui » Episcopo Dioecesim perlustranti praesto est; F. vero ex » consuetudine a dioecesana etiam Synodo sub duobus » meis praedecessoribus confirmata, tum Canonicus *Convisita-* » *tor,* tum ii qui Episcopo S. Ordines conferenti adsistunt, » vel ad Ordines aut ad beneficia promovendos actu exami- » nant, licet Choro non intersint, pro residentibus habentur, » et distributionibus omnibus gaudent.

» 3° F. non multis abhinc annis consuetudo a ven. mem. » praedecessore meo Antonio Gara, ut fertur adprobata inva- » luit, ut festis diebus (postremae Missae immediate post » Missam Conventualem in maiorem, ut proferunt, populi » commoditatem celebrandae causa) quatuor minores horae » coniunctim recitentur, ipsaque Conventualis Missa post » *Nonam* canatur.

» Humillime quaero an praefatae consuetudines sustinean- » tur. »

Disceptatio Synoptica.

www.libtool.com.cn

Concilium Tridentinum *sess. XXIV, cap. 12* Bonifacii VIII decretum in usum revocans decernit « Distributiones vero » qui statis horis interfuerint recipient, reliqui vero qua- » vis collusione aut remissione exclusa his careant iuxta Bo- » nifacii VIII Decretum quod incipit *Consuetudinem*, quod » S. Synodus in usum revocat non obstantibus quibuscumque » statutis et consuetudinibus. Omnes vero divina per se et » non per substitutum compellantur obire officia atque in » choro ad psallendum instituto hymnis Canticis Dei nomen » reverenter, distincte, devoteque laudare. »

Porro ex verbis mox recitatis patet omnes Canonicos et caeteros choro addictos ad integrum officium debitis horis persolvendum quotidie teneri, quin statuta, et consuetudines obstaculum faciant, cum sancta Synodus id observari mandet « *non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus* » hinc merito S. C. C. decrevit eos, qui adsistunt uni horae puta Primae, non lucrari distributiones Tertiae adsignatas, quin consuetudo suffragari valeat. Ita in *Seguntina 12 Decembris 1654 ad 1 dub. Decretor. lib. 19 pag. 939.*

Verum ex alia parte animadverti posse videtur Bonifacium VIII in cap. *Consuetudinem de Cler. non resid.* in 6 a Tridentino renovato cit. loc. postquam constituerit generatim distributionibus absentes a choro carere, haec statim adiungere, « exceptis illis quos infirmitas, seu iusta et ratio- » nabilis corporalis necessitas, aut evidens ecclesiae utilitas » excusaret. » Porro inter causas evidentis utilitatis Ecclesiae adscribi posse videtur illa, ob quam Canonicus una cum Ministris e choro abscedere debet finita *Prima* Missam cum cantu celebraturus, ut iuxta rubricas Missalis § 1 *de celebr. Missae* orationi aliquantulum vacet, paramentis sese induat, et post *Tertiam* absque ullo intervallo Missa canatur iuxta easdem Missalis rubricas *de hora celebr. Miss.* Quod pariter licendum occurrit, quando finita Missa statim a Choro Sexta

inchoatur: siquidem celebrans et Ministri Sacristiam redeunt sacris vestibus sese exuendi causa. Quapropter tum Ministri tum Celebrans haec peragentes moraliter Choro adesse censentur ac propterea distributionibus participare posse, et debere viderentur. Idque eo fortius quia omnium fere Capitulorum consuetudo est, ut tales Canonici nedum haud punctentur uti absentes, sed etiam distributiones percipiant veluti praesentes.

www.libtool.com.cn

Quoad vero secundum petitionis caput de Canonicis Convisitatoribus haec adnotari queunt. Ex cit. decreto Bonifacii VIII eruitur distributiones quotidianas lucrari Canonicos in absentia ratione evidentis Ecclesiae utilitatis, *cap. unic. de Cler. non resid. in 6. S. Congreg. 31 Ianuarii 1603, Rota part. decis. 61 n. 7 et adnot. decision. 576 n. 125, 178 et seqq. part. 4, tom. 3.* Iamvero visitatio Dioecesis habenda videtur ceu evidens Ecclesiae utilitas, utpote quae ad animarum salutem valde utilis est, ideoque expresse iubetur a Tridentino Concilio.

Verum contrarium S. C. C. pro his Canonicis qui Episcopum in visitatione dioecesis comitantur; voluit enim eos fructus praebendae suos facere, at carere debere distributionibus ita ut etiamsi redditus omnes in distributionibus consisterent tertiam tamen partem relinquere deberent, quae inservientibus accresceret, ceu patet in *Sulmonen. 5 Decembris 1626, lib. 13 Decret. p. 329,* in *Amerina 3 Februarii 1629 ex lib. 14 Decret. p. 17.* Bened. XIV *Instit. eccl. 107.* Ferraris *verb. Distributiones quotidianae art. 2 num. 6.* Immo Fagnanus addit S. C. Congregationem, rogante Archiepiscopo Ianuensi ut duo Canonici eum comitantes in visitatione dioecesis continuare possent in percipiendis quotidianis distributionibus iuxta antiquam illius ecclesiae consuetudinem, censuisse *non esse concedendum.* Et nuper hoc confirmavit S. C. C. in causa *Tranen.* diei *20 Decembris 1862.*

Praeterea iuxta cit. decretum Bonifacii VIII et dispositionem Concilii Tridentini *sess. XXIV cap. 12* non deberentur distributiones quotidianae Canonico qui adsistit Episcopo

celebranti aut alia Pontificalia exercenti eo quod causae vel *infirmitatis* vel *necessitas*, vel *utilitatis Ecclesiae* haud intercederent. Verum ex eodem Tridentino cit. *c. 12 sess. XXIV de Reform.* statuitur *ut Canonici Episcopo celebranti aut alia Pontificalia exercentis assistere et inservire debeant.* Ex quo Fagnanus ad tramites S. C. C. arguit *lib. 3. Decretal. cap. Licet num. 168 de Prebendis* quotidianas distributiones deberi Canonicis, qui tenentur assistere et inservire Episcopo Pontificalia exercenti tum in Cathedrali, tum in aliis civitatis locis atque eius suburbiis. Quod etiam magis declarat Benedictus XIV *Instit. Eccl. 107* § *9, n. 60,* docens Canonicos qui operam praebent Episcopo in Cathedrali solemniter celebranti praesto esse debere eidem Episcopo etiam extra Cathedralem sive ordinationes obeunti, sive Pontificalia peragenti. Praeiverat enim hac super re S. Congregatio eamdem firmans doctrinam in *Ianuen. 20 Nov. 1616* ut *in lib. Decret. 11, p. 185,* et *in Foro Cornel. 20 Martii et 17 Aprilis 1649 lib. 18 Decret. p. 603 et 664*, et praesertim in *Lycien. 27 Augusti 1641,* in qua proposito Dubio: « An » decretum (Concilii *cap. 12 sess. XXIV de Reform. vers.* » *omnes vero*,) locum habeat quando Episcopus in aliis Ecclesiis sibi subiectis in civitate existentibus Pontificalia » celebret, vel paratus assistat cum pluviali et mitra, aut » cum cappa divinis officiis, et Missae solemnia re alia Pontificalia exercet . . . . si numerus sufficiens Canonicorum » et Ministrorum in Ecclesia Cathedrali remaneat – respondit – » *habere locum* » *Lib. 16 Decretor. p. 582 et 583*, Ferraris *verb. Distributiones art. 1, n. 44;* S. Congreg. in citata causa *Tranen.*

Nunc ad Canonicos Examinatores Synodales. Ad tuendam consuetudinem de Canonicis examinatoribus Synodalibus, qui frui solent distibutionibus dum Choro absunt Ordinandos examinandi, novosque Confessarios adprobandi gratia inniti posse videtur necessitati qua fieri nequit, ut alii inter Clericos ad munus examinatorum assumantur, nisi qui servitio chori sunt addicti. Equidem refert Barbosa in suo opere *de Canon et*

Dignit. cap. 24 n. 9, resolutionem S. Congreg. EE. et RR. diei 22 Martii 1600, qua declaratum est, examinatores Synodales ceu praesentes habendos esse dum Confessariorum et Ordinandorum peritiam explorant. Ex quo forsan Zachias *de resid. eccles. tit. de benef. num. 13*, docuit examinanatores, qui causa examinis absunt a Choro gaudere distributionibus. Idque insuper pro Cathedrali Anagnina admittendum esse iudicavit S. haec Congregatio ad formam capitularium constitutionum: *Anagnina 20 Novembris 1819 ad IX Dub.* Verumtamen seclusa huiusmodi peculiari dispositione quae S. Sedis approbationem in dicta *Anagnina* praeseferebat, perceptionem distributionum examinatoribus Synodalibus S. C. C constanter denegare censuit, ceu videre est in *una Brixien. 19 Iunii 1638 lib. 16 Decret. pag. 38*, in alia *Cremonen. 20 Sep. 1642, lib. 17 Decret. p. 95*, et in Fagnano *loc. cit. num. 100 et 104*: qui addit eiusmodi examinatores distributiones non lucrari etiamsi adsit *contraria consuetudo* in Synodo dioecesana confirmata: quod confirmavit S. C. C. in *Tranen.* cit. ad dub. VII et VIII.

Ad tertium denique quod attinet petitionis caput, haec praenotanda veniunt. Certum est Missam conventualem canendam esse hora, quam Rubrica praescribit, *De hora celeb. Missam.* Neque attendi posse videtur consuetudo etiam immemorabilis ut eadem post Nonam decantetur ceu docuit S. R. C. *die 9 Augusti 1766* in *Perusina* a Gardellini relata n. 4114 - ibi - « Porrecto S. R. C. nomine Canonicorum Ecclesiae » Cathedralis perusinae supplici libello pro resolutione sequentis dubii – An Missa Conventualis, attenta immemorabili » consuetudine, cani possit post Nonam, non obstantibus rubricis generalibus Missalis in contrarium disponentibus? » S. Congregatio ad relationem mei infrascripti Secretarii » respondendum censuit, *negative, et quoad horas celebrandi* » *Missas Conventuales de Sanctis et de Feria servandas* » *esse Rubricas Missalis Romani.* »

His favore consuetudinum, et adversus easdem praenota-

his EE. CC. prudentiae remissum fuit resolvere quid Episcopo sciscitanti esset respondendum.

Resolutio. Sacra C. Concilii temporis deficientiâ coacta haud disceptavit quaestionem die praedicta. Idque tamen fecit die 19 Maii 1877 sic respondens:

Quoad Canonicos examinibus actu vacantes aut Episcopum in Dioecesis visitatione comitantes, et quoad Missae Conveniualis celebrationem post nonam, expositam consuetudinem non sustineri; quo vero ad reliqua nihil esse innovandum.

Ex quibus colliges.

Haud improbari consuetudinem qua celebrans et ministri initio *horae tertiae* a choro discedentes pro Missa conventuali canenda, neque ad recitationem *sextae* et *nonae* redeuntes, tamen distributiones eisdem horis respondentes percipiant ceu si adfuerint.

II. Canonicos examinibus adsistentes, aut Episcopum in Dioecesis visitatione comitantes haud posse facere suas distributiones inter praesentes; dum his in adiunctis pluries a S. C. C. resolutum fuerit quod *evidens Ecclesiae utilitas* canonicos istos non excuset a choro.

III. Missam Conventualem ex generali rubrica Missalis Romani esse canendam post recitationem *horae Tertiae;* neque generaliter admitti ullam causam aut consuetudinem, qua fieret ut Missa haec post *Nonam* caneretur.

IV. Sacram Rituum Congregationem pluribus resolutionibus confirmavisse quod Missa Conventualis celebrari debeat immediate post *Tertiam* iuxta rubricas Missalis Romani; neque oblivisci debere decreta Congregationis huius vim legis habere, quae invectas consuetudines deleant, et obligent in conscientiam.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

www.libtool.com.cn

APERITIONIS ORIS PENSIONIS ET SUSPENSIONIS.

Die 28 Maii 1875, 2 Iunii 1876 et 23 Martii 1877.

COMPENDIUM FACTI. Innocentius X Romanus Pontifex sua Constitutione diei 22 Octobris 1652, cuius initium est *Instaurandae*, parvos abolebat Conventus, Ordinariis locorum in quorum Dioecesibus ipsi reperirentur executionem huius rei tradens, et obligationi possessionem capiendi bonorum eorumdem Conventuum onus adiicebat, ut reditibus implerentur Missae et alia gravamina *quomodolibet incumbentia. Ceterum intendentes de praedictis bonis quotquot superfuerint oneribus ut supra dectractis, salubriter providere, eorumdem tenore praesentium bona huiusmodi applicamus, et applicata esse decernimus et declaramus piis usibus.* Huius ordinationis vi parvus suppressus fuit Conventus, cuius reditus anno 1682 per ordinarium addicebantur tribus paroeciis P. M. S. Horum redituum maior tribuebatur pars ecclesiae archipresbyterali P. eidemque onus de festivis Missis recitandis adiectum fuit.

Anno tamen 1824 quum horum redituum ducata 148,47 translata fuissent ad alias Ecclesias, Archipresbyter haud implevit amplius onera Missarum.

Auctoritate regia, et assensu Romanae Sedis anno 1845 factum est ut Parochia Archipresbyteralis P. in Ecclesiam transferretur M. et ista in illam immutaretur, quia Ecclesia

M. centrum tenebat plurimarum gentium. His peractis immutationibus, indictus fuit concursus ad novam Ecclesiam Archipresbyteralem M. quae presbytero Antonino E. primo collata fuit, cum onere 24 ducatorum pensionis. Per obitum vero Antonini E. anno 1868 vacavit nova Ecclesia Archipresbyteralis M; et Archiepiscopus a S. Sede impetravit ut imponere posset eidem Ecclesiae Archipresbyterali novam centum ducatorum pensionem. Asseruit Archiepiscopus huius Ecclesiae reditus ascendere ad ducata sexcentum; quae augeri etiam possent sollerti administratione. Quum concursus indictus fuisset, septem dies antequam Rescriptum a Roma obtineret pro pensione imponenda, curavit Archiepiscopus ut singuli concurrentes in scriptis adpromitterent pensionem praedictam fore soluturam ab eo qui ad paroeciam adprobaretur. Sacerdos Paschalis V. per Examinatores adprobatus anno 1868 institutionis canonicae Bullas obtinuit, in quibus tamen haud mentio facta est alterius pensionis ducatorum vigintiquatuor. Attamen *regium placet,* quod vocant, obtinere nequivit usque ad Februarii mensem 1872; quo tempore in bonorum possessionem immissus est.

Interdum Archiepiscopus solvere pensionem ducatorum 24 Archipresbyterum iussit; nec non decreto *in cursu S. Visitationis* emanato, praecipiebat sub poena suspensionis a divinis incurrendae ipso facto, ut 200 ducata solveret pro duobus elapsis annis, et Ecclesiam C. instauraret. Huius Ecclesiae C. reditus Archipresbytero addicti fuerant cum onere unius Missae pro diebus festivis, duarum Missarum in qualibet hebdomoda, et subsidii dotalis pro singulis annis. Statuitque pro adimplendo primo onere novem mensium et unius anni limitem peremptorium pro onere secundo: missarum autem gravamen suspendebat pro tempore hoc, ut facilius impleret Archipresbyter duo eiusmodi pondera.

Archipresbyter, decreto accepto sub die 12 Aprilis 1874, eidem obedire renuit appellavitque apud S. C. EE. et RR. Dum autem ad terminum properarent novem menses pro suspensione incurrenda, Archipresbyter parochianos praemonuit

ne scandalizarentur, eodemque tempore exoravit, per litteras, Ordinarium ut suae paroeciae consuleret. Ordinarius adscivit Parochum, curans ut dilationem ad onera implenda exposceret. His peractis, litem tetigisse suum finem putatum est; verumtamen appellatio iam interposita effecit ut Archiepiscopus interrogaretur a S.C. quanam facultate onera missarum suspendisset ecclesiae reedificandae inhaerentia. His de causis indignatus Ordinarius, utpote qui censeret parochum fidem non praestitisse, appellationem haud retrahendo, iterum suspensionem eidem inflixit: quae sublata fuit per litteras S. C. E. et R. diei 19 Decembris 1874 quibus Ordinario iniungebatur onus absolvendi Archipresbyterum, et terminum unius mensis praefigebatur partibus ad ulteriores deductiones peragendas quatenus vellent. Interdum tamen Dominicus Z. parochus Ecclesiae e qua translata fuerat anno 1845 parochia Archipresbyteralis litteras misit ad S. Cong. EE. et RR. asserens reditus Ecclesiae Archipresbyteralis ascendere ad 800 ducata; quapropter repetens bona Ecclesiae C. et Ecclesiae Archipresbyteralis, adpromittebat se omnia onera impleturum et pensionem soluturum esse.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Iura Ordinarii. Praemisit Ordinarius, ut sua protueretur iura, et suum decretum diei 11 Novembris 1873 sartum tectumque maneret, Archipresbyterum ad pensionem 100 ducatorum praestandam obstringi vi Decreti Pontificii 1868. Cui Pontificio Decreto accessisse quoque, ait decretum executoriale; ex quo factum est ut vacans Archipresbyteralis Ecclesia, legitime illâ gravaretur pensione; quae favore pauperum paroeciarum eroganda esset; quamque Archipresbyter in scriptis accepto habuit antequam bonorum possessionem consequeretur. Ergo vi rescripti pontificii, quo Ordinario fiebat facultas imponendi pensionem, et vi liberae acceptionis ex parte Archipresbyteri arbitrium aperitionis oris locum non habet, quia obreptio et subreptio exulant. Neque Archipresbytero innuere iuvat pactum solvendi pensionem labe simoniaca infectum fuis-

se; nam Canonistae in casu contrariam profitentur sententiam. Ipsi revera distinguunt: vel pactum solvendi pensionem, in actu collactionis vel antea fit pro laudabili fine et in hoc casu abest simonia; vel inter partes interesse habentes ad pensionem et Ordinarium pacta fiunt eo consilio ut conventio in propriam utilitam vergat, et tunc pactum simoniacum fit, Clericatus *de pensione eccles. disc. 1. n. 101. Neque requisitio consensus ipsius provisi et eius promissio de ea solvenda facit pactionem illicitam, simoniacam ac iure canonico reprobatam, tum quia praedicti consensus prestatio est voluntaria et sine coactione, tum quia illae censentur pactiones illicitae ac simoniacae, quae firmantur inter ipsas partes vel ab Episcopis in eorum propriam utilitatem.* Et *n. 42* idem auctor « *Et ex hac formalitate cessabat omnis illicita pactio vel conventio; erat enim in libertate praeelecti, si reservationi pensionis nolebat consentire a receptione beneficii abstinere. Caeterum omnes pactiones, de quibus tamquam illicitis ac simoniacis loquitur Fagnanus in locis in hoc octavo obiecto citatis, sunt illae quae respiciunt utilitatem ipsius Episcopi, vel concordantur inter se ab ipsis partibus, vel per eas stipulantur, nulla iusta causa interveniente. At reservatio proveniens ob iustam causam a sua voluntate Episcopi est licita et valida, ut concludit Gabalinus de simonia quaest. 16 consect. 7 n. 1, sic scribens: certum enim est posse imponi pensionem beneficio ex iusta causa, ac beneficium deinde sic oneratum conferri: neque ibi ullum est pactum simoniacum, cum neque ibi pactum sit, quandoquidem ad pensionem seu reservationem faciendam non requiritur consensus eius, cui beneficium est conferendum, nec imponitur pensio pro collactione, sed ob aliam causam iustam et necessariam.* » Quapropter, prosequebatur Ordinarius, posthabita ab eodem pensionis solutione, terminus eidem constituebatur, quo transacto, renuens suspensione a divinis plecteretur. Neque eidem prodesse excusationem adductam quod nempe pecuniae deficentiâ laboraret, ideoque pensionem praestare non potuisse. Nam tempore,

quo Paroeciae possessionem Archipresbyter obtinuit 70 ducata dono dedit conductori, eo consilio ut locatio bonorum eiusdem Ecclesiae per regium administratorem peracta rescinderetur, quae iam in annuos ducatos 640 constituta erat. Ex quo facto erui datum fuit Archipresbyterum plus aequo avaritiae indulgere, et omnino prudentiâ carere, ita ut eius operâ tumultus fieret in populo, eiusque vita ob eam rem pluries in periculum adducta fuerit. Quapropter nullimode excusatur Archipresbyter a solvenda pensione; eoquod in uno solo casu excusaretur, ceu innuunt Doctores, quando nempe causâ huius pensionis non remaneret eidem Archipresbytero integra congrua a Tridentino constituta *Sess. 24 de Reformat. cap. 13* in ducata centum, sive ducata 150 ob Concordatum illius Regni. Quod habet Fagnanus *in Cap. nisi essent de praebendis. n. 25* « *Quartus casus similiter non dubius est in Parochialibus Ecclesiis, quarum reditus summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt; planum est enim Ecclesias huiusmodi nullis pensionibus aut reservationibus fructuum posse ab Episcopo gravari, reclamante nimirum Concilio Tridentino in cap. 13 §. ad haec Sess. 24, Sed et iure communi inspecto oporteret ut detracta pensione, supersint reditus sufficientes ad sustentationem Rectoris, ut in cap. pastoralis num. 6 de his quae fiunt a Praelat.* » Retulit etiam Ordinarius se tempore S. Visitationis conspexisse nedum satisfactum fuisse oneribus, quae Ecclesiaa C. inhaerent; verum etiam statum eiusdem Ecclesiae talem fuisse, ut eadem interdici et Archipresbyter obstringi debuerit ad illam instaurandam, et sacra paramenta praestanda infra duodecim mensium spatium sub poena suspensionis. Quoad Missarum et onerum suspensionem fuisse causam indirectam Archipresbyteri negligentiam. Quod autem onera ecclesiae C. adimplenda sint ab Archipresbytero facile creditur quia ipse reditus omnes eiusdem ecclesiae percipit, ex eo tempore quo vi Bullae Innocentii X *instaurandae* ex iurisditione Patruum Dominicanorum sublata fuit et ecclesiae Archipresbyterali addicta

www.libtool.com.cn

cum omnibus oneribus. Quae onera reducuntur ad missam unam festivam, duas Missas in qualibet hebdomada, pensionem ducatorum 24, et subsidium dotalitium quotannis conferendum puellae digniori.

www.hkbook.com.cn

Iura archipresbyteri. Advocatus Archipresbyteri primum aggrediens dubium evincere conatus est decretum Ordinarii nedum iniustum, verum etiam absurdum fuisse in ea parte qua poena suspensionis suo clienti infligitur. Suspensio enim duobus de capitibus fuit illata; *primo* nisi intra novem menses repensa fuissent Curiae biscentum ducata pro duorum annorum pensione: *secundo* nisi infra annum Ecclesia C. reedificaretur, et cultui divino restitueretur. Quoad primum caput animadvertit impossibile fuisse solvere duorum annorum pensionem spatio temporis ita angusto, etiamsi valide pensio eiusmodi imposita fuisset. Nam sive ad Tridentinum respicias, sive decretum *Cum nuperrimis* consideres prae primis salva manere debet Parocho congrua; quae vi Concordatus anni 1818 pertingere deberet 150 ducata. Ast osservavit Parochus in facto esse reditus paroeciae anni primi pertingisse libellas 2605; quae vis pecuniae gravaminibus cunctis purificata reducebatur ad libellas 750, 11. Posito autem quod pensiones ducatorum 24, et 100 solvendae realiter fuissent, tunc Archipresbytero relinquerentur libellae 222, 61; quibus insuper cultui divino consulere debuisset, nec non stipendio pro vice-parocho. Animadvertit etiam reditus Paroeciae annorum insequentium minores fuisse. Ad *secundum caput* transiens advocatus autumavit quod decretum Ordinarii neque in hac parte exequi poterat, tum ex ingenti pecuniae vi qua opus erat ad Ecclesiam instaurandam, et sacra utensilia praestanda, tum quia haud ostringebatur ad hoc Archipresbyter sequentibus de causis. 1. Quia bona Ecclesiae nunc instaurandae donata fuere tribus Ecclesiis paroecialibus. 2. Quia anno 1824 a praebenda Archipresbyterali avulsi fuere reditus ducatorum 159, 37. 3. Quia Ecclesia instauranda quum Municipio concessa fuisset in usum Caemeterii, ipsum Municipium onere gravari deberet eamdem instaurandi. Edixit insuper; si concedatur etiam Archipresbyterum ad eiusmodi in-

staurationem teneri; hoc onus haud imponi deberet ipsi soli, dum Archipresbyteri predecessores reditus eiusdem paroeciae perceperint, et Ecclesiam prolabi permiserint; dum iste ex adverso ab anno tantum 1872 reditus percipiat. Hinc ex regula 186 *ff. de div. reg. Iuris impossibilium nulla est obligatio* colligit eam *Bened. XIV de Syn. Dioeces. T. 10. cap. 1. n. 3.* Ordinarium haud uti censuris posse nisi *ad coercenda graviora crimina;* quod deest in casu.

www.libtool.com.cn

Quoad *secundum dubium* asseruit adesse omnino causas, quibus locum habere possit arbitrium *aperitionis oris* ad hoc ut nulla declaretur pensio ducatorum centum, qua praebenda Archipresbyteralis onerata fuit. Idque ut evinceret Advocatus dixit *obreptitium,* et *subreptitium* fuisse quidquid Ordinarius narraverat sanctae Sedi anno 1868 ut decretum pensionis obtineret. *Obreptitium* fuisse quia narratum fuerat reditus Paroeciae Archipresbyteralis superare annua ducata sexcentum; *subreptitium* autem quia reticitum fuerat eamdem paroeciam oneratam iam fuisse ex altera pensione 24 ducatorum. Cardinal De Luca *tract. de pens. disc. 93 per tot. et disc. 4 n. 2* loquens de secunda pensione imponenda ait: *Secunda pensio, non facta mentione unius vel plurium antiquarum pensionum, quibus beneficium gravatum erat, invalida est ex defectu verisimilis intentionis Papae quae. praesumendum est noluisse duplici onere Ecclesiam gravare.*

Quo vero ad tertium dubium attinet procurator asseruit Archipresbyterum non obstringi ad prestandam ducatorum 24 pensionem, eoquod imposita sit praebendae parochiali minime vero personae sui antecessoris, ut innuunt verba Bullae institutionis praedicti antecessoris: *super reditibus dictae ecclesiae. . .* Et insuper ex Card. de Luca *de pens. tit. 40. Ordinarius nequit imponere onus Ecclesiae, sed soli proviso* quia conferri nequeunt beneficia *cum diminutione.* Ergo si Ordinarius pensiones imponere nequeat nisi personis, non autem beneficis, sequitur quod dicta pensio cessaverit per mortem Archipresbyteris antecessoris, neque hac gravari potest successor nisi iterum in canonica collatione imposita fuerit.

Relate ad quartum dubium assertum est haud audiendum esse Sacerdotem Dominicum Z. reclamantem bona Ecclesiae C. et Ecclesiae Archipresbyteralis quoniam translatio anno 1845 peracta fuerit consensu auctoritatis civilis et Ecclesiasticae. Et quamquam supponi possit haud extitisse causas canonicas ad eiusmodi translationem peragendam, tamen actiones Sacerdotis Dominici Z. perimuntur post triennalem possessionem, vi regulae 36 Cancellariae Apostolicae, posthabitis etiam generalibus possessionis theoriis. Et regula istaec iuxta Ferraris *V. Beneficium art, 7. n. 118: suffragatur triennali possessioni adversus quascumque molestias, tam in possessorio, quam in petitorio illatas.*

Hisce in utramque partem praeiactis, sequentia proposita fuere dirimenda.

Dubia.

I. *An et quomodo sustineatur decretum Archiepiscopi diei 11 Novembris 1873 in ea parte qua Archipresbytero M. infligitur suspensio a divinis.*

II. *An constet de causis canonicis quibus locum habeat arbitrium aperitionis oris in casu, et quatenus affirmative an et quomodo sustineatur pensio annua centum ducatorum Archipresbytero M. imposita.*

III. *An insuper Archipresbyter praestare teneatur aliam ducatorum 24 annuam pensionem favore aeconomi curati N.*

IV. *An idem Archipresbyter M. manutenendus sit in pacifica, et plena possessione praebendae in casu.*

Resolutio. Sacra Congr. E. et R. causâ discussâ sub die 28 Maii 1875 respondere censuit:

Ad I. *Negative*

Ad II. *Dilata; suspensa interim solutione pensionis.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. *Affirmative et ad mentem; mens est quod Archiepiscopus provideat ad satisfactionem onerum et referat de oneribus gravantibus bona Ecclesiae C.*

Causae prosecutio. Sub die 2 Junii 1876 iterum causa discutienda proposita fuit, et ea quae sequuntur concinnata fuere

Dubia

I. *An constet de causis canonicis quibus locum habeat arbitrium aperitionis oris in casu; et quatenus affirmative an et quomodo sustineatur pensio annua centum ducatorum Archipresbytero M. imposita.*

II. *An et quomodo recedendum sit a decisis sub die 28 Maii 1875 quoad quartum dubium in casu.*

Sacra eadem Congregatio die 2 Iunii 1876 respondebat:

Ad I. *dubium Dilata et reproponatur cum iisdem.*

Ad II. *In decisis et amplius.*

Iussu S. Congregationis etiam scriptum fuit eo consilio ut Archiepiscopus edoceret quaenam essent onera Ecclesiae C. quaeque ut adimplerentur interdum curaret; iussit quoque S. Congregatio ut dubium proponeretur super eiusdem oneribus statim ac per Archiepiscopum cognita fuissent.

Quibus cognitis, sub die 23 Martii 1877 ea quae sequuntur proposita fuere.

Dubia.

I. *An constet de causis canonicis quibus locum habeat arbitrium aperitionis horis in casu et quatenus affirmative an et quomodo sustineatur pensio annua centum ducatorum Archipresbytero M. imposita.*

II. *Quaenam sint onera quae bona Ecclesiae C. gravant, a quo et quibusnam mediis implenda sint.* Eadem S. Congretio sub die 23 Martii 1877 ea quae sequuntur responsa porrigebat.

Ad I. *Negative ad primam partem, et pensionem sustinendam esse ad tramitem tamen Decreti Cum nuperrimis* (1).

Ad II. *Onera esse Missam diebus Dominicis et festivis, et duas Missas in qualibet hebdomada; nec non subsidium dotale decem ducatorum singulis annis die festo Purificationis B. M. V. largiendum; et haec quidem onera ab Archipresbyteris pro tempore paroeciae M. esse adimplenda. Et scribatur Archiepiscopo ad mentem; mens est quod*

(1) Relatum habes eiusmodi decretum Volumine VII pag. 325.

S. Congregatio eiusdem adhortatur zelum ut curet quod Ecclesia C. a Municipio instauretur.

EX QUIBUS COLLIGES.

I. Posse Episcopos pacta vel conventiones inire de pensione solvenda in actu collationis beneficii vel antea; dummodo pensio istaec in finem laudabilem vergat.

www.libtool.com.cn

II. Eiusmodi enim pacta et conventiones labe simoniaca eatenus inficerentur quatenus libertate carerent, aut Episcopi tantum utilitatem suam respicerent, vel inter ipsas partes stipularentur nulla interveniente iusta causa.

III. In themate patere conventionem de solvenda ducatorum centum pensione laudabilem habuisse finem, quia favore paroeciarum pauperum eroganda esset; et nulla coactione initam fuisse; quia in praeelecti libertate erat a receptione beneficii abstinere, quatenus reservationi pensionis consentire nolebat.

IV. Parochos excusari a solvenda pensione, quatenus huius pensionis causa, congrua parochialis eidem integra non remaneret; quae in centum ducata a Tridentino *Sess. 24 de ref. cap. 13* constituitur, et quae, iure communi inspecto, talis esse debet ut rectori reditus ad sustentationem sufficientes suppeditet.

V. Episcopos ordinaria facultate pollere ferendi censuras, easque decernendi in transgressores suarum constitutionum: expedire tamen ut hunc suae potestatis gladium exerant ad coercenda graviora crimina (1).

VI. Secundam pensionem invalide imponi quoties mentio haud facta fuerit de alia vel aliis pensionibus alicui beneficio antea impositis; praesumitur enim verosimilem defuisse Papae intentionem, atque noluisse duplici onere Ecclesiam gravare.

(1) Praesul Altoviti praedecessor Benedicti XIV in munere Secretarii S. Congr. Concilii in quodam suo voto habet « *Verum mihi semper absonum visum est imponere poenam suspensionis ipso facto incurrendae pro qualibet levi culpa, praesertim contra Parochos, non minus in praeiudicium animarum eorum Curae commissarum, quam ipsorum parochorum delinquentium.* »

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

www.libtool.com.cn

Baiocen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Eudes Missionarii Apostolici et Institutoris Congregationis Iesu et Mariae nec non Ordinis Beatae Mariae Virginis de Charitate Refugii.

Instante R. Patre Angelo Le Dorè Superiore Generali Congregationis Iesu et Mariae et huius causae postulatore, Emus et Rmus D. Cardinalis Ioannes Baptista Pitra causae Ponens sequens Dubium proposuit in ordinariis sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis « *An sententia Iudicis Delegati ab Episcopo Baiocensi super cultu praefato Ven. Servo Dei Ioanni Eudes non exhibito, seu super obedientia Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?* Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribere censuerunt « *Constare de praestatione obedientiae Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII.* Die 3. Februarii 1877.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Sacrae Congregationis Secretarium fideli narratione, Sanctitas sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est.

Die 15 iisdem Mense et Anno.

A. EP. SABINEN. CARD. BILIO.
S. R. C. PRAEF.

Plac. Ralli. S. R. C. Secretarius

LITTERAE IUSSU SANCTISSIMI PATRIS PII PAPAE IX DATAE AD D. EDUARDUM HAUTCOEUR, PRAESULEM DOMESTICUM SANCTISSIMI D. N. PII PAPAE IX, RECTOREM UNIVERSITATIS CATHOLICAE INSULENSIS. INSULAS.

www.libtool.com.cn

Illustrissime et Reverendissime Domine,

Redditae sunt Sanctissimo Domino Pio Nono filialis obsequii litterae, quas ad eum dedit unus ex Doctoribus in Universitate catholica Insulensi, animi anxietatem significans qua afficitur circa quaestionem philosophicam de compositione corporum, propter dissidium sententiarum de quibus non sane in ista vestra Universitate catholica, ubi egregios Professores non minus studio promovendae scientiae cum religione consertae; quam animorum consensione praestare gratulandum est, sed alibi inter se contendunt quae dissitae scholae, licet utraque catholica, sit et apostolicae sedis magisterio obsequentissima. Ob has itaque aliorum dissentiones anceps et haerens praedictus doctor a Sanctissimo Domino petebat, num existat aliqua quoad istas de natura corporum opiniones ac sententias in alterutram partem Sanctae Sedis declaratio, cum a nonnullis tam alia plura documenta ecclesiastica, quam etiam suae Sanctitatis Litterae die 23 Iulii 1874 datae in medium producantur, ac si ad istam inter doctores catholicos controversiam decidendam quidquam pertinerent.

Hac igitur super re Beatissimus Pater mihi demandavit, ut Tibi litteras conscriberem non solum ad tollenda dubia eruditi viri in Universitate Catholica Insulensi, qui eorum solutionem humillime expetebat, sed magis etiam ad eum scopum ut acriores aliis in locis exortae concertationes hac occasione sopirentur. Vult enim ac optat Sanctitas Sua, ut docti homines catholici non de liberis opinionibus inter se disceptando vires suas distrahant, sed imo eas omnes communibus studiis, licet diversa forte systemata sequantur, ad

materialismi ceterorumque nostrae aetatis errorum expugnationem convertant. Quare haec quae iussu sanctissimi Domini Nostri sum dicturus, omne quorum interest sibi commendata habeant ac probe animis insita.

www.libtool.com.cn

1. Graviter abuti litteris a Sanctitate sua die 23 Iulii 1874 ad Doctorem Travaglini datis, (1) quibus opus ab eo susceptum commendatur, eos omnes qui exinde contendunt, Sanctitatem suam voluisse per eam commendationem improbare systemata quaedam philosophica illi opposita, quod de materia prima et substantiali forma corporum idem Doctor eiusque socii adoptarunt; si quidem haec alia systemata, non secus atque illud, non modo pluribus catholicis doctisque viris probantur sed etiam in hac ipsa Urbe principe catholicis orbis in praecipuis Athaeneis Pontificiis usu recepta sunt.

2. Ad systemata ista alia scholarum catholicarum improbanda merito proferri nequaquam posse litteras a Summo Pontifice datas ad Eminentissimum Card. Archiepiscopum Coloniensem, vel ad Reverendissimum Episcopum Vratislaviensem, (2) aliave Ecclesiae decreta et definitiones; ea namque documenta pertinent tantummodo ad docendam « unitatem » substantialem humanae naturae, » quae duabus constat substantiis partialibus, corpore nempe et anima rationali, adeoque haec eadem documenta spectant ad doctrinam theologicam dum eae controversiae, quae non ita pridem resuscitatae sunt et a viro erudito in suis ad Summum Pontificem litteris commemorantur, doctrinas mere philosophicas respiciunt, super quibus catholicae scholae diversas sententias sequuntur ac sequi possunt; quoniam suprema Ecclesia auctoritas numquam pro altera iudicium tulit, quod alteram excluderet.

Post haec quae dicta sunt, facile quisque intelligit, quam necessario postuletur, ut viri docti catholici in suis cum scriptionibus tum disputationibus limites modestiae ac leges charitatis christianae sollicite servent, cum systemata examinant aut impugnant ab Apostolica Sede neutiquam damnata,

(1) Eiusmodi litteras videre tibi est Vol. VIII pag. 496 harum ephemeridum.

(2) Habes has litteras pag. 443 et seqq. Voluminis eiusdem.

quaeque in conspectu ipsius Pontificis retinentur atque usurpantur. Quam quidem in rem mentis oculis obversari oporteret, quae Benedictus XIV ipsis librorum censoribus praescripsit in celebri Constitutione, ubi inter cetera sapientissime statuta haec habet: « Ecclesiae sanctae dogmata et communem Catholicorum doctrinam quae conciliorum generalium decretis, Romanorum Pontificum constitutionibus et orthodoxorum Patrum atque Doctorum consensu continetur, unice prae oculis habeant, hoc de caetero cogitantes, « non paucas esse » opiniones, quae uni scholae, instituto aut nationi certo » certiores videntur, et nihilominus sine ullo fidei aut religionis detrimento ab aliis catholicis viris reiiciuntur, atque » impugnantur oppositaeque defenduntur, sciente ac permittente Apostolica Sede, quae unamquamque huiusmodi opinionem in suo probabilitatis gradu relinquit ».

His, quae voluntate ac iussu Sanctissimi Patris tota epistola perscripsi, anxiis interrogationibus eruditi viri, qui eas proposuit et aliorum quoque dubiis plene satisfactum, ac praesertim illud effectum esse confido, ut disceptationes non apud vos quidem, uti dixi, sed inter alios quosdam subortae iustis finibus coerceantur, nec quis amplius Pontificis actis abutatur, nominatim vero litteris a Sanctitate sua ad Doctorem Travaglini conscriptis, quibus, ceu liquet, contra mentem et consilium scribentis perperam quidam usi sunt.

Pontificio demum perfunctus mandato hanc ego datam opportunitatem libenter amplecter ut sinceram existimationem meam denuo tibi profitear qua sum ex animo.

Tui, Illustrissime ac Reverendissime Domine, addictissimus famulus.

Wladimirus Czacki

S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae Secretarius.

Romae, die 5 Iunii 1877.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

Die 16 Decembris 1876, 27 Ianuarii et 19 Maii 1877.

COMPENDIUM FACTI. Trevicus oppidus in alti cacumine montis positus ad Dioecesim L. pertinet; et in eo insignis Collegiata Ecclesia erigitur, cuius Archipresbytero animarum cura est concredita.

Latissime huius paroeciae fines porriguntur ita ut intra se varios complectantur pagos: quorum incolis viarum asperitas intersectaque flumina accessum ad parochiam perdifficilem reddunt. Episcopus Dioecesis illius anno 1719 ratus animarum bono consuli posse per novae paroeciae erectionem, facultatem a S. Sede petiit, ut id sibi facere liceret. Adiecit, ad gratiam facilius obtinendam, multos infantes absque baptismate, dum genitores ipsi formam ignorent, multosque adultos mori sine extrema unctione.

Ordinarii precibus rescribebat S. C. Cong. die 31 Julii anni praedicti « *Episcopus orator provideat ad formam sacrorum canonum ac praesertim sacri Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 4 de Reform.*

Attamen constat ab ordinario haud provisum fuisse ad sacrorum canonum formam. Ideoque alter Episcopus eiusdem Dioecesis anno 1869 sacram peragens visitationem, attentis civium precibus, *ut aliquod remedium praestaretur immineris spiritualibus incommodis eis evenientibus*, sub die 8 octobris eiusdem anni decrevit novae paroeciae erectionem sub titulo S. Mariae Consolationis, cum territorio separato

ab Ecclesia Matrice. Praecepit Parocho Ecclesiae Filialis ut solveret quotannis Archipresbytero matrici Ecclesiae libram cerae in signum subiectionis, et onus Archipresbytero imposuit solvendi 50 annua ducata pro congrua parrochi sustentatione. Addidit insuper quod si Archipresbytero pro tempore praefatam annuam summam, acquiescente Capitulo, et annuente Episcopo solvere renuisset; *tunc iuri ordinario subiectionis, ut supra reservato, renuntiasse censeatur, et praedicta filialis Ecclesia habebitur tamquam parochialis ex se constituta et aliunde dotata pro congrua Curati, absque ulla dependentia ab Ecclesia matrici Trevicen.*

Archipresbytero decretum eiusmodi notificavit Episcopus, qui eodem tempore aeconomum Curatum nominavit. Constare videtur haud usque ab initio pacifice res processisse inter Archipresbyterum et novum Parochum iurisdictionis causâ. Mortuo sed vero Archipresbytero Trevici paroecia Archipresbyteralis, Litteris Apostolicis diei 13 Maii 1874, Primicerio collata fuit, quin aliquod verbum tum in Datariae bullis, tum in possessionis actu factum sit de confinium restrictione ob erectionem novae paroeciae.

Cum Episcopus, nullo praevio examine, decreto diei 18 Februarii 1875 praedicto aeconomo novam paroeciam contulisset, novae quaestiones iurisdictionales exortae sunt inter parochum et Archipresbyterum. Qui die 10 Aprilis anni praedicti conquestus et protestatus est penes suam Curiam; die 14 eiusdem mensis sollicitus fuit vadari ante tribunal Metropolitanum tum Curiam L. tum novum parochum invocans nullitatem decretorum tum dismembrationis, tum collationis. His non obstantibus die 19 Aprilis praedictus sacerdos in realem possessionem dismembratae paroeciae immissus est. Tunc metropolitana Curia primo conata est ut res amicabiliter componeretur; quod cum consequi nequiret, die 22 Septembris 1875 sententiam protulit, decernens nullitatem decretorum episcopalium tum dismembrationis, tum collationis novae paroeciae.

Novus parochus aegre tulit eiusmodi sententiam, et illico

appellationem ab ea interposuit apud S. C. Congregationem; quae statim informationem et votum ab archiepiscopo quaesivit. Iste morem gerens tuitus est suae sententiae iustitiam, nedum ob neglectas selemnitates, seu propter formae dismembrationis contemptum, verum etiam quia per eamdem dismembrationem haud satis provisum fuerat bono fidelium; qui in eisdem adhuc versantur circumstantiis. Retulit etiam Episcopum haud appellavisse a sententia Curiae Metropolitanae, quae ideo in rem iudicatam transiit.

www.libtool.com.cn

Rebus sic stantibus Episcopus L. datis litteris ad S. C. Congregationem non solum declaravit interventum in causa, verum, ad expensas vitandas, rogavit ut transmitterentur acta originalia huius controversiae,

Disceptatio synoptica.

Jura Archipresbyteri. Sategit prae primis demonstrare Archipresbyter Curiam metropolitanam fuisse competentem, quamvis exceptio deducta fuisset. Ait enim iuris tritissimi esse Metropolitanum agnoscere posse gravamina, quae ad ipsum deferantur a Suffraganeorum subditis, tam si iudicialiter, quam si extraiudicialiter fuerint ab Ordinariis inlata *cap. Duo de Offic. Ordin. cap. 1 de Offic. legat. C. Promittit 11 q. 1* et Bened. XIV. Bulla *Ad militantis Ecclesiae.*

Insuper neque opponere iuvat Ordinarium in themate processisse tamquam Apostolicae Sedis Delegatum, proinde que appellationem a datis decretis tantum interponi potuisse apud S. Sedem. Nam in iure receptum est per decretum Episcopi, tamquam Apostolicae Sedis delegatum, delegatione nempe *Ordinaria* et minime *speciali,* non impediri appellationem devolutivam ad Metropolitanum ceu tenent Fagnan. *lib. 3 Decret. cap. 3. num. 47.* Van Espen, *Iuris Univ. Eccl. part. 1. tit. 17. num. 3. seqq.* De Luca Adnot. ad Concil. Trid. *disc. 5.* Imo id definitum fuisse a S. Congr. refert Ricter *in adnot. ad Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7 num. 11.* – Ibi – « Proposito dubio an quando Episcopus pro-

» cedit ad aliquem actum vigore decretorum Concilii Tridentini etiam tamquam delegatus Sedis Apostolicae, quem etiam » sua ordinaria potestate facere poterat de veteri iure appellatio sit interponenda a | Metropolitanum, vel potius ad » Sedem Apostolicam? Summus Pontifex ex sententia S. Congregationis declaravit: *Non* esse hoc casu necesse ad Apostolicam Sedem appellare: Tarraconen. 1588 Zameren. 1589 » Januen. 1597. »

www.libtool.com.cn

» Item consulta S. C. an decretum c. 10 Sess. 24 sustulerit appellationem devolutivam; censuit non sustulisse » devolutivam sed suspensivam tantum; et quamvis Episcopus » id faciat tamquam Apostolicae sedis delegatus, tamen cum » iurisdictio iure suo ordinario ei etiam ante Concilium competeret non impediri appellationem devolutivam ad Metropolitanum Fagnan. *in 2. lib. Decret. cap. 3. n. 9.* Quibus » omnibus fastigium imponere, prosequutus est, recitatam » Constitutionem *Ad militantis Ecclesiae* Bened. XIV. – ibi – » Itaque a quibuscumque mandatis prohibitionibus, provisionibus et statutis tam in visitatione quam extra pro divino » cultu conservando et augendo. . . . Item a decretis seu mandatis per quae Episcopi, etiam uti Apostolicae Sedis Delegati in Ecclesiis parochialibus, etiam invitis rectoribus » procedant ad constitutionem novarum Parochiarum. . . . . » volumus, praecipimus, et mandamus quod ab Archiepiscopis, » Patriarchis etc. citationes generales vel speciales cum commissione inserta, monitoria et alia huiusmodi cum inhibitione, per quam executio decretorum mandatarorum, et » provisionum huiusmodi recensitarum retardetur, suspendatur. . . . nisi in solo devolutivo, et sine retardatione » vel praeiudicio legitimae executionis recipi et amitti possint. . . . . »

Eiusmodi appellationem non fuisse taxative a Tridentino prohibitam per verba *nec huiusmodi erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscumque provisionibus. . . . derogationibus vel suspensionibus Sess. 21. cap. 4* seu *sublato appellationis obstaculo* quemadmodum statuit *in cap. Ad Audien-*

tiam Alexander III quod S. Synodus revocat. *loc. cit.* Istiusmodi enim clausulâ, *appellatione remota, non impediri ait appellationem ad effectum devolutivum, sed suspensivum dumtaxat ut est textus in cap. Pastoralis 53 de appellationibus* et est communis opinio. *Fagnan. 3. lib. decret. cap. 3. n. 52.*

www.nbtool.com.cn

Neque iuvat dicere decretum latum fuisse tempore visitationis; quia S. C. C. teste Fagnano in *2 libro decret. cap. 3* resolvit a visitantis decreto appellationem in devolutivo concedi. « Consulta S. Congr. Concilii an in causis visitationis » et corretionis appellari possit post definitivam: respondit » posse. Et quamvis Episcopus id faciat tamquam Sedis Apo» stolicae Delegatus. »

Nihilque prodesse si dicatur quod post sex annos appellatio interposita fuerit, et proinde post fatalium spatium; nam in casu minime de appellatione sed de provocatione agitur. Appellatio autem proprie dicta iudicium supponit, quod in provocatione non requiritur, *Ferraris verb.* Appellatio art. 1. n. 6 seqq. – ibi – « Appellatio iudicialis supponit iudi» cium esse coeptum cum sit provocatio a iudice inferiore » ad superiorem. Appellatio vero extraiudiciali non supponit » iudicium inceptum, sed ipsum iudicium seu causa incipit; » tunc enim solum incipit causa, cum interponitur ipsa appel» latio extraiudicialis; et ideo magis proprie dicitur provo» catio ad causam, ut habetur in *cap.* cum sit Romana » his verbis sacri canones etiam extra iudicium passim » appellare permittunt: nec solent huiusmodi dici appel» lationes, sed provocationes ad causam. »

Hinc nullimode acquiescentia invocari potest, praesertim si attendatur « quod dismembratio probatur effectuata ex » praevisionibus secutis, et ex lapsu triginta annorum, et » requiritur quod saltem fuerit capta possessio, et non censetur » effectuata ubi constat quod Ecclesia continuet in possessione » suorum iurium et responsionum. » Rota *recent. p. 6. decis. 139 et 275 part. 4. tom. 2. decis. 456. tom. 3. part. 3. decis. 648 et 222. Ferraris voc. dismembratio n. 1, 13.*

Transiens Archipresbyter ad causae meritum autumavit dismembrationis decretum nullitate manifesta laborare tum ex defectu comprobationis causae, tum ex omissione solemnitatum. Quoad causae comprobationem recoluit Trid. *Sess. 21. cap. 4* in qua decernitur ut Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores ad hoc munus alios sibi Sacerdotes adiungere. Item in illis locis, in quibus parochiani ob locorum distantiam sive difficultatem ad Ecclesiam accedere nequeunt sine magno incomodo, Episcopi novas paroecias erigere valent iuxta formam Constitutionis Alexandri III. quae incipit *Ad Audientiam*. Attamen si prudenti arbitrio Episcoporum providere bono animarum remissum fuit, sive erigendo novas paroecias, sive per Coadiutores, nihilo minus ad dismembrationem eo ipso haud deveniendum esse sustinuit, eo quod agatur de re in iure odiosa, quippe quae alienationem sapit. Sed per Capellanum coadiutorem seu oeconomum esse providendum ad monitum per Barbosa *in cap. 10 ad Concil. Trid. n. 10*. Fagnan. *de iure. p. 6 dec. 2. n. 4*. De-Luca *adnot. ad Concil. Trid. disc. 16* de Parochis *disc. 34*. Instetit insuper a iure requiri iustam causam, quae per processus confectionem probari debet teste Fagnano in *3 lib. decret. cap. 3. n. 15* – ibi – « Ergo causa » subsistente, eaque probata, et non alias permittitur erectio; » est enim huiusmodi erectio et dismembratio a Parochia » antiqua instar alienationis iurium Ecclesiae, quae sine ca- » usa fieri non debet. » Quae causae comprobatio tantae necessitatis esse videtur, ut assertio ipsius Episcopi dismembrationem facientis super extraiudiciali informatione non sufficiat ad tradita per De Luca de *Benef. port. 1. disc. 45.* – ibi – « Exigens ultra solemnitatem copulative etiam iustam » causam necessitatis vel utilitatis, extrinsecus iustificandam » in actis, adeo ut non sufficiat assertio ipsius Episcopi dis- » membrationem facientis super extraiudiciali informatione...

Iam vero quum iusta causa tam necessitatis, quam utilitatis iustificata in actis deficiat, in facto est haud provisum fuisse per praefatam dismembrationem necessitati, vel utilitati populi.

www.libtool.com.cn

Ut autem rite ac valide peragi queat, praeter legitimum titulum seu iustam causam, iuris etiam solemnitatem copulative concurrere oportere; ideoque necesse esse audire per citationem parochum ecclesiae dismembrandae iuxta Barbosam *collect. in Concil. Trid. Sess. 7. n. 24.* Fagnan. *in lib. 3 Decret. cap. 3.* Et quamvis in iure statutum sit invito rectore Episcopum ad dismembrationem devenire posse, citationem omitti tamen nequire Ventriglia *de unione Benef. vol 2. adnot. 8. § 2. n. 18.* Quare *omissa citatione rectoris erectionem ab Ordinario factam nullius momenti existere* tradit Fagnan *in 3 lib. decret.*. Quinimo et Parochianorum vocatio fieri debet teste De Luca *de Parochis part. 3. discept. 35. n. 6.* Rota *recent. part. 13. decis. 29 et 165.* Dismembrationem in themate peractam fuisse nullo praevio processu, et spretis recensitis solemnitatibus constat ex actis. Nam neque Capitulares Collegiatae Trevici auditi fuerunt uti interesse habentes, eoquod ad eos indistincte funerum emolumenta spectant, nec exquisitum fuit consensum Capituli Cathedralis. Quod in negotio dismembrationis exquirendum esse sentiunt de Luca *discept. 45. n. 8 de benef.* Fagnan. *in lib. 3 decret. cap. 3. n. 54.* Cum igitur etiam iuris solemnitas fuerit omnino despecta, ideo dismembrationis decretum nullimode sustineri potest, ceu, praeter alios docet De Luca in *discept. 45. n. 8.* – ibi – « Tam scilicet circa » duplicem consensum Capituli, et interessatorum, quam etiam » circa iustam causam necessitatis, et evidentis utilitatis, » quae omnia copulative desiderantur, adeo ut unius defi- » cientia sufficiat ad invaliditatem actus ipso iure. »

Itaque everso dismembrationis decreto corruat necesse est paroeciae collatio; quia basi destituitur, et quia facta est nullo praevio examine contra praescriptum Constitutionis *In conferendis* S. Pii V. *et Const. Cum illud* Benedicti XIV.

Ad rem De Luca de Paroch. *lib. 12. discept. 37. n. 51.*
« In omnibus casibus, in quibus cessante forma concursus,
» de sola idoneitate, seu approbatione personae nominatae
» vel provisae agatur, adhuc examen faciendum est per
» Episcopum vel vicarium Generalem ac examinatores syno-
» dales habentes votum decisivum, neque alias Episcopus pro
» sola notitia nominatum instituere debet. »

www.libtool.com.cn

Itaque, conclusit Archipresbyter, probata competentia Curiae Archiepiscopalis in eiusmodi controversia, probata nullitate decreti dismembrationis ob defectum comprobationis causae et ob iuris solemnitatum praetermissionem, sequitur quod paroeciae collatio nulla fiat, etiam ex omissione examinis, et quod sententia Curiae Archiepiscopalis confirmanda fuerit, utpote quae maiori utilitate et bono animarum proviserit.

Iura Curiae Episcopalis. Curiae defensor ad evincendam necessitatem, et utilitatem dismembrandi paroeciam in casu autumavit eamdem distare sex vel septem milliaria a pagis huc illuc in agro Trevicano diffusis, et asperum ita esse iter ut hyemali praesertim tempore impossibilis ferme evadat ad Ecclesiam accessus. Ex quo evenit ut illa fidelium multitudo pene derelicta sit, omnes verbi Dei predicatione privi maneant, infantes sine baptismatis lavacro, atque adulti sacramentorum praesidio destituti supremum obeant diem. Haec omnia variis testimoniis fulcivit Orator: et prosequutus defensionem Ordinarii asseruit dismembrationis decretum canonicis disciplinis esse conforme, praesertim S. Concilio Tridentino. Idque demonstrare adnisus est duplici de ratione: primo quia decretum prolatum fuit ob causam a iure probatam, secundo quia observatae fuerunt formae a iure praescriptae. Et quoad causam meminit certum in iure esse Episcopos ad paroeciae dismembrationem devenire posse etiam invitis rectoribus. et sublato appellationis obstaculo ob locorum distantia et viarum asperitatem ad tradita per *cap. 3. de Eccles. aedif.* Trid. Synodus *Sess. 21. cap. 4 de reform.* Ferraris *v. dismembratio n. 14.* Lotter. *de re benef. lib. 1. cap. 28. n. 2. et*

seqq. Barbosa *part. 3. all. 68.* Atqui ex adductis attestationibus constat controversum decretum fuisse editum ob distantiam locorum a paroeciali ecclesia ad septem usque milliaria, nec non ob difficultatem viarum fluminibus ac torrentibus interseptarum. Ergo ait, prolatum fuit ob causam a iure probatam, proindeque fuisse conforme canonicis disciplinis, atque insuper, quod maioris roboris est, ob bonum animarum prolatum fuit, nempe ad opportuna remedia christianae plebi praestanda

His praeterea addenda est praxis S. C. Congregationis quae consuevit commendare et confirmare dismembrationes et paroeciarum erectiones; ut videre est in *Aquitanen. 17 Martii 1827 Fulginaten. anni 1729* non obstante oblatione facta providendi per Capellanos coadiutores ceu testantur resolutiones editae in *Comen. 5 Decembris 1750.* Nolana *3 Februarii 1758* ea potissimum ratione, quia *plenius satisfit* magno incommodo per erectionem novae Parochiae, quam per Capellam; eaque in casu magni incommodi mens esse videtur Concilii Tridentini Van Espen *Iur. Eccl. univ. p. 2. tit. 6. cap. 2.* § *24.*

Ad exitum suae defensionis orator vergens, ait: ex dictis in propatulo est causas legitimas ad dismembrationem adfuisse; quod autem omnes iuris solemnitates servatae fuerint, de plano evinci potest. Consensum parochianorum non defuisse constat cum iidem Paroeciani erectionem enixis precibus efflagitaverint. Nec veteris Paroeciae Archipresbyteri consensum defuisse arguit primo ex eo quod viva voce et in scriptis admonitus ante dismembrationis decretum, nullam opposuit difficultatem in contrarium; secundo ex eo quod iurisdictio et territorium novae paroeciae religiose fuit observatum et novus Parochus quiete ea omnia gessit, quae sui muneris erant. Praeterea et Capitulum Trevicanum assentitum esse quia Episcopus asseruit dismembrationem peractam fuisse praevio assensu quondam Archipresbyteri nec non Archidiaconi, qui Capituli prima dignitas est.

Praeterea adiunxit, ad tramites SS. Canonum territorium

distinctum designatum fuisse; congruam pro novo parocho, nec non canonem unius librae cerae quotannis in subientionis signum ecclesiae matrici solvendum, quatenus Archipresbyter dismembratae Paroeciae ducata quinquaginta novo Parocho quotannis solvisset. Quod si, addebat Episcopus, Archipresbyter, aequiescente Capitulo, et annuente Episcopo, dictam summam solvere renuisset, titulo matricitatis renuntiasse censendus est, dictamque novam paroeciam tamquam ex se constitutam habendam ad tramites decreti dismembrationis. Nunc autem fideles suppeditant congruam sufficientem et novus parochus nil amplius exoptat. Igitur quum paroecia dismembrata sit praevia causâ canonicâ, quumque omnes iuris solemnitates fuerint religiose servatae, decretum dismembrationis uti canonicis disciplinis conforme sustinendum esse conclusit.

www.libtool.com.cn

Relate ad sententiam Curiae Archiepiscopalis edixit, eam nullitate laborare multiplici ex capite. Et primum quia tribunal Metropolitanum incompetens erat, cum decretum latum fuisset ab Episcopo, tamquam sedis Apostolicae delegato; proindeque appellandum erat ad Summum Pontificem iuxta *cap. Super* § *Porro de off. et potest. iudic. deleg. cap. 3. in VI eod. tit.* Quod autem praefatum dismembrationis decretum ab Episcopo editum fuerit ut Apostolicae sedis Delegato incontroversum esse dicit; initio enim ipsius decreti legitur, *in hoc actu Apostolicae Sedis Delegatus;* quam delegationem iterum atque iterum demonstrare studet per alia verba quae in decreto habentur in *decursu sanctae visitationis ad....* tramites.... *praesertim S. Concilii Tridentini cap. IV. Sess. 21.* Quem casum addit, minime comprehendit Benedictina Constitutio *Ad militantis Ecclesiae,* quae appellationem contra Delegatum Apostolicum ad delegantem tantum remittit. Imo subdit, quod si parumper concedi velit incertam esse potestatem, qua decretum editum fuit, ordinaria idest an delegata, pro delegata esse concludendum teste Antonelli *de reg. eccl. Episcop. lib. 5. cap. 12. n. 2.* Barbos. *de offic. et potest. Episcopi p. 3. alleg. 92. n. 11 et seq.*

Alterum nullitatis caput eruit Orator ex carentia actionis in actore Parocho. Nam eius in Paroecia antecessor assentitus erat erectioni novae paroeciae, nullumque impedimentum exhibuerat, ut decretum suum non sortiretur effectum. Archipresbyter ipse possessionem adeptus fuit sine ulla exceptione et protestatione; et quum iam dismembratio effectuata esset nullam habebat actionem ad insurgendum contra illam. Dismembrationem autem effectuatam fuisse probavit, tum quia non trium annorum spatium praeterlapsum erat ex Rota *part.6. decis. 275. num. 24 recent.* sed sex; tum quia sequuta fuit possessio solemnis novae Paroeciae Rota *part. 4. decis. 447. num. 27.*

Ultimum nullitatis sententiae caput ex eo deducit orator quod Archiepiscopalis Curia nunquam fecerit quaestionem de Summa rei, sed loquuta est tantum de solemnitatibus, posthabens necessitatem et utilitatem erigendae novae paroeciae dum ex praxi S. C. Concilii prae primis quaestio institui soleat super intrinseca dismembrationis causa, non autem super ritu aut solemnitate sive actorum confectione.

Quoad parochum sine examine constitutum detulit testimonium Episcopi C. asserentis quod eiusdem presbyteri idoneitas probata fuit ab aliis Episcopis, et ex facto; nam Sacerdos ille Vicariam per sex annos laudabiliter impleverat, maximis se subiiciens privationibus laboribusque ut Curae oneribus satisfaceret. Alii insuper defuerunt concurrentes, ait Episcopus; ex quo opus fuit ut solemnitates omitterrentur iuxta facultates a Tridentino *Sess. 24. cap. 18 de refor.* concessas – *ibi* – « *Si tamen adeo exigui redditus dictae parochiales fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit qui se examini quaerat subiicere ..... poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, caeteris tamen ut supra, servatis, adhibere.* »

Haec ab utraque parte adductae fuerunt rationum momenta: deinde EE. CC. iudicio remissum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo sententia Curiae metropolitanae C. sit confirmanda vel infirmanda in casu.

www.dotoot.com.ch

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii causam die praedicta, temporis carentiâ, non discussit; quod tamen peregit sub die 27 Ianuarii 1877, et respondere dignata est:

Sententiam Curiae Metropolitanae C. esse infirmandam facta verbo cum SSmo.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Resolutio eiusmodi haud arrisit Archipresbytero, et ideo novae auditionis beneficium quaesivit obtinuitque. Bifariam Archipresbyter suam allegationem dispertitus est, ut dismembrationis decretum profligaret. Curavit in prima parte evincere causarum inexistentiam, in altera parte loquutus est de omissione solemnitatum. Et conclusit: quum igitur neque graves causae adfuerint ad dismembrationem faciendam, neque necessariae solemnitates adhibitae fuerint, ideo dismembrationis decretum nullum evadit.

His noviter deductis propositum fuit,

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu

RESOLUTIO

Sacra Concilii Congr. iterum, causâ disceptatâ, sub die 19 Maii 1877 respondit:

In decisis et amplius

EX INDE COLLIGES.

I. Antiquâ iurisprudentiâ retentum esse quod paroeciae dismembratio haberetur ceu remedium extremum quo necessitati fidelium prospici posset, cum id fieri nequiverit neque per coadiutores neque per parochi vicarium.

II. A quo iuris rigore S. C. Congregationem temperamentum paullatim accepisse colligi potest ex variis eius nuperrimis resolutionibus; ex quibus elucet quod evidens Ecclesiae necessitas mitius iudicata fuerit, ita ut non confunderetur cum absoluta necessitate, idque magis consonum esse Tridentino.

www.libtool.com.cn

III. Hinc recentiori praxi factum esse ut facilius dismembratio alicuius ecclesiae concedatur, quoties satis pateat utilitas in bonum fidelium et reditus sufficientes adsint, quibus novo parocho et novae Ecclesiae prospici possit.

IV. Proindeque non adeo facile a S. Sede improbari dismembrationem, quoties ab ordinariis locorum peracta fuerit, ob aliquem causarum vel solemnitatum defectum.

V. Ex canonibus erui aliquam Ordinariis iurisdictionem concedi per illa verba in pluribus Concilii Tridentini decretis adhibita, *auctoritate apostolica*, *seu tamquam Sedis Apostolicae delegatus* et hanc iurisdictionem esse delegatam.

VI. Itaque si reperiatur adiecta particula etiam ceu quum dictum fuerit *etiam tamquam sedis Apostolicae delegati vel etiam auctoritate nostra*, tunc censendum esse duplicem habere Episcopum auctoritatem, ordinariam nempe et delegatam; idque erui ex natura dictionis *etiam*, quae unum casum exprimit et alium includit.

VII. Posse Episcopos iuxta veriorem sententiam utraque potestate procedere, delegata nempe et ordinariâ. vel alterutram eligere; neque declarare coguntur qua potestate procedere velint aliquo in adiuncto.

IURIS SUFFRAGANDI

Die 19 Maii 1877.

www.libtool.com.cn

COMPENDIUM FACTI. Canonicus B. Metropolitanae Ecclesiae N. sacrae Concilii Congregationi exposuit: « Ad sensum » Sacrorum Canonum, et Apostolicarum Constitutionum Ar» chiepiscopus Capitulo suo Metropolitano, ad obtinendum » consensum quotannis proponit iudices et examinatores pro» synodales, inter quos plerumque aliqui e Canonicis eius» dem Capituli adnumerantur. Quaeritur ergo 1. An in Co» mitiis capitularibus ius voti habeat Canonicus, qui ab » Episcopo proponitur ad officium iudicis et examinatoris sy» nodalis?

2. » Si hoc ius voti pro se, ut videtur, exercere haud » valeat, poterit ne saltem exercere illud erga alios? »

Voto et informationi a S. Congregatione requisitis responsum fuit: Constitutiones capitulares nil in propositum decernere, sed omnino de hac re silere; ex constanti vero praxi canonicos proprium ferre votum tum pro seipsis, quando aliquis comprehenditur in numero propositorum, tum pro aliis.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE FACIUNT FAVORE COLLATIONIS SUFFRAGII. Absonum haud est praemittere nonnullas observationes priusquam directe quaestio aggrediatur. Hinc memoria repetendum Concil. Trid. *Sess. 24. cap. 17. de ref.* constituisse « *Examinatores autem singulis annis in Dioecesana Synodo ab Episcopo vel eius Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant et ab ea probentur.* » Praeterea idem Concil. *Sess. 25.*

cap. 10 de ref. statuit. « *In singulis Conciliis Dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant iuxta Constitutionem Bonifacii VIII, quae incipit statutum et alioquin ad id aptas designari, ut praeter Ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales, et ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandae committantur.* »

www.libtool.com.cn

Quapropter ut quisquis videt a Tridentino imponitur ut ad minus sex Examinatores eligantur quotannis in Synodo Dioecesana; et in singulis Conciliis provincialibus, aut dioecesanis eligantur Iudices Synodales, seu personae qualitates habentes iuxta Constitutionem Bonifacii VIII, quae incipit *Statutum,* quibus causae ecclesiasticae spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes iudicandae committantur. Designari vero debent ex istis saltem quatuor aut plures si amplitudo Dioecesis id exigat iuxta Benedicti XIV Constitutionem *Quamvis*. Et isti Examinatores, et Iudices sic electi perdurare deberent usque ad novam Synodum. Verumtamen S. Concilii Cong. probe novit non facile esse Episcopis singulis prorsus annis Synodum celebrare; hinc providit ne legitimis carerent Examinatoribus pro concursibus ad Paraecias. Etenim statim ac Episcopus aliquis eidem exponit ex electis in ultima Synodo sex non extare, facultatem concedit eligendi novos a maiori parte capituli adprobandos, quorum tamen munus duraturum decernet tantum ad annum, et iterum ad preces Episcopi illos in munere S. Congregatio ad annum confirmat. Et Examinatores et iudices ita electi pro-synodales appellantur. Quod si Capitulum eos utut idoneos adprobare recusaverit, licet Pignatelli et P. Andreuccius existiment habendos esse pro adprobatis: tutius tamen erit ad evitandas innumeras lites et controversias oriri solitas in similibus casibus, ut Episcopus a S. Congregatione petat supplementum consensus sine iusta causa a Capitulo denegati. S. C. *in thesauro Resol. tom. IX. pag. 219.* n. *10. Ferraris V. Examinatores n. 65 et seqq. et V. Iudex n. 66 et seqq.*

His praemissis ad quaestionis difficultatem properandum

est. Et primo ambigi nequit ius commune canonicis favere; nam in iure receptum est provisos de Canonicatibus, statim ac possessionem assequuti fuerint, habere intentionem in iure fundatam suffragium ferendi tum in electionibus et adprobationibus, tum in omnibus actis capitularibus ad tradita per textum in *cap. In Generi de elect. vers. nec praemissi*, *et in cap. pro illorum in fine de Praeb. Lotter. de re benef, lib. 1. q. 15. n. 25. Barbos. de Canon. cap. 37. n. 1.* Idemque docuit S. C. Concil. in *Pisana electionis 29 Septembris 1318* §. *Porro.*

Eiusmodi ius limitari nequit vetando canonico quominus suffragium ferat quando ipse ab Episcopo praesentatus in scrutinium venit; quia nulla adest lex sive generalis sive specialis quae hoc neget. Et in iure ipso receptum est, in re prohibitiva illud esse permittendum quod expresse a lege non vetatur; ita *in leg. Nec non* §. *quodvis ff.* Ex quibus causis *maior. Gloss. in cap. Ex literis de Iurepatr. et in cap. inter corporalia de translat.* Neque Canonicus acceptus esse videtur a Capituli comitiis ex aliqua suspicione quae ingeri posset; quod nempe in ferendo suo suffragio moveri potius queat ex suipsius affectione quam ex iustitia. Primo quia ex textu rite perpenso, *in cap. Cum in iure de elect.* eruitur quod Canonicus qui se videat ab aliis nominari et praesentari, potest tali electioni consentire suffragium in sui favorem ferendo; hac enim de re dici consuevit, quod persona electa augeat numerum eligentium *gloss. ad cit. cap. V.* Secundo quia non agitur in themate nec de vera electione, nec de praesentatione ad beneficium, sed de simplici deputatione ad officium. Quo in casu suffragium ferre posse tradit S. C. Concilii in causa *Matheraten. et Acherutina* quam refert de Luca *disc. 26 de Canonicis* declarans validam electionem Vicarii Capitularis in persona electi, qui ex 32 votantibus 17 retulerat, computato proprio voto. Idem Auctor *loc. cit. n. 10.* sic se habet: « Quo vero ad secundum punctum procedebatur pariter cum » equivoco magis claro, adhibendo terminos textus *in cap.* » *Avaritiae de praeb. in sexto.* Licet enim reiecta opinione

» Gemin. et Lambertin. receptum sit, sequendo opinionem
» Archidiaconi et Franchi ac aliorum ut dictae decretalis di-
» spositio procedat nedum in Praelaturis sed etiam in infe-
» rioribus beneficiis iuxta *decis. 6 Crescent. de iurepatr.*
» *Martica 161. n. 3. decis. 184. num. 2. p. 10 recent. cum*
» *aliis per Lotter. lib. 1. q. 13.* attamen id procedit quando
» agitur de actu qui exigat ad eius perfectionem auctoritatem
» Superioris, ut est in casu electionis, quae indiget confirma-
» tione iuxta ea quae habentur infra in *Monasterien. Coa-*
» *diutoriae disc. seq.* Vel ubi agitur de praesentatione seu
» nominatione ad Beneficium, unde necessaria sit institutio
» seu provisio Superioris et in his terminis loquuntur omnes
» auctoritates quas desuper habemus. Secus autem in hac su-
» biecta materia in qua non agitur nec de vera electione,
» nec de praesentatione, sed agitur de simplici deputatione
» sonante in mandatum..... »

Itaque quum in themate agatur non de praeiudicio *tertio* inferendo, nec de privato interesse, quo quis moveri possit ad suum suffragium ferendum, sed de gratuito munere ad quod deputantur nonnulli ex Canonicis, quibus Capitulum praestare consensum debeat, ut ad id muneris eligatur, quod quidem nullum interesse importat, sed bonum Ecclesiae tantum; ideo nulla ratio praesto est denegandi votum Canonico tum pro se quatenus ab Episcopo praesentetur ad hoc munus, tum pro aliis.

His omnibus observantia accedit, qua fertur omnes Canonicos, praxi constanti, consuevisse ferre votum pro se et pro aliis cum unus eorumdem proponeretur; neque eiusmodi observantia improbanda videtur quia nulli expresso iuri adversatur.

EA QUAE FACIUNT ADVERSUS SUFFRAGII COLLATIONEM. Attamen admisso etiam quod ius illud ferendi suffragium proprium sit *Canoniae* et promanet ex intentione in iure fundata, fas quidem est, ob aliquam suspicionem a iure non improbatam, ius illud circumscribere intra certos limites, ita ut quibusdam in casibus etiam voce capitulari frui nequeant Canonici: *Piton. disc. eccles. 1. 37. n. 30.*

Nec sane obstat quempiam esse totius Capituli membrum, et in quibusdam casibus haud frui capitulari voce Garcias *de Benef. p. 3. cap. 2. n. 372;* nec secus tradidit Scarfantonius in *lib. 4. tit. 4. n. 23.* « Canonici de quorum speciali inte-
» resse in Capitulo est agendum, proposito negotio debent se
» a loco capitulari retrahere, donec res fuerit discussa; ita
» fuit decretum a S. C. Concilii teste Gavanto. »

www.libtool.com.cn

Theoria eiusmodi haud destituitur iuridicâ ratione; nam praeter adagium *nemo iudex in causa propria* et aliud praesto est *in rem suam authorem tutorem fieri non posse l. 1. ff. de auctorit. et consens. tutor;* quod solemne fuit penes Romanos ut patet ex pluribus legibus *l. praeter ff. de tutor et curat datis, l. Fistulas* §. *1. ff. de contempt.* Neque Ss. Canones sese iuri caesareo opponunt; quinimo idem concinunt in *cap. Didicimus caus. 24. q. 1. cap. In scripturis causa 9. q. 1. cap. Cum ad nostram De instit.* ubi legitur quod is ad quem spectat collatio dignitatum seipsum instituere non potest; debet enim distinctio esse inter dantem et recipientem, et in *cap. Per nostras de iurepatr.* patronus licet clericus nequit se praesentare ad Ecclesiam vacantem, monet enim *gloss. ad cap. Cum in iure de electione* quod nemo debet oriri a seipso. Idque optimo iure; cum in sacris muneribus obeundis quaecumque ambitio, quaecumque affectio sui prorsus exulare debeat utpote a iure abhorrens. Porro Canonicus proprio voto in scrutinio aliorum qui fuerunt ab Episcopo praesentati concurrens comparationem inter se et alios instituit, et iudicium efformat in causa propria contra iuris dispositionem firmatam in *lege 10 ff. de iurisd omn. iud.* Praeterea Canonicus alios suo voto excludendo sibi ipsi votum augeret nec non suipsius electionem certam redderet, aliorum dubiam, ansamque praeberet fovendae ambitioni. Huic praxi inhaerens S. C. C. die 11 Decembris 1875 in Ariminen. (1) ad dubium: « *An Canonicus ad vacantem praebendam a Sociis praesentatus dum se abstinet a dando suffragio quando votatio ipsum respicit, teneatur etiam abstinere a ferendo*

(1) Invenies eiusmodi causam Volum. IX pag. 188

suffragio toties quoties alii concurrentes votationi subiiciuntur in casu » respondit : « *affirmative.* » Quapropter eiusmodi consuetudo improbanda videtur ceu contraria iuris utriusque principiis, et rationi.

www.libool.com.cn

Praenotatis hisce aliisque sequentia proposita fuere enodanda.

Dubia

I. *An in comitiis Capitularibus ius suffragandi habeat canonicus, qui ab Archiepiscopo proponitur ad officium iudicis et Examinatoris synodalis in casu.*

Et quatenus negative pro se.

II. *An huiusmodi ius exercere valeat pro aliis in casu.*

Resolutio.

Sacra C. Concilii, causâ discussâ, sub die 19 Maii 1877, respondere censuit :

Ad primum Negative. Ad secundum Affirmative.

Ex inde colliges.

I. Extare iuris principium quo innuitur in re prohibitiva illud esse permittendum quod expresse a lege non vietatur.

II. Canonicos ex iure ita pollere facultate ferendi suffragia ut ex *cap. Cum in iure de elect.* etiam liceat Canonico qui se videat ab aliis nominari et praesentari consentire tali electioni suffragium in sui favorem ferendo.

III. Neque id peragendo censendum esse ambitioni indulgere; quia ipse haud vocat vel nominat seipsum ; sed prospiciens sese ab aliis proponi et eligi in publico scrutinio licet eidem aliorum votis adiicere et proprium suffragium, citra ambitionis vitium.

IV. Verum eiusmodi facultatem generaliter ferendi suffragia aliquando in aliquo canonico circumscribi ob aliquam suspicionem a iure non improbatam , ut puta si in Capitulo

ageretur de aliquo eiusdem canonici negotio, ne praeiudicium *tertio* inferatur, atque ne ille iudex fiat in causa propria.

V. Quapropter in themate haud permitti cuilibet canonico ferre suffragium, quando agitur de electione suipsius ad officium Examinatoris vel iudicis synodalis per vota secreta; quia cum scire nequeat an alii capitulares in eum concurrant, id non esset consentire aliorum electioni, sed seipsum ambitiose eligere.

VI. Ideo S. C. Congregationem videri noluisse canonicos exuere iure ferendi suffragia quando fit electio aliorum capitularium ad officium Iudicis vel Examinatoris Synodalis, quia agitur de munere gratuito, minime vero de beneficio conferendo; in quo verendum sit praeiudicium *tertii* per votum electoris inferendum.

IRREGULARITATIS.

Die 30 Iunii 1877.

Compendium facti. Aloysius L. dioecesis A. sacerdos, ex fortuita igneae balistae explosione, integrum manus sinistrae digitum pollicem amisit. Hinc enixis precibus Sanctissimum rogavit, ut super irregularitate, hac de causa exorta, benigne cum ipso dispensare dignaretur.

Requisitus Episcopus A. ut, praevio experimento coram caerimoniarum magistro, referret, an orator sine deformitate omnes sacrosancti Sacrificii actiones explere valeat, ita respondit:

« Sacerdotem eiusmodi, etsi manus sinistrae digito careat » pollice, implere posse actiones omnes, quae SSmum attingunt Missae Sacrificium, absque deformitate, et populi » admiratione. Idque, ceu iussum fuerat per Sac. Concilii » Congregationem, collectum fuisse sollerti Magistri caere-

» moniarum experimento. Quapropter censerem, prosequebatur Episcopus, petitam gratiam Oratori esse indulgendam, » ut Missarum ille stipendiis adiutus propriam, ex parte, » sublevet paupertatem. »

www.liturgia.com.ch

Disceptatio Synoptica.

De irregularitatis existentia nullum dubium esse videtur. Etenim, ut notum est, corpore vitiati quorum vitium in Sacrificio litando vel dedecus induceret, vel observantiam caeremoniarum sacrarum impediret, vel scandalum aut saltem admirationem populi causaret, ex iure ecclesiastico arcentur a Sacrificio litando atque ideo irregulares dicuntur. Ita in *can. Illiteratos dist. 36* et in cap. *Presbyterum de Cleric. aegrotante* in quo Sacerdoti non permittitur Missam celebrare, quia nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo, propter deformitatem membri hoc fieri potest. Idem statuitur in *titul.* Decretalium *de corpor. vitiat. ordin. vel non.* Hac de re merito S. Congr. irregularem dixit Sacerdotem, cui digitus pollex manus dexterae abscissus fuerat in *Novomien. 11. Sept. 1726;* et pariter irregularem dixit alium sacerdotem pollice in sinistra manu carentem in *Carduc. 14 Ianuarii 1663 Lib. Decret. 28 pag. 3.*

Veruntamen cum ratio principalis, ob quam aliquis ex vitio corporis irregularis dicitur ad Sacrificium litandum est vel irreverentia, vel irreverentiae periculum manifestum: hinc si abesse dicatur periculum huiusmodi irreverentiae vel admirationis, tunc facilius super irregularitate dispensari solet, praesertim si agatur de iam ad Ordines promoto et non promovendo. Idque ea potissimum de causa, ne qui iam sacerdos est perpetuo, ob superventum infortunium, a sacrosancto Missae sacrificio celebrando abstinere cogatur. Afferam prae ceteris simillima exempla. In recit. *Carducen.* favore Presbyteri Bartholomaei Murat, cui manus sinistrae pollex amputatus remanserat, S. Congregatio censuit . . . « si defectus expressus nec scandalum in populo generaret nec divinis impedimentum praestaret . . . dispensari posse; » in *Apuana 18 Maii 1824*

in qua sacerdos, qui ex ignaee balistae disruptione, pollicem et indicem amiserat, dispensationem obtinuit; in *Matinen. 24 Maii 1734* indulta fuit dispensatio sacerdoti tribus digitis, pollice, indice et medio carenti; in *Sabarien. 6 Iunii 1863* largita fuit dispensatio sacerdoti, qui infelici casu pollice pariter et indice sinistrae manus orbatus fuerat. Concinunt in durioribus casibus prae ceteris *Aesina 29 Novembris 1864, Litomericen. 17 Decembris eiusdem anni, Pisturien. 28 Ianuarii 1865 Zamoren. Dispensationis ab Irregularitate die 24 Augusti 1572.*

Iamvero in praesenti casu agitur de promoto, qui tum ex Episcopi informatione tum ex magistri caeremoniarum attestatione implere valet, absque ulla deformitate, functiones sacrosancti Missae Sacrificii. Hinc omnia suadere videntur ut eidem sacerdoti dispensatio concedi possit. Fortius si prae oculis habeatur oratoris paupertas de qua Reverendissimus Episcopus testatur dispensationem indulgendam eo consilio ut huius pauperis Ecclesiastici indigentiae consulatur. Quam ob causam, ne afflicto adderetur afflictio Sacr. Congregatio maiori benignitate providere consuevit; ita in recitata *Apuana* sacerdos dispensationem obtinuit, quamvis Episcopus nullum de speciali Ecclesiae necessitate, sed solummodo de paupertate Oratoris testimonium dedisset, et ob eamdem rationem, etsi in graviori infortunio versaretur gratiam obtinuit sacerdos Caietanus Falbo in *Geruntina 26 Aprilis 1788.*

Hisce breviter espositis videant EE. VV. utrum preces Sacerdotis in themate benigno sint excipiendae favore.

RESOLUTIO.

Sacra Congr. Concilii causam sub die 30 Iunii 1877 discussit, atque responsum dedit:

Pro gratia, facto verbo cum SSmo.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

ABELLINEN.

SUPER INVENTIONEM CORPORUM NONNULLORUM MARTYRUM IN ECCLESIA COLLEGIATA LOCI VULGO ATRIPALDA NUNCUP.

Compendium facti. In inferiori Basilica praecipui Templi Atripaldae oppidi Dioecesis Abellini plura condi martyrum corpora in Diocletiani persecutione caesorum, tum antiquissima traditio, cum inscriptiones et monumenta testabantur. Anno 1629 et sequentibus usque ad annum 1634 partim ex iis corporibus effossa fuerunt, rite recognita, supplicatione solemni delata, et sub altari in urnis recondita publicae venerationi exposita; partim vero licet vix detecta, non tamen tacta fuerunt, nec effossa: quae omnia fuse referunt Bollandistae.

Anno 1856 cum praedicto Altari reficiendo cives Atripaldenses operam darent, Martyrum sepulcra detecta fuerunt, ideoque Episcopus ab opere cessarent edixit, S. C. Indulgentiarum consilium exquisiturus. Quapropter Capitulum et Canonici huic S. Congregationi supplicem libellum porrexerunt opportunas pro Episcopo facultates postulantes. Remissis precibus ad Episcopum per litteras eiusdem S. C. idem rescripsit testans de veritate expositorum, et multa addidit tum quoad reliquias iam olim inventas et sub altari reconditas, tum quoad novas inveniendas, de quarum existentia minime dubitari asserebat; atque ad id opportunas sibi dari facultates deprecabatur. Sacra haec Congregatio mandavit R. P. D. Antonio Frattini bo: me: tunc fidei promotori ut accuratam, perlucidamque instructionem concinnaret praefato Episcopo transmittendam; quae reapse ad unguem redacta

eidem transmissa fuit cum litteris S. Congregationis, ut normam haberet Episcopus, cui se omnino conformaret in effodiendis loculis et in conficiendo processu, iuxta praescriptiones S. Concilii Trid. *Sess. 25. cap. De invocatione, veneratione, et reliquiis sanctorum, et sacris imaginibus.*

www.libtool.com.cn

Ad tramites igitur huius mandati Episcopus omnia rite confecit, et satis accuratam relationem ad S. Congregationem transmisit, in qua novorum septem corporum inventionem, et effossionem clare ac distincte enarrabat, et in fine expostulabat ut retectis urnis in quibus condebantur duodecim corpora sanctorum Martyrum, iam inventa die 1 Maii 1634 et legitime publico cultui exposita, liceret iisdem addere septem alia corpora a se nunc effossa; ut singulis assignatis nominibus fieri posset officium SS. Reliquiarum die 12 Maii, qui dies sub nomine Translationis eorumdem SS. Corporum in posterum sacraretur.

Verum praefatus Consultor Rmus Frattini, cui remissa fuit Episcopi relatio licet in suo voto maxima habendas esse censuerit rationes ab eodem Episcopo allatas ex circumstantiis et adiunctis inventionis desumptas, tamen non esse tanti ponderis contendit ut de veritate SS. Reliquiarum certum iudicium a S. Sede Apostolica tuto posset proferri, ideoque anceps haesit, ac proposuit acta processualia esse custodienda et nihil interea innovandum donec vel ex historia vel alibi luculentiora documenta suppeditarentur. Liceat vero animadvertere ex praefati Consultoris sententia tacite infirmari nedum recentem, sed etiam pristinam SS. Martyrum inventionem, cum eius coniecturae contra hanc non minus quam contra illam pugnare videantur.

Cum nemo instaret apud sacram Congregationem res tacuit ab anno 1860; cum nuper novae preces ab Episcopo delatae sunt pro rei definitione. Omnia igitur rursus ad trutinam revocanda suscepit ex mandato S. Congregationis R. P. D. Bartolini Consultor, atque his potentissimis adductus rationibus, a sententia prioris Consultoris recedendum existimavit; quas in suo voto exposuit. Corpora enim vere Martyrum esse

contendit tum ex traditione, quam scripta monumenta et pristina aliorum corporum inventio confirmant, tum ex singulis praesentis inventionis circumstantiis, quae et per se martyrii veritatem praeseferant, et passim in aliis Martyrum sepulchris deprehensae monstrantur.

www.ibtool.com.cn

Ne autem Bollandistinorum auctoritas desideretur, quae carptim tum in voto tum in Episcopi relatione citatur; ea capita per integrum referre, quae ad rem faciunt visum est.

Disceptatio synoptica.

Priusquam S. Congregatio suam proferret sententiam super quaestione de authenticitate SS. Reliquiarum de quibus in themate, opportune visum est exquirere a clarissimo viro Ioanne Baptista de Rossi in Christiana Archeologia peritissimo utrum aliquid praeterea sibi suppeteret, minus historice notum, et adhuc ineditum circa martyrum Atripaldesium reliquias. Ille pro sua humanitate et doctrina respondens ait: Atripaldensium traditio autumat multa martyrum corpora condi sub Altari S. Hypolisti in cripta Ecclesiae Collegiatae. Verum Sancti istius acta de eo solummodo loquuntur, minime vero de sociis eius martyrii. Dum ex adverso acta eiusmodi publicant Bollandistae sub die 1 Maii vaticanum citant codicem, in quo, descriptâ S. Hypolisti sepulturâ, legitur: « *Sed et aliorum sanctorum ex utroque latere composuerunt sarcophaga.* »

Quamvis vero historica documenta desint ad illustrandam Atripaldensium traditionem quoad s. Hypolisti socios (socios saltem sepulturae) praesto tamen sunt inscriptiones commemorativae, quae factum evincunt.

Epitaphium ineditum neophyti Nonii qui mortuus est anno Christi 357 sub consulatu IX Constantii Augusti et II Iuliani Caesaris, indubie nos edocet quod in primo pacis periodo iam caemeterium christianum exstabat, ubi nunc Ecclesia Atripaldae erigitur, penes martyrum cryptam, et quod christifideles inibi sepulti dicerentur *Sociati Sanctis*. Quae for-

nula *sociatus sanctis* saeculo IV solemnis erat ad innuendam sepulturam alicui concessam prope martyrum sepulturas. Ideo in quatuor inscriptionibus locorum diversorum legere est: *sanctis quae sociata iacet - qui meruit sanctorum sociari sepulchris - quiescenti in pace martyribus sociatae - sociam SS. martyribus* - Insuper S. Maximus Taurinensis scripsit: *a maioribus provisum est ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus.*

www.hbtool.com.cn

Et hunc praedicti epitaphii esse sensum, confirmatur ex elogio in marmore impresso ad sepulchrum S. diaconi Romuli positum prope Altare S. Hypolisti. In hoc enim elogio locus, apud quem S. levita Romulus et eius Episc. S. Sabinus depositi fuerunt vocatur « *Specus Martyrum* » Bollandistae assignant aetatem horum sanctorum saeculo V ad finem properanti, vel saeculo VI. Et inscriptionum sepulchralium stilus utriusque, congruit tempori mortis eorumdem.

Ex monumentis adductis ideo patet Atripaldensium traditionem, quoad martyres cum S. Hypolisto sepultos in cripta Ecclesiae Collegiatae, antiquam esse et fide dignam. Quoniam in clarissima inscriptione saeculi V aut VI crypta illa denominatur numero plurali *specus martyrum;* et Nonius neofitus defunctus et apud eamdem reconditus anno 357 dicitur *sociatus sanctis*. Quoad numerum horum martyrum retulit Consultor nil posse affirmare, ut distingui possint ab aliis christifidelibus, qui sepulturae privilegium obtinuerunt una cum *sanctis martyribus;* neque scire fassus est quibusnam documentis conservatum fuerit in Ecclesia Atripaldensium nomen S. Crescentii. Forsan, ait Consultor, nomen et martyrum sine nominibus acervus in antiquis Kalendariis et libris liturgicis notabantur.

In Congregatione habita sub die 8 Maii 1874 placuit etiam EE. CC. respondere: « *Coadiuventur probationes et ad mentem; mens est: scribatur Episcopo ut accuratiora documenta exquirat, deputet viros in sacra Archeologia peritos ad inspicienda martyrum sepulcra, kalendaria et libros liturgicos vetustiores in dioecesi investiget.* » *Ad 2 dilata. ad 3 dilata.*

Cum s. Congregationis mens innotuisset Episcopo Abellinensi, hic sub die 18 Aprilis 1875 elucubrationem transmisit, ad hoc concinnatam a Praesbytero Ianuario Aspreno Galante, cuius, de more, aliquid hic referimus. Praemonuit Consultor sibi videri maximum in themate habere pondus descriptionem a quodam Episcopo Rogerio peractam saeculo XIII quoad *specus martyrum*. Nam Rogerius iste loci illius Ordinarius erat descripsitque *specum* modo, quo eumdem prae oculis habebat; idque peragebat medio saeculo XIII; tempore nempe, quo nondum neque inventio neque Reliquiarum recognitio facta fuerat. Proindeque ad e incendum corpora nunc inventa esse nedum martyrum corpora, sed esse eorumdem martyrum abellinensium, sufficiat oportet descriptio eiusdem Episcopi Rogerii; qui quum *Specum martyrum* descripsisset, numerum et nomina eorumdem martyrum historiae tradidit, ceu ipse in pariete legebat; quaequae sunt: « S. Hypolistus » presbyter, S. Quintianus ac Ireneus et Crescentius eius filii, » S. Iustinus, qui fuit vir patritius ac nobilis, S. Proculus ex » senatorum descendentia natus, sanctae Maximilla et Lucretia Viduae filiae Maximiani olim Senatoris, S. Anastasius » homo patritius et Civitatis gubernator, SS. Firmius, Fabius » et Eustachius socii qui viri civiles fuerunt, S. Secundinus » filius cuiusdam Ducis militiae, S. Eusebius qui fuit maxime » pius et mitis animi, S. Firmianus ex nobili Senatorum stirpe, S. Ignatius vir nobilis, S. Proculus vir civilis, qui membratim fuit abscissus, S. Eulogius magnificus in Sanctitate, » et Christianae Religionis zelo, cuius caput iacet supra pectus, S. Querulus et alius S. Fabrius, qui diversis temporibus, variis sub senatoribus sanguinem fuderunt. Multa alia » sanctorum Martyrum corpora in eadem crypta quiescunt, » quorum nomina in vita S. Sabini et Alexandri Episcoporum expressimus. »

Ex qua descriptione facile colligi potest, ait Consultor, testimonium ad quaestionem enodandam. Etenim martyres Atripaldae conditi in celebri *specu martyrum* et a Rogerio numerati et suis nominibus appellati iidem sunt qui postea

www.libtool.com.cn

reperiebantur; tredecim nempe anno 1629 ad 1634, septem vero diebus nostris anno 1856. Et hi martyres iidem sunt adamussim, quorum imagines, ineunte saeculo XIII, Episcopus Rogerius aspiciebat pictas cum nominibus propriis in *Specu*, et quorum imagines adhuc anno 1612 aspiciebantur. Viginti numero sunt; et Rogerius viginti imagines describit; quae procul dubio imagines erant viginti sanctorum qui sub altari quiescebant; quod si illae erant imagines, haec corpora sunt illustrium martyrum in specu sepultorum. Obiicitur: fortuita esse potest numeri identitas; huic obiectioni respondit consultor dicens quod non solum numerus convenit, sed omnia adiuncta quae descripta erant quoad haec corpora. Descripsit enim Rogerius adesse inter martyres illos et corpora duorum iuvenum Quintiani filiorum, quae omnino reperta sunt. Rogerius tandem scripsit quod S. Proculus (Iunior) *fuit membratim abscissus*. Ast in nupera inventione duo reperta fuere corpora quorum alterum omnino fractum erat, ita ut eius aetas recognosci nequivit. Quod adiunctum, iudicio peritorum in sacra Archeologia, martyrium innuit; in quo membra dispersa fuerunt: et quarum nonnullae reliquiae tantum colligi potuerunt ut sepulcro honorarentur.

Rogerius etiam loquens de imagine S. Eulogii adiecit *cuius caput iacet supra pectus*. Ast in recenti inventione corpus unius martyris ita compositum repertum est; et Bollandistae dixerant quod iam in prima inventione repertum fuerat (minime vero exhumatum) cadaver *staturae procerae cum capite supra pectus*.

Quoad locum, in quo SS. Martyres conditi fuerant animadvertit Consultor, eum nil aliud fuisse quam *specum* simplicem. Et ideo retinendum est primos fideles condidisse SS. Martyres in praedio alicuius Christiani, ceu in sacra Archeologia frequenter usuvenit. Et quod insuper longissimi progressu temporis descensus ad specum marmoreis scalis exhornatum fuerit; et pavimentum quod loculos operiebat *musivo* indutum sit: et in loco, qui ex ambobus parietibus specus supererat, imagines martyrum cum suis nominibus, una cum Salvatoris ima-

gine depictae fuerint. Certum est in eiusmodi caemeterio locum sepulturae aliorum fidelium aut etiam sanctorum confessorum seiunctum fuisse a loco, in quo martyres decumbebant, et praecipue ab illo martyrum insigniorum.

S. Augustinus in libro de Cura pro mortuis *cap. 1. § 5.* loquitur de distinctione quae in caemeteriis fiebat inter loca pro martyribus, ab illis quae pro confessoribus statuebantur. et S. Damasus Papa sepeliri noluit in crypta Martyrum, quia, ut ipse ait « *Sanctos cineres timui vexare.* » Quae distinctio inter martyrum et confessorum sepulcrum (quae adhuc prospicitur in Atripaldae Hypogeo) clare colligitur etiam ex inscriptione Nonii neofiti qui *Dei voluntate cum sanctis sociatus est;* quaeque reperta est iuxta parietes eiusdem Basilicae inferioris.

Quapropter, conclusit Consultor, sibi nullum superesse dubium quin repertae reliquiae ad sanctos martyres pertineant; imo pro certo habeo eas esse easdem reliquias Sanctorum Atripaldae martyrum; nempe SS. Hypolisti, Crescentii atque sociorum, qui sepulti atque venerati fuere ab omni antiquitate in loco qui dicitur *specus martyrum.* His deductionibus per consultores peractis adiici quoque debet auctoritas Bollandistinorum; quae huius tenoris est. « Acta sanctorum » Februar. tom. 2. pag. 334 S. Hypolisti et aliorum Martyrum » inventio. Conduntur in inferiori Basilica praecipui Templi » Atripaldae oppidi Hirpinorum Dioecesis Avellini plura Martyrum corpora, quae sub eiusdem basilicae lapideo pavimento » diu lateritiis hinc inde dispositis latuerunt sepulcris; inter » quae alterum ex musaevo pavimentum, quod et nunc patenter extat, latitudine quinque fere palmorum, longitudine vero » quatuordecim repertum fuit: ad cuius extremum paries aderat » coemento, calce, coctoque latere fabrefactus, intra quem ad » introitum praefatae Basilicae, quae tunc ad instar cuiusdam » cryptae confecta erat, *Specus Martyrum,* prioribus appellata » saeculis, ossa erant S. Martyris Hypolisti, et successive (praecipue vero B. Crescentis) aliorum Sanctorum.

» Anno salutis 1529 in generali Visitatione Illmi D. Bar-

» tolomaei Iustiniani Episcopi Avellinatis et Frequentensis ob
» firmam civium traditionem, sculptamque in tumulo S. Romuli
» inscriptionem, qua dicitur: *Ante specum Martyrum,* sup-
» plicantibus Magnificis de Regimine, ac reverendo Canonicorum
» Collegio licentiam concessit Illmus idem Iustinianus in prae-
» dicta crypta effodiendi, ut ipsa Martyrum corpora inveniri
» possent, ipsoquemet Illmo praesente, aliisque selectis ad hoc
» personis, inventum fuit ex musaeo pavimentum, quod initio
» memorabatur; et super eo parvula quaedam, quatuor ad pal-
» mos elevata muris testudo, sepulcraque, et in sepulcris Mar-
» tyrum corpora, que tunc non apparebant nisi numero quin-
» que a dextris eiusdem pavimenti composita, quibus inventis
» ultra tunc procedere cives noluerunt; sed eorum Praesule
» Illmo consulente ac decernente, amplificare statuerunt cry-
» ptam. . . . .

» Anno salutis 1633 die 15 Martii, ipso Illmo Iustiniano,
» suoque Generali Vicario Ioanne Baptista Gripho, praesente
» in primis Illmo Archiepiscopo Tarentino D. Thoma Caracciolo
» Praesule tunc Cyrensi, ad corpus S. Hypolisti, quod in loco
» secundum antiquam firmamque traditionem prius indicato,
» seu digitis ostenso, ad ingressum sanctae Cryptae dextera ex
» parte ingredientibus occurrente inventum fuerat, una cum
» aliis illis iuxta ipsius loculum corporibus Martyrum, quae
» cum S. Hypolisti corpore videbantur esse numero quinque,
» effodere facientibus, alia octo Sanctorum corpora inventa
» fuerunt. Caputque S. Hypolisti, quo suum corpus carere a
» quibusdum credebatur, ob quosdam referentes illud abscissum
» tempore sui Martyrii deiectum fuisse in flumen Sabbatum,
» nimia repertum fuit creta gypsoque involutum: nec multo
» post subtus illud gypso pariter et argilla prorsus involuta
» pars ea funis sacro sanguine conspersi qua e colle capitolino
» ad flumen usque praefatum ferocis ad caudam tauri sanctum
» Dei virum ferociores raptaverant infideles. Modoque pars illa
» funis in ampulla crystallina e crystallo nimirum vulgo nun-
» cup. *di Rocca* per Illmum D. Thomam Caracciolum Tarenti
» Archiepisc. sicut et eodem tempore annulus aureus in uno ex

» duobus Martyrum puerorum tumulo repertus magna cum devo-
» tione servatur: et pro asservando in ea capite S. Martyris,
» ut interim theca fieret argentea, conclusum fuit atque statutum.

» Anno salutis 1634 die prima mensis Maii Illmus et Rmus
» Episcopus Cyrenes voluntate et expresso consensu Illmi et
» Rmi D. Bartolomaei Iustiniani caput S. Hypolisti rite et sole-
» mniter in argentea theca reposuit illudque asportari processio-
» naliter per oppidum iussit, quod et fuit executioni mandatum.

» Corpus autem gloriosi Martyris et alia duodecim corpora
» Sanctorum iuxta ipsius loculum reperta septemtrionem versus
» ad ultimae alae caput asportata fuerunt, et ligneis in capsulis
» loco depositi collocata super altare in quo adest nunc icona
» Sancti ipsius Hypolisti, ac sociorum, donec, Deo dante de-
» centioribus valeant monumentis asservari. Praefata autem die
» 15 Martii 1633 reperta etiam fuerunt in posteriori parte
» monumenti D. Romuli *alia tria Sanctorum corpora*, et
» praeter haec (licet non ità patenter) *alia plura*; inter quae
» *unum S. Romuli proximum sepulcro, staturae procerae*
» *cum suo capite supra pectus locato; sed inde nec asportata*
» *nec amota fuere*, ne S. Romuli monumentum super eorum
» sepulcris existens (utpote duabus tantum lapideis compactum
» tabulis, altera scilicet pro suo frontispicio, reliqua pro ipsius
» operculo: ceterum posteriori et infera parte coementitiis) rui-
» nam pateretur et manna cessaret ex illo manare: immo an-
» nulus alter aureus in uno ex iisdem sepulcris repertus in
» eodem relictus mansit. Parieti ante dicta Sanctorum corpora
» constructo istud fuit carmen appositum.

» Hic tumulat paries multorum corpora divum.»

Hisce allatis et discussis, quaestio iterum proposita fuit sub sequentibus.

Dubia

I. *An constet inventa corpora esse vere martyrum, ita ut publico cultui exponi possint?*

Et quatenus affirmative.

II. *An danda sint martyribus ipsis specialia nomina?*

III. *An pro concessione Officii res ad sac. Rituum Congregationem remittenda sit?*

Itaque Emi Patres in Congregatione particulari habita die 12 Februarii 1877, visis et exploratis documentis, ac potissimum noviter deductis rationibus ex inspectione sepulcrorum per viros in sacra archeologia peritissimos, rebusque mature perpensis, respondendum duxerunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Iuxta modum: modus est ut inventa corpora dicantur esse Hypolisti, Crescentii et sociorum martyrum.*

Ad III. *Recurrat ad S. Rituum Congregationem.*

Et facta per me infrascriptum S. Congregationis Indulgentiis et SS. Reliquiis praepositae Secretarium SSmo D. N. Pio PP. IX relatione in audientia diei 14 Aprilis eiusdem anni Sanctitas sua votum S. C. approbavit et ratum habuit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 14 Apr. 1877.

AL. CARD. OREGLIA A S. STEFANO PRAEFECTUS.

A. Panici Secretarius.

EX SACRA CONGREGATIONE DE PROP. FIDE

INSTRUCTIO

SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS

Cum dispensatio sit iuris communis relaxatio cum causae cognitione, ab eo facta, qui habet potestatem, exploratum omnibus est dispensationes ab impedimentis matrimonialibus non esse indulgendas, nisi legitima et gravis causa interveniat. Quin imo facile quisque intelligit, tanto graviorem causam requiri, quanto gravius est impedimentum, quod nuptiis celebrandis opponitur. Verum haud raro ad S. Sedem perveniunt supplices literae pro impetranda aliqua huiusmodi dispensatione

quae nulla canonica ratione fulciuntur. Accidit etiam quandoque, ut in huiusmodi supplicationibus ea omittantur, quae necessario exprimi debent, ne dispensatio nullitatis vitio laboret. Idcirco opportunum visum est in praesenti Instructione paucis perstringere praecipuas illas causas, quae ad matrimoniales dispensationes obtinendas iuxta canonicas sanctiones, et prudens ecclesiasticae provisioni arbitrium, pro sufficientibus haberi consueverunt; deinde ea indicare, quae in ipsa dispensatione petenda exprimere oportet.

Atque ut a causis dispensationum exordium ducatur, operae pretium erit imprimis animadvertere, unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse, sed alteri adiunctam sufficientem existimari; nam quae non prosunt singula, multa iuvant, *arg. l. 5. C. de probat.* Huiusmodi autem causae sunt quae sequuntur:

1. *Angustia loci* sive absoluta sive relativa (ratione tantum Oratricis), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii cognatio foeminae ita sit propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum (1).

2. *Aetas foeminae superadulta*, si scilicet 24^{um} aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa haud suffragatur viduae, quae ad alias nuptias convolare cupiat.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe foemina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo aequalis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

4. *Lites super successione bonorum iam exortae*, vel *earumdem grave* aut *imminens periculum*. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti substineat neque adest alius, qui litem huiusmodi in se suscipiat, propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicae, ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, scilicet *Dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

(1) Adeant lectores dubia circa dispensationes matrimoniales quoad angustiam loci quae dedimus Volumen. IX harum ephemeridum pag. 571; quorumque hic referimus resolutionem per S. Concilii Congregationem datam die 8 Iulii 1876. — *Angustiam loci non esse aestimendam a numero focorum cuiusque Paroeciae, sed a numero focorum cuiusque loci, vel etiam plurium locorum, si non distent ad invicem ultra milliare, in reliquis prorsum.* Quae resolutio pag. 579 errore typographico alterata, iterum correcta fuit pag. 631 eiusdem Vol. IX

5. *Paupertas viduae,* quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa, quod iunior sit, atque in periculo incontinentiae versetur.

6. *Bonum pacis,* quo nomine veniunt nedum foedera inter regna, et Principes, sed etiam extinctio gravium inimicitiarum, rixarum, et odiorum civilium. Haec causa adducitur vel ad extinguendas graves inimicitias, quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas,* nec non *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* cum consanguinea vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et *Praegnantia, ideoque legitimatio prolis,* ut nempe consulatur bono prolis ipsius, et honori mulieris, quae secus innupta maneret. Haec profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis : quae circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9. *Infamia mulieris,* ex suspicione orta, quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata, vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii,* quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est : quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, praesertim foeminae, *c. 7 de consanguin.* At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. *Sess. XXIV, cap. V. de Reform. matrim.*

11. *Periculum matrimonii mixti,* vel *coram acatholico ministro celebrandi.* Quando periculum adest, quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex maioribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad Ministrum acatholicum accedant pro nuptiis celebrandis spreta Ecclesiae auctoritate, iusta invenitur dispensandi causa, quia adest non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis, et defectionis a fide taliter agentium, et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus, ubi haereses impune grassantur. Id docuit haec S. Congregatio in instructione die 17 Apr. 1820 ad Archiepiscopum Quebecensem data. Pariter cum Vicarius Apostolicus Bosniae

postulasset, utrum dispensationem elargiri posset iis Catholicis, qui nullum aliud praetexunt motivum, quam vesanum amorem, et simul praevidetur, dispensatione denegata, eos coram udice infideli coniugium fore inituros, S. Congregatio S. Officii in Fer. IV 14 Aug. 1822 decrevit: « respondendum Oratori, quod in exposito casu utatur facultatibus » sibi in Form. II. commissis, prout in Domino expedire iudicaverit.» Tantumdem dicendum de periculo, quod pars catholica cum acatholico Matrimonium celebrare audeat.

www.libtool.com.cn

12. *Periculum incestuosi concubinatus.* Ex superius memorata instructione an. 1822 elucet, dispensationis remedium, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo, atque evidenti aeternae salutis discrimine, adhibendum esse.

13. *Periculum matrimonii civilis.* Ex dictis consequitur, probabile periculum quod illi, qui dispensationem petunt, ea non obtenta, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint, esse legitimam dispensandi causam.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum,* cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute, aliove modo de Religione sit optime meritus.

Hae sunt communiores, potioresque causae, quae ad matrimoniales dispensationes impetrandas adduci solent; de quibus copiose agunt theologi, ac sacrorum canonum interpretes. (1)

Sed iam se convertit Instructio ad ea, quae praeter causas in literis supplicibus pro dispensatione obtinenda, de iure vel consuetudine, au stylo Curiae exprimenda sunt, ita ut si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Haec autem sunt:

1. *Nomen et cognomen* Oratorum, utrumque distincte, ac nitide ac sine ulla literarum abbreviatione scribendum.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando Oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

3. *Species* etiam *infima* impedimenti, an sit consanguinitas, vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus, vel matrimonio rato; in impedimento *criminis,* utrum provenerit ex coniugicidio cum promissione matrimonii, aut ex coniugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii: in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

(1) Inter ceteros consulendi Pyrrhus Corradus – *Praxis dispensationum Apostolicarum* Lib. VII. et VIII. ac Vincentius De Iustis: *De dispensationibus matrimonialibus*; Lib. III.

4. *Gradus consanguinitatis,* vel *affinitatis,* aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex, vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propinquior, uti et linea, an sit recta et transversa; item an Oratores sint coniuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris, quam ex parte matris.

www.libtool.com.cn

5. *Numerus impedimentorum* e. gr. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si praeter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum sive dirimens, sive impediens.

6. *Variae circumstantiae,* scilicet an matrimonium sit contrahendum, vel contractum; si iam contractum, aperiri debet, an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; idem an praemissis denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

7. *Copula incestuosa* habita inter sponsos ante dispensationis executionem, sive ante, sive post eius impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusa tali intentione, et sive copula publice nota sit, sive etiam occulta. Si haec reticeantur, subreptitias esse et nullibi ac nullo modo valere dispensationes super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis, et legalis, nec non et publicae honestatis declaravit S. Congregatio S. Officii fer. IV. 1 Augusti 1866. In petenda vero dispensatione super impedimento affinitatis primi vel secundi gradus lineae collateralis, si impedimentum nedum ex matrimonio consummato cum defuncto coniuge Oratoris vel Oratricis, sed etiam ex copula antematrimoniali seu fornicaria cum eodem defuncto ante initum cum ipso matrimonium patrata oriatur, necesse non est, ut mentio fiat huiusmodi illicitae copulae, quemadmodum patet ex responso S. Poenitentiariae diei 20 Martii 1842, probante s. m. Greg. XVI ad Episcopum Namurcensem, quod generale esse, idem Tribunal literis diei 10 Decembris 1874 edixit.

Haec prae oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex pontificia delegatione dispensare per se ipsi valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur.

Datum ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 9 Maii 1877.

EX S. CONGR. INDICIS

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Feria V die 12 Iulii 1877.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 12 *Iulii* 1877 *damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscipta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.*

Bombelli Rocco. L' Infallibilità del Romano Pontefice ed il Concilio ecumenico Vaticano, dialogo fra un Teologo ed un Razionalista. — Milano, tip. del libero pensatore F. Garelli 1872.

— Storia critica dell' origine e svolgimento del Dominio Temporale dei Papi, scritta su documenti originali ed autentici. — Roma, dai tipi della tipografia romana 1877.

Catéchisme catholique. — Berne Imprimerie Jent et Reiuert 1876.

L' Église et la République avec une préface par Corentin Guyho Député. — Paris.

Causes intérieures de la faiblesse extérieure de l' Église en 1870. — Rome, Imprimerie de J. Aureli. *(Tomi IX in quatuor partes divisi).*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecipit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 17 Iulii 1877.

ANTONIUS CARD. DE LUCA praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Die 22 Iulii 1877 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani Mag. Curs.

www.libtool.com.cn

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

www.libtool.com.cn

AMBIANEN.

R. D. Leo Deschamps Canonicus et Magister Caeremoniarum in Cathedrali Basilica Ambianensi nomine tum Rmi Episcopi tum Capituli Cathedralis insequentia dubia Sacrorum Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit, nimirum:

Dubium I. An Thurificatio altaris in quo asservatur Sanctissimum Sacramentum, quando est distinctum ab altari Chori, sit praeceptiva quando Vesperae canuntur a simplici presbytero vel Canonico?

Dubium II. An talis obligatio adsit quando Vesperae celebrabuntur ab Episcopo?

Dubium III. In casu affirmativo etiam pro Episcopo quinam sint Ministri qui in eiusmodi casu illum comitari debeant?

Dubium IV. An altare debeat thurificari ad *Benedictus* quando Laudes canuntur?

Sacra porro eadem Congregatio, audita sententia in scriptis alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. Affirmative, et dentur Decreta in una Beneventana diei 5 Septembris 1648 ad III et in una Nullius Dioeceseos et Provinciae Treviren. sub die 19 Septembris 1655 ad 1.

Ad II et III. Servetur Caeremoniale Episcoporum.

Ad IV. Negative. Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 30 Augusti 1876.

C. Episc. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI, S. R. C. Praef.

Plac. Lalli S. R. C. Secretarius.

Decreta quae citantur in responsione ad Dubium I. in una Ambianen. die 30 August. 1876, *quaeque extracta sunt ex authenticis Regestis Sacrorum Rituum Congregationis sunt sequentia, nimirum:*

BENEVENTANA. Archiepiscopus Beneventanus supplicavit declarari... ad 3 An SS. Eucharistiae Sacramentum, quod inter Vesperarum Divina peculiari custoditur Sacello, thurificandum sit? Et Sacra Rituum Congregatio « in casu proposito SS. Eucharistiae Sacramentum thurificari mandavit. » Die 5 Septembris 1648.

NULLIUS DIOECESIS ET PROVINCIAE TREVIREN. — Una pars Capituli, et Canonicorum Collegiatae S. Diodati Lorenae Provinciae Treviren. exhibuit in S. R. C. supplicem libellum infrascripti tenoris...

« Nell' insigne Collegiata Chiesa di S. Diodato in Lorena... » si praticano alcune ceremonie... differenti e repugnanti al Rito » Romano. e sono le seguenti: 1. Incensare alla gran Mes- » sa, e alli Vesperi solenni, oltre l'Altare Maggiore, molti » altri Altari piccoli, dove non vi sono nè Croci nè luminari... » Et eadem S. R. C. ad removendos abusus Caeremoniarum contra formam Ritualis Romani, et tollendas controversias quae inter ipsos Canonicos quotidie oriuntur, utque omnia reducantur ad formam ritus S. Romanae Ecclesiae, declaravit ut infra:

Ad I. Ad Missam thurificari tantum debet Altare, in quo cantatur Missa. Ad Vesperas vero Altare, ubi asservatur SS. Sacramentum et Altare chorale, coram quo decantantur Vesperae, nisi esset idem in quo SS. Sacramentum asservatur, quia in hoc casu unum hoc Altare tantum thurificari debet; in utroque tamen Altari debent esse luminaria, et Crux.

Die 19 Septembris 1665.

Ita reperitur in Actis et Regestis Secretariae Sacrorum

Rituum Congregationis. In quorum fidem etc., ex eadem Secretaria hac die 1 Septembris 1876.

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretario

www.libtool.com.cn

Loco ✠ Sigilli

Iosephus Ciccolini, Substitutus.

DECRETUM

Murana seu Compsana Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Gerardi Maiella Laici professi ex Congregatione Sanctissimi Redemptoris.

SUPER DUBIO

An constet de Virtutibus Theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum et Proximum, nec non de Cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Venerabilis Servus Dei Gerardus Maiella inter fratres laicos Congregationis SSmi Redemptoris exceptus ab ipso S. Alphonso Institutore, ut hic sanctitate vitae, zelo et doctrina omnibus familiae suae Alumnis, ita ille confratribus laicis simplicitate cordis ac mira obedientia praefulsit. Ortus is Muri in Lucania octavo Idus Aprilis anni MDCCXXVI ex honestis ac pauperibus parentibus, ab iisque educatus in timore Domini, cum sortitus esset animam bonam, ab ipsa pueritia indubia praetulit futurae sanctitatis indicia: innocentia siquidem morum, orationis studio, abstinentia, ac multimoda carnis maceratione arduam christianae perfectionis semitam alacrioribus continuo gressibus incessit. Iuvenilibus annis partim sarcinatoriae artis exercitio, partim famulatum exhibendo, arctum, quem sibi quaeritavit, victum cum egenis sollicite partiebatur. At desiderio flagrans sese totum Christo mancipandi sub suavi obedientiae iugo, inter laicos Congregationis SSmi Redemptoris admissus fuit. Tyrocinium agens in Collegio Iliceti, disciplinae observantia omnibus exemplum prae-

buit, ac anno MDCCLII ferventi spiritu exultans in Domino professionem edidit. Post biennium in domum Capitis Silari missus, humilibus officiis naviter functus est, iisque libentius quo essent viliora, comes interdum Missionariis, vel ad stipem corrogandam designatus, ubique animarum saluti exemplo vitae, assidua oratione, et exhortationibus pro modulo suo prodesse studuit. Immaculatus ambulans in lege Domini, toto corde exquisivit eum; poenitentiae namque austeritate corpus suum hostiam viventem, mirabili vere obedientia, quae omnes virtutes perficit, animam suam hostiam Deo placentem iugiter exhibuit. Ita porro totus in Deo, qui Caritas est, ipse mansit, et Deus in eo. Consummatus itaque in brevi laboribus, et iam coelo maturus, trigesimo aetatis anno nondum exacto, gravi phthisis morbo decubuit, eiusque cruciatus et molestias mira sustinuit patientia, ac tandem caritate aestuans Sacramentis refectus, die et hora quam praedixerat, placidissime in Domino conquievit anno MDCCLV in festo S. Teresiae, quam uti Patronam pientissime excoluerat.

Sanctimoniae famam, quam Venerabilis Gerardus in vivis agens sibi conciliaverat, pretiosa eiusdem mors ita confirmavit, ut Sanctus ipse Alphonsus collectis in re monumentis vitam conservi sui descripturus iam esset, cum ad coelestem patriam evolavit. Quae quidem sanctitatis fama annorum decursu magis magisque inclaruit, proindeque Ven. Servi Dei Introductionis Causae Commissionem SSmus D. Noster PIUS PAPA IX. decimo quinto calendas septembris anni MDCCCXXXVII propria manu signavit. Absolutis postmodum actis in gravissimo huiusmodi iudicio praescriptis, institutum primo fuit examen super heroicas Ven. Gerardi virtutes in Antepraeparatorio Conventu quarto Idus Martii anni MDCCCLXXII. Insequenti autem anno quarto Nonas Martii denuo discussa fuit eius Virtutum praestantia in Praeparatoria Congregatione. In Generalibus tandem Comitiis coram SSmo D. N. PIO PAPA IX. in Palatio Apostolico Vaticano, undecimo calendas Maii anni MDCCCLXXIV, Reverendissimus Cardinalis Aloisius Bilio Episcopus Sabinen. et Causae Relator proposuit dubium « *An constet de Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus, earumque adnexis Ven. Servi Dei, in gradu heroico, in casu et ad effectum, de quo agitur?* » Ac singuli Patres Consultores, deinde Reverendissimi Cardinales

Sacrorum Rituum Congregationi praepositi suffragium pronunciarunt. Attamen SSmus Dominus Noster gravitatem iudicii animo reputans, antequam sententiam ediceret, hortatus omnes est ut divini luminis opem incessanter a Domino postularent. Iteratis itaque in humilitate spiritus ad Deum precibus, supremum proferre iudicium constituit in Festo sacratissimi Cordis Iesu Christi, quinta nimirum die ab auspicatissima solemnitate Quinquagesimi Anniversarii Episcopalis suae Consecrationis, ad quam celebrandam tanta Romam confluxit ex universo Catholico orbe peregrinorum multitudo, publicum ac unanime gratulationis, fidelitatis ac devotionis testimonium erga S. Petri Cathedram eiusque Successorem oblatura. Summus igitur Pontifex, postquam salutarem hostiam pientissime litavit, in nobiliorem aulam Vaticanam arcessivit Rmum Cardinalem Aloisium Bilio Episcopum Sabinensem, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem, una cum R. P. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit: *Ita constare de Virtutibus Theologalibus et Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico Ven. Servi Dei* GERARDI MAIELLA *Laici professi ex Congregatione SSmi Redemptoris, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor Miraculorum.* — Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri, atque evulgari mandavit sexto Idus Iunii anni MDCCCLXXVII.

A. EPISCOPUS SABINEN. CARD. BILIO S. R. C. PRAEF.

Loco ✠ Sigilli

PLACIDUS RALLI S. R. C. SECRETARIUS.

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Pictavien. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Huberti Fournet Sacerdotis fundatoris Congregationis Filiarum Crucis vulgo Sororum Sancti Andreae.

www.libtool.com.cn

Quartodecimo Kalendas Novembris Anni 1871 quum Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX benigne indulserit, ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Andreae Huberti praelati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et Scriptis eiusdem Servo Dei non perquisitis et examinatis, subscriptus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus et Causae Relator ad instantiam R. D. Francisci Virili Alumni Congregationis Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi Missionari Apostolici, et huius Causae Postulatoris constituti, attentis Postulatoriis Litteris nonnullorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, aliorumque Virorum Ecclesiastica, vel civili dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative,* sive *signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* Die 7 Iulii 1877.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum se-

cretarium Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPA IX relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Andreae Huberti Fournet praefati. Die 19 eiusdem mensis et anni.

A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius

Augustana in Pedemonte confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Vullermo De Leaval Parocho Moriacii Beato nuncupato.

In Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato per me subscriptum Cardinalem huius Causae Ponentem proposito Dubio — *An Sententia lata ab Augustensi Episcopo super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Vullermo de Leaval praefato, seu super casu excepto a Decretis Sa. Me. Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?*

Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 3. Februarii 1877.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideliter relatis, Sanctitas sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die decima quinta Februarii iisdem mense et anno.

A. EP. SABINEN. CARD. BILIO S. R. C. Praef.

Plac. Ralli S. R. C. Secretarius.

Loco ✠ Signi

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

NOMINATIONES EPISCOPORUM ET ECCLESIARUM DESCRIPTIONES, QUIBUS SUNT PRAEPOSITI.

Die 21 Septembris 1877

Sanctissimus hac mane tradere disposuit Galerum Cardinalitium, in Palatio Apostolico Vaticano, Emo atque Rmo D. Cardinali Emmanueli Garcia Gil, ex Ordine Praedicatorum, Archiepiscopo Caesaraugustano, creato et publicato die 12 Martii 1877. Novus Cardinalis coram Emis, Ordinum Capitibus etc. emisit, de more, iuramentum.

Cum Sanctitas Sua in Aulam consistorialem pervenisset, duo Cardinales Diaconi seniores introduxerunt novum Collegam apud Tronum Pontificium; ibique iste genuflectens atque praescripta recitata formula, Galerum rubrum e manibus Beatitudinis Suae recepit.

Exclusis ab Aula omnibus, qui locum ibi habere nequeunt, quum Emus Cardinalis Asquini titulum dimisisset S. Stephani in Coelio Monte, atque optavisset vacantem Titulum S. Laurentii in Lucina; et quum os, de more, clausisset Sanctitas Sua Emo Cardinali Garcia Gil, contulit, modis usitatis, officium Camerarii S. R. Ecclesiae Emo atque Rmo Cardinali Ioachimo Pecci.

Deinde Sanctissimus sequentes proposuit Ecclesias:

METROPOLITANAM ECCLESIAM FIRMAN. vacan. per obitum clar. me. Philippi S. R. E dum viveret Presbyteri Cardinalis De Angelis ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti; ad quam translatus est R. P. D. Hamilcar Malagola, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Iunio praeteriti anni Asculanae Ecclesiae in Piceno praefectus fuit.

Firmum ac Firmium, Piceni

civitas, haud longe ab oris Adriaci maris in colle aedificata, triplicis fere milliarii est ambitus, bismille domos, et ultra undecim mille complectitur incolas.

www.libtool.com.cn

Metropolitana Ecclesia, optimi aedificii, Beatissimae semperque Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quatuor recenset Dignitates, quarum prima post pontificalem Archidiaconatus, duodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sex Beneficiarios Praebendatos, quatuor Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Animarum cura non exercetur in praefata Metropolitana.

Praeter Metropolitanam in ipsa civitate novem parochiales Ecclesiae recensentur baptismali fonte munitae, quarum una sub invocatione Sancti Michaelis Archangeli est etiam Collegiata, octo virorum et quinque mulierum monasteria, duo conservatoria, plura laicorum sodalitia, hospitale, mons pietatis et seminarium.

Archidioeceseos ambitus ad fere centum milliaria protenditur et ultra sexaginta sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM CLODIEN. vacan. per dimissionem a R. P. D. Sigismundo e Comitibus Brandolini-Rota ultro libenterque in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab EADEMQUE admissam; ad quam translatus fuit R. P. D. Ludovicus Marangoni Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Decembris 1874 ad Ecclesiam Gortynensem evectus fuit.

Clodia Fossa, postea Clugia, urbs Veneti in insula parva maris Adriatici sita, duplicis milliarii cum dimidio est ambitus, bis mille fere continet domos, eamque ultra viginti quinque mille incolunt cives catholici.

Cathedralis Ecclesia, satis ampli ac moderni aedificii, Assumptionis Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, nullius eget reparationis, atque Venetiarum Patriarchae suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, octo cum thelogo ac poenitentiario Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat animarum cura, quam Presbyter ipsamet exercet in Cathedrali.

Duae aliae recensentur Clodiae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex virorum religiosa domus, pro puellis conservatorium, aliquot laicorum sodalitates, mons pietatis, hospitale et seminarium.

Dioeceseos ambitus ad sexaginta fere milliaria protenditur et plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ALBINGANEN. vacan. per obitum bo. me. Petri Anacleti Siboni ultimi illius

Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad eamdem promotus est R. P. D. Caietanus Alimonda ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Genuae progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, praesertim in verbi Dei praedicatione sedulo incubuit. Inter Genuensis Athenaei collegiales Doctores adscitus, Congregationi adscriptus S. Karoli pro missionibus sacris in civitate et in pagis peragendis, Moderatoris officio in maiori seminario Genuensi plures per annos perfunctus est. Prima Praepositi dignitate in metropolitano Capitulo Genuensi hactenus cohonestatus ac inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos adnumeratus fuit.

Albingaunum civitas Liguriae litoralis ad amnem Rutulam in planitie aedificata in suo unius et ultra milliarii ambitu quadringentas enumerat domos, eamque sex pene mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia satis amplae et antiquae structurae, S. Michaelis Archangeli titulo gloriatur, nullius magni momenti eget reparationis atque Archiepiscopo Ianuensi suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, octodecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, quosdam Capellanos de Massa, aliosque Presbyteros et Clericos divinae rei operam navantes.

Per secundam Archipresbyteri dignitatem animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Albingauni paroecialis Ecclesia, quae et Collegiata sub titulo Bmae Virginis Mariae in Fontibus, duae pro viris religiosae domus, laicorum sodalitas, nosocomium et seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, et octoginta fere sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCL. ASCULAN. in Piceno vacan. per translationem R. P. D. Hamilcaris Malagola ad Metropolitanam Sedem Firmanam; cui praepositus fuit R. D. Bartholomaeus Ortolani ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Ravennae progenitus et in tricesimo octavo aetatis suae anno constitutus Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim utriusque sexus sacramentales confessiones excipiendo, Deique verbum praedicando sedulo incubuit. Maioris seminarii Ravennatensis vices agens Rectoris, ac inibi latinae ac italicae linguae, nec non humaniorum literarum Magister adlectus, minoris quoque seminarii Director spiritualis effectus et in cellegiis puerorum ac puellarum tradidit catecheses. Romae inter alumnos seminarii SS. Apostolorum Petri et Pauli pro exteris missionibus cooptatus, ac

Missionarius Apostolicus renuntiatus, pro civitate ac dioecesi Asculana in Piceno Vicarii in spiritualibus Generalis munere hucusque perfunctus est.

www.libtool.com.cn

Asculum Piceni civitas, in collis declivio ad Truenti fluminis radices aedificata, triplicis circiter milliarii est ambitus, bis mille fere domos, et ab ultra septemdecim millibus inhabitatur incolis.

Cathedralis Ecclesia, Basilicae titulo cohonestata, Assumptionis Bmae Virginis Mariae, ac S. Emygdii primi eiusdem civitatis Episcopi, Martyris, ac praecipui Patroni titulo gloriatur, amplum satis atque elegans praefert aedificium, et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum unicam Archidiaconatus recenset dignitatem, duodecim Canonicos cum theologo ac poenitentiario, duodecim insuper Beneficiatos-Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura quam Vicarius perpetuus ab alio Presbytero adiutus ipsamet administrat in Cathedrali.

Undecim praeterea recensentur Asculi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, et quinque succursales, novem item virorum et sex mulierum monasteria, conservatorium, orphanotrophium, nonnullae laicorum sodalitates, aliaque loca pia, hospitale, duo pietatis montes, atque seminarium.

Diocceseos ambitus ad plura milliaria protenditur, atque centum septuaginta quinque sub se complectitur paroecias, et alias quinquaginta Neapolitano in agro.

CATHEDRALEM ECCLESIAM LINGONEN. vacan. per obitum bo. me. Ioannis Iacobi Antonii Guerrin ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam, ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Gallicae reipublicae Praesidis, evectus est R. P. D. Guillelmus Bouange ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate *Aurillac* dioeceseos Sancti Flori progenitus et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam. A Secretis Antistitis S. Flori adlectus, in Vicarium Generalem pro dioecesi Augustodunensi assumptus, in urbe patria Parochus ad S. Geraldi templum hucusque renuntiatus, et inter SANCTITATIS SUAE Pronotarios Apostolicos supranumerarios adscitus est.

Lingonensis civitas in provincia Matronae Superioris, *Département de la Haute Marne*, sita ac supra verticem montis aedificata, a decem circiter millibus inhabitatur catholicis incolis sub temporali Gallico gubernio.

Cathedralis Ecclesia invocatione gaudet S. Mametis Mart., atque Lugdunensi Archiepiscopo suffragatur.

Novem Canonici titulares constituunt Capitulum Cathedrale, plures insuper adsunt Presbyteri, Clerici, atque pueri a choro vocati, qui cum seminarii alumnis festis diebus officiis divinis dant operam.

Per Canonicum-Archipresbyterum a quatuor Vicariis adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur in urbe Lingonensi Curionalis Ecclesia baptismali fonte ornata, duplex virorum monasterium, quaedam mulierum religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, bina hospitalia, atque magnum et parvum seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam provinciam Matronae Superioris complectitur, et plura sub se continet incolarum millia.

CATHEDRALEM ECCL. ADIACEN. vacan. per obitum bo. me. Francisci Xaverii Andreae de Gaffory ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; cui ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae Reipublicae Praesidis, praepositus est R. D. Paulus Matthaeus de la Foata ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago *Azilone* nuncupato Adiacensis dioeceseos progenitus et sexagesimum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in functionibus peragendis ecclesiasticis sedulo incubuit. Dioecesano in seminario Professorem agens, et Cortinensi in urbe Parochus adlectus, pro civitate ac dioecesi Adiacensi Vicarius in spiritualibus Generalis constitutus, hucusque autem illa Sede vacante Capitularis Vicarius renunciatus est.

Adiacium urbs maritima Corsicae, in ora occidua illius insulae posita, pulchra, commercioque florens cum portu capaci, ab ultra quindecim millibus inhabitatur catholicis incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo cohonestata, corinthiam praefert structuram, atque Aquensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem conflatur Canonicis, queis alii adiunguntur Presbyteri, duo chori Vicarii, Clerici, pueri de choro ac solemnibus diebus alumni seminarii divinis inservientes.

Per Parochum-Archipresbyterum, a duobus Vicariis adiutum, animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Adiacensi in urbe paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, duplex pro mulieribus religiosa domus, duplex hospitale, aliquot laicorum sodalitates, ac parvum et magnum seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad quingenta fere milliaria protenditur, totamque sub se complectitur Corsicae insu-

lam, ac biscentum quinquaginta incolarum millia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM S. FLORI vacan. per obitum bo. me. Petri Antonii de Compignac ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; cui, ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, praepositus est R. D. Franciscus Maria Ambrosius Beniaminus Baduel ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in castro *Austrac* dioeceseos Ruthenensis progenitus, et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis peragendis functionibus naviter emicuit. Parisiis in paroecia S. Rochi Vicarium agens, a Secretis Antistitis Mimatensis adlectus, Vicarius Castrensis, et Vicarius Generalis ad honores Episcopi Ruthenensis, hucusque autem in urbe Villae Franchae patriae dioeceseos Parochus renunciatus est.

Civitas S. Flori in provincia Arverniae, *Département du Cantal*, supra montem aedificata sex mille circiter continet incolas, qui omnes catholicam religionem profitentur sub temporali Gallico dominio.

Ecclesia Cathedralis satis ampla ac decens S. Flori Episcopi titulo gloriatur, mixtam praefert structuram, atque Bituricensi Archiepiscopo suffragatur.

Octo Canonici titulares constituunt eius Capitulum, ubi nonnulli praeterea numerantur chori Vicarii, aliique Presbyteri et Clerici, qui cum seminarii alumnis diebus festis rei divinae dant operam.

Duae reperiuntur in civitate S. Flori Curionales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duae mulierum religiosae domus, hospitale ac tria seminaria; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam *du Cantal* nuncupatam, ac plura sub se complectitur loca, atque biscentum triginta incolarum millia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ELNEN. vacan. per obitum bo. me. Iosephi Friderici Saivet ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; cui, ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, praepositus est R. D. Ioannes Augustinus Aemilius Caraguel ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago, cui vulgo nomen *Labruguière* archidioeceseos Albiensis progenitus et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus naviter incubuit. In urbe *Mazamet* Parochus effectus, et hucusque apud metropolitanam Sedem Albiensem Canonicus-Archipresbyter renunciatus est.

Papirianum, seu Perpinianum, sedes Episcopi Elnensis, olim Ruscinonensis Comitatus civitas, ac

hodiedum caput provinciae Pyrenaeorum orientalium, in planitie aedificata conspicitur, salubri gaudet aere, atque a viginti circiter millibus inhabitatur catholicis incolis sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, satis ampla et pulchra, S. Ioannis Baptistae titulo gloriatur, elegantem praefert structuram, atque Albiensi Archiepiscopo suffragatur.

Octo Canonici titulares, quos inter theologus ac poenitentiarius, constituunt eius Capitulum, quod insuper nonnullos recenset Presbyteros, queis adiunguntur seminarii alumni et pueri de choro divinis inservientes.

Per Canonicum-Archipresbyterum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Quatuor aliae recensentur Perpiniani paroeciales Ecclesiae baptismali fonte, una excepta, munitae, nonnullae pro mulieribus religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, duplex nosocomium, insuper magnum, ac in dioecesi parvum seminarium: mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Pyrenaeorum Orientalium provinciam, pluraque sub se continet loca (1).

(1) Reliquas eiusdem diei propositiones et Episcoporum nominationes dabimus proximo insequenti fasciculo.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

SPONSALIUM

Die 3 Martii 1877.

Compendium Facti. Nondum quadrilustris Nicolaus M. puellam ardebat Theresiam duos supra viginti annos natam; cuius intima utebatur consuetudine, domum illius crebro adire solitus; annuentibus puellae parentibus, renuente vero iuvenis patruo Sacerdote, a quo pinguem sperabat haereditatem.

Dum vero puellae parentes rusticarent autumnali tempore, occasione arrepta, incautus iuvenis Theresiam defloravit. Proinde utero gravis effecta, mense Iulio sequioris anni 1866 in lucem filiam edidit in aliena habitatione; sed assequuta ex puerperio valetudinem, laribus restituitur paternis. Vix tamen quadrimestris effluxerat, post partum, et mulier in Curia Episcopali O. astitit, impedimentum ex defloratione cum promissione matrimonii exortum, contra liberum statum Nicolai obiiciens.

Res diu sub silentio mansit; ast anno 1874 ad puellae petitionem resumitur causa; atque expleto processu cum examine testium, et defensorum allegationibus, Vicarius Generalis O. sub die 17 Iulii 1874 hanc protulit sententiam « definitive sententiamus oppositiones a Theresia M. productas » adversus statum liberum Nicolai M. constare, sponsalia » inter ipsum et Theresiam valere, et reum ad peracti iudicii » expensas victrici reficiendas condemnamus. »

Nicolaus apud Archiepiscopum B. appellavit, qui eiusdem Dioecesis O. est etiam Administrator. Verum infra mensem actorum productionem omnino faciendam in Curia Archiepi-

scopali, praetermisit; reputans cuilibet officio sese satisfecisse ad appellationis validitatem, cum exhibuerit actus appellationis Procuratori fiscali Ecclesiasticae Curiae O. Ideoque statim ac cognovit sibi peremptam fuisse appellationem, gravi moerore captus, nullum ait sibi aliud superesse effugium, ut suae conscientiae oneribus novis consuleret, quam ad matrimonium, ut aiunt, civile, recursum habere.

Censuit tamen Archiepiscopus aditum Nicolao patere ad beneficium restitutionis in integrum obtinendum apud S. Sedem; idque eo magis, quia in actis processualibus decretum Curiae O. deest, quo appellatio deserta declararetur, neque pars adversa eiusmodi decretum quaesierit.

Inde Nicolaus recursum habuit apud S. C. C. petens, ut nulla atque irrita declararetur sententia Curiae O. sub die 17 Iulii 1876 prolata.

De voto, Archiepiscopus requisitus, per suum Vicarium retulit: Nicolaum ad matrimonium civile se convertisse ex eo quod censuerat nullum superfuisse effugium, nequidem apud S. Sedis Tribunalia. Ast oppositione facta per puellam, res apud Tribunalia civilia acta est; verum semel atque iterum victor Nicolaus evasit. His nonobstantibus haud matrimonium civile iste celebravit sed rem suam ad S. Sedem dirimendam detulit, iudicium expectans.

Disceptatio synoptica.

Iura puellae. Ex litteris Nicolai ad Theresiam missis erui facile potest promissionem matrimonii elicitam fuisse; cuius intuitu copiam corporis a puella obtinuit. Nam in eisdem litteris prostant vehementes amoris demonstrationes, quoniam eamdem puellam appellat tamquam mulierem sibi desponsatam. Ad hanc roborandam sponsionem referri videntur expressiones in eadem epistola adhibitae « *quando in aevum coniuncti erimus* » atque aliae, quae ibidem apparent ab eodem conscriptae dum rus esset profecturus, ut inter oppositiones ex parte ipsius familiae Nicolai exsurgentes, animum et constantiam Theresiae obfirmaret.

Hisce accessit etiam iusiurandum a Nicolao in alia epistola emissum. Ipse enim postquam miserabilem suae vitae statum et desiderium descripserit abducendi puellam e domo sua, quae locus aerumnarum effecta erat, peream, ait, antequam te deseram aut prodere possim! Atque in alio epistolio scribebat: scito ergo me nullimode abesse a te longius posse, meque paratum esse omnia audere dummodo in aevum mea sis.

www.libtool.com.cn

Insuper certissime videtur matrimonii promissio intercessisse ex alia quoque epistola ad puellae genitorem conscripta. In hac enim nedum Nicolaus honestam pandit intentionem in familiari consuetudine cum Theresia, imo etiam esse filium illius suscribere non dubitaverit.

Epistolis recitatis etiam testium depositionem concordant; alter enim eorum retulit se audivisse Nicolaum de Theresia loquentem dicere « haec uxor mea erit » alius autem quod saepe saepius adpromiserit Nicolaus « eamdem in uxorem ducere ». Et quum a quodam exhortaretur ut honori defloratae puellae per matrimonium consuleret, eidem respondit: certiorem, adprecor, fac Theresiam, ut tranquilla permaneat, eo quod ipsa erit uxor mea; quod nunc mihi praepeditur a patruo meo sub poena haereditatem amittendi.

Quod si certa apparet promissio matrimonii ex parte Nicolai, non minus certa videtur etiam intercessisse ex parte mulieris; quae profecto nullo pacto in iacturam suae virginitatis consentire praesumenda est, nisi et ipsa eamdem ostendisset voluntatem, ut exinde consisterent sponsalia, cuius vigore matrinonii obligatio hinc inde exurgeret. Ita ex communi sententia tradunt Reiffe stuel *in iure can. lib. 4 de sponsal.* §. *3 n. 68;* Perez *de matrim. disp. 12 tit. de spons.* Rota *decis. 4 n. 3 tit. de spons. cor. Falconieri,* atque aliis omissis *dec. 28 n. 13* apud Cosci *de spons.* « ibi » *Si itaque puella consensum praestitit, ut suae virginitatis iacturam faceret, utique facto ipso, quod verbis est potentius, repromissionem praestitit, ac sola spe futuri oblati coniugii honesta mulier id gessisse praesumitur.* » Quibus

porro sponsalibus, una cum virginis defloratione, eorum intuitu perpessa, in tuto positis, sponte sua consequitur Nicolaum adigi debere in uxorem ducere Theresiam prouti in re notissima, post *text. in cap. 1 de adult.* unanimiter docent Doctores, de quorum sententia concludit *Rota Rom. in praecit. Dec. 28 n. 15.* « ibi » *Quoties ineundi coniugii promissio ex parte viri praecessit, tunc siquidem quemadmodum mulier ex parte sua tradendo suum corpus contractum implevit, atque perfecit, ita vir ab illo resilire non potest, sed praecisam obligationem habet polliciti matrimonii servare fidem.*»

www.libtool.com.cn

Iura Nicolai. Nicolaus autem mulieris petitionem impugnans, ait: nil sibi officere quod offenderit in impedimentum rei iudicatae ex sua negligentia; quia omisit ignorans quod onus eiusmodi sibi incumberet, non vero Procuratori Fiscali ad quem transmiserat appellationem. et quod idem procurator nullatenus impleverit hoc officium. Ambigi tamen nequit se adhibuisse diligentiam, cuius tunc capax fuit, ut appellationis iudicium suum obtineret cursum. Ast quum de ignorantia agatur, quae ordinis iudiciarii ritus respicit, facile fatalium rigor temperari solet, quando diligentia aliqua intervenerit ex parte appellantis, uti scitissime animadvertit Card. De Luca de *Iud. disc. 37 n. 24* « ibi » *nimium asperum atque exhorbitans videbatur, ut de adeo praeiudiciali negligentia imputari deberet ille, qui adhuc incertus erat, an demandanda esset impeditio in vim illius decisionis, quae adhuc edita non erat.* Solet autem *iste rigor (qui vere de iudaismo sapere videtur) de facile temperari, quoties constet quod aliquae diligentiae ex parte appellantis fuerint adhibitae.* » Quapropter si ignorantia haec rationabilem praebeat causam, qua temperato iuris rigore, fatalium cursus interciperetur, multo quidem magis suadere videtur, ut saltem beneficium restitutionis in integrum adversus rem iudicatam indulgeatur eidem iuxta monitum praelaudati iurisconsulti in *eit. disc. 37 n. 33* « ibi » « *aut igitur de impedimento singulari et privato, cuius iustificatio pendeat a particularibus facti circumstantiis, ut est illud infirmitatis vel*

paupertatis etc. aut iustae ignorantiae; et tunc currat quidem tempus, sed subveniendum sit cum extraordinario remedio restitutionis in integrum.

Aggrediens autem Nicolaus causae meritum, sategit, ceu in prima iudicii sede, ut in propatulo poneret mulieris dehonestatem ante copulam cum ipso habitam. Retulit hinc rescivisse a teste, fide digno, quod Theresia, quum novem aut decem annos haberet, quadam nocte dum ipsa cum genitoribus rusticaretur, ex obiurgatione matris indignata, e domo aufugit. Et biduo vel triduo postquam domum reversa est confiteri non erubuit totam transegisse noctem cum iuvene; qui tamen asseruit scandalum ab ea non recepisse, quinimo putare puellam honestate praeditam.

Neque puellae parentes intimae consuetudini cum Nicolao ostaculum unquam posuerunt; imo amores probe scientes haud dubitarunt rus proficisci, una Theresia domi relicta cum fratre parvulo. Et Archiepiscopus autumavit nil curavisse parentes puellae honestatem, quamvis eis innotesceret Nicolaum, ex desiderio patris, statum ecclesiasticum sequi, et sacris iam indui vestimentis. Proindeque dum Theresiae honestas exulet, in tenues abiit auras praesumptio repromissionis ex parte mulieris; ideoque deficiente promissione et repromissione contractus sponsalitius evanescit.

Adiici hisce omnibus debet deliberata ac firma voluntas in qua Nicolaus persistit cooptandi sibi in matrimonium aliam mulierem; ita ut impossibilis evaserit cum Theresia reconciliatio. Id asserit etiam Vicarius Generalis adiiciens absonum videri Nicolaum inire civile matrimonium, dum ad religiosissimam pertineat familiam. Ex alia autem parte, obfirmavit Archiepiscopus, potius quam intuitu vel fiducia futuri matrimonii, magis ultionis spiritu permotam fuisse mulierem dum coniugium Nicolai cum alia muliere adversata est. Ex quo idem Antistes votum emisit dicens; quum mulier irrationabiliter invita sit, donari Nicolao quidem posset libertas aliam in uxorem ducendi, iniuncto eidem onere damna illata compensandi, nec non proli, ex illicito eorumdem commercio natae, alimenta prae-

stan li. Quibus ex parte viri *in facto* exploratis, ad coactionem matrimonii ab eo removendam, recolere facile est ea quae *in iure* exposita sunt in simili causa contemporanea *Andrien. remotionis impedimenti* quoad hunc iuris articulum et praesertim in §. *Quibus ex doctrina Rotae Rom. in Amerina sponsalium 15 Maii 1841* §. *6 coram Quaglia* « ibi » *Vicissim vero satis validae visae sunt causae per Vincentii Oratores adductae, ob quas reluctatur matrimonium contrahere. Occurrit animorum dissociatio exorta ante litis initium quaeque per hanc litem recrudescit; occurrit propinquorum, atque praesertim Vincentii matris harum nuptiarum improbatio; ac demum occurrit Vincentii animum adiecisse ad aliam mulierem, ac cum ea matrimonium praeparasse; quae quidem causae etiam seiunctim satis sunt ad excludendam coactionem perpendit Rota.* »

Quibus in medio productis quaesitum est quonam responso essent dimittenda

Dubia.

I. *An concedenda sit restitutio in integrum in casu*

Et quatenus affirmative.

II. *An et quomodo sententia Curiae O. sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Resolutio. Sacra Cong. Concilii. causa discussa sub die 3 Martii 1877, censuit respondere.

Ad I. *affirmative.*

Ad II. *Sententiam Curiae O. esse confirmandam,* (1) et ad mentem. (2)

(1) Praesens quaestio de sponsalibus maximam habet analogiam cum alia *Remotionis impedimenti*, quem lectoribus iam tradidimus pag. 185 huius voluminis. Ab ea tamen differt circa modum quo apud S. C. Congregationem pertractata fuit. In illa enim praesentata fuit difficultas evincendi sponsalium inexistentiam; et ideo ab initio dispensatio ab eisdem quaesita est. In ista vero forsan probatu facilior visa est sponsalium invaliditas, ideoque prae primis sponsus restitutionem in integrum petiit, ut iterum in iudicio sistere posset, a quo iure, sua ignorantia, exciderat. Deinde demonstrare conatus est haud sponsalia existere, et Vicarii Generalis sententiam fuisse infirmandam.

EX INDE COLLIGES

www.libtool.com.cn

I. Praesumi debere puellas, quae iacturam suae virginitatis faciunt (quod factum verbis potentius agnoscitur) praestitisse suam repromissionem, idque gessisse sola spe futuri matrimonii.

II. Proinde sponsalium contractum, censeri perfectum, ita ut vir ab eo resilire nequeat, sed polliciti matrimonii fidem servare teneatur, quoties ex parte istius promissio ineundi coniugii praecesserit et ex parte honestae mulieris postea corpus traditum fuerit.

III. Restitutionem in integrum, quod in iure audit remedium extraordinarium, concedi quandoque solere, postquam iuridicae causae adductae, adiuncta seu circumstantiae a iudice discussae et probatae fuerint (3).

S. C. Congreg. restitutionem in integrum indulsit; ast V. Generalis sententiam confirmavit; a qua valida sponsalia in themate declarata fuerant. Ideoque oportuit ut a sponsalibus validis dispensatio impetraretur a S. Sede, causas adducendo. Quapropter quisquis conspicit in alia quaestione huic pene simili, breviorem viam ad optatum finem perduxisse.

(2) Mens S. Congregationis Episcopo Oratoris pandita fuit. Ex quo factum est ut Nicolaus novum daret supplicem libellum ad SSmum Patrem expostulans dispensationem super impedimento sponsalium. Quoniam vero causa disceptata fuerat plenis comitiis; ideo iterum coram S. C. C. disceptanda fuit petitio super dispensatione eiusmodi; quaeque immediate post praesentem sequitur.

(3) Duo a iurisprudentia praebentur remedia contra prolatam sententiam, ne in rem iudicatam transeat: Per appellationem utili tempore interpositam; idque vocatur ordinarium remedium. 2°. Per beneficium restitutionis in integrum, quod extraordinarium dicitur remedium. Ut tamen appellans hoc extraordinario beneficio frui queat, onere afficitur docendi de iustitia impedimenti per quod a prolata sententia haud utili tempore appellaverit. Inter impedimenta quae utiliter adduci possunt ad eiusmodi beneficium a Iudice obtinendum recenseri solent infirmitas paupertas, procuratoris absentia, calumniae seu malitiae, et mors ipsius, iustaque ignorantia qua appellans afficitur. In praesenti quaestione ignorantia appellantis quoad nonnulla quae ab eo agenda erant, causa fuit, qua, etsi tempus utile decurrerit, tamen subventum fuit eidem hoc extraordinario remedio quod restitutio in integrum vocatur; cuius pro quo sententia Vicarii Generalis haud ivit in rem iudicatam.

IV. Inter causas, quibus aliquando a S. Sede sponsalium dispensatio indulgetur, cooptari animorum dissociationem ante litis initium exortam et per litem auctam, parentum ostinatam oppositionem, et matrimonii praeparationem cum alia muliere, ad quam serio vir animum adiecerit suum.

www.libtool.com.cn

SUPER DISPENSATIONE SPONSALIUM

Die 25 Augusti 1877.

Per Summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Apud Curiam O. Theresia M. provocavit impedimentum contra liberum statum Nicolai M. ob defloralionem cum promissione matrimonii. A qua controversia victus discessit vir, cum Vicarius Generalis illius Curiae declaraverit sponsalia valida esse. Appellavit vir ad Metropolitanum, quin intra mensem Apostolos (1) transmitteret. Qua de re Metropolitanus se declaravit incompetentem, et Nicolaus ad S. C. Congregationem confugit.

Eminentissimi Patres omnia perpendentes sub die 3 Martii currentis anni sententiam Episcopalis Curiae confirmandam esse duxerunt. Quandoquidem propositis tunc dubiis « *An concedenda sit restitutio in integrum in casu* » Et quatenus affirmative « *An et quomodo sententia Curiae O. sit confirmanda vel infirmanda in casu.* » responderunt: « *Ad*

(1) Sub nomine Apostolorum in iure veniunt Litterae dimissoriae quibus reus dimittitur a iudice inferiori ad Superiorem; qui per eas Apostolos instruitur de causa et processu.

primum affirmative. » *Ad secundum, sententiam Curiae O. esse confirmandam et ad mentem:* (1)

Mens autem fuit, ut scriberetur Episcopo, ut in Domino graviter Nicolaum hortaretur, ne animam propriam aeternae perditioni exponere velit per turpissimum concubinatum, quem sub titulo matrimonii civilis novatores contegere nituntur ; sed ubi legitimae praesto essent causae eas S. Congregationi exhiberet una cum analoga petitione ad effectum obtinendi a Summo Pontifice dispensationem super impedimento sponsalium, ac verum matrimonium, idest Sacramentum coram Ecclesia contrahendi. Ut tanto malo remedium ocissime afferri posset, mens haec pandita fuit Episcopo O. qui illico mandatis obtemperavisse videtur, dum sub die 24 Martii supplex libellus a Nicolao exhibitus fuerit Sanctissimum Patrem exorans ut dignaretur sibi libertatem, suisque et illi, cum qua culpabiliter vitam degit, animi tranquillitatem reddere. Causae quibus id petiit, fuisse 1° aversionem suam contra mulierem, adeo ut ad aliam mulierem animum adiecerit, cum qua tamen vivit in turpissimo concubinatu; 2° parentum oratoris harum nuptiarum improbationem, et agendi rationem ipsius mulieris. Adiecit Nicolaus: nunc, ob graves expensas iam peractas ad sustinendas lites, se vix persolvere posse biscentum libellas pro reparatione damnorum, et pro alimentis prolis. Episcopus de sua rogatus sententia retulit exposita per Nicolaum veritate niti.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

IURA MULIERIS. Contendit ista Nicolaum a petita dispensatione reiiciendum, siquidem gratiam contra matrimonii impedimentum concedi non posse nisi per iniustitiam ad tradita per Reiffenst. *in append. ad lib. 4 de dispens.* §. *1. num. 1. seq.* « ibi » Quamvis sponsalia solvi potius, quam » dispensari dicantur. . . . notandum quod ad dispensandum » in impedimento voti et sponsalium Pontifex necessario » habere debeat iustam causam, quia ambo impediunt matri- » monium iure divino, in quo nec valide nec licite dispensare

(1) Causa praecedens est illa, de qua hic sermo est.

» potest Papa. » Quae si de simplici sponsalium impedimento dicta videntur, potiori ratione dicenda erunt si promissioni matrimonii defloratio accesserit, tunc contractus *do ut des* intercessisse censetur, quem ex parte sua perficere debet improbus moechator. D. Thom. *in 4 dist. 28 Quaest. un. art. 2. ad 4.* Sanchez *lib. 1 de matrim. disp. 10 num. 3.* Retulit autem mulier Nicolaum confecisse civile matrimonium fraude et dolo, quamvis a variis Sacerdotibus praemonitum; et adeo dispensationem ei non esse indulgendam ne fraus et dolus ipsis, sic coniunctis, patrocinari videantur.

www.libtool.com.cn

Iura Nicolai. Favore istius notandum venit quod adstante legitima causa Summus Pontifex valet dispensationem concedere ab impedimento sponsalium. Eiusmodi causas in themate adesse etiam Ordinarius asseruit. Iam vero eiusmodi causae ad relaxandam coactionem coniugii permagni a DD. et Rota aestimantur. In Amerina *Sponsalium 8 Februarii 1841* §. *6 coram Quaglia* sic S. Rota se habet « Vi» cissim vero satis validae visae sunt causae per Vincentii » Oratores adductae, ob quas reluctatur matrimonium contra» here. Occurrit animorum dissociatio exorta ante litis initium, » quaeque per hanc litem recrudescit; occurrit propinquorum » atque praesertim Vincentii matris harum nuptiarum impro» batio; ac demum occurrit, Vincentium animum adiecisse ad » aliam mulierem, ac cum ea matrimonium praeparasse, quae » quidem causae etiam seiunctim satis sunt ad excludendam » coactionem. »

Hinc pluries S. C. Congr. dispensatione inconcessit perpendens mala quae a coactione oriri solent; ceu videre quis potest, in causa *Remotionis impedimenti pag. 185 huius operis.*

Quibus praeiactis sapientiae EE. CC. remissum fuit decernere quonam responso essent Oratoris preces dimittendae.

Resolutio. Sacra Congr. Concilii, causa ponderata sub die 25 Augusti 1877, responsum praebuit:

Consulendum SSmo: pro dispensatione ab impedimento sponsalium, solutis Theresiae saltem biscentum libellis.

PAROECIAE

www.libtool.com.cn

Die 27 Ianuarii et 3 Martii 1877.

COMPENDIUM FACTI. Inter alias Ecclesias, quae divino cultui provehendo extructae sunt in Civitate V. a fidelium pietate et illa est quae S. Maria de Podio appellatur. A saeculo usque decimo quarto cura animarum in ista exercebatur per parochum opera Capellani coadiutum, sub iurisdictione Capituli Ecclesiae Cathedralis. Verum progressu temporis, ex concessione Capituli, et de consensu Ordinarii factum est ut ad eidem Ecclesiae inserviendum assumerentur Clerici Regulares, qui Ministri infirmorum vocantur. Istius Ecclesiae reditus tenues, utpote qui vix pertingerent ducatorum aureorum sexaginta, impares erant pluribus sacerdotibus sustentandis, quod fidelium ab eisdem curandorum numerus exposcebat. Quapropter ex concessione Summi Pontificis Clementis IX, propinqua alia paroecia, in Ecclesia S. Matthaei existente suppressa, tum cura animarum, tum temporalia eiusdem bona in praedictam Ecclesiam S. Mariae de Podio in vim Apostolicae Bullae diei 9 Octobris 1668 in perpetuum translata sunt.

At primo et iterum in extensione dictae Bullae occurrit quod eadem Ecclesia tamquam *Regularis* enuncietur, quin tamen ulla opituletur concessio, quae istiusmodi qualitatem vere ac specialiter constituat; hinc exorta dubitatio est, utrum ex tenore eiusdem Bullae 9 Octobris 1668 Ecclesia haec diiudicanda sit *Regularis* vel potius saecularis.

Rector ipse precibus oblatis S. C. C. enixe expostulavit ut declarare vellet, indolem saecularem S. Mariae de Podio numquam sese immutavisse in regularem. Episcopus rogatus de sua sententia respondet:... *Concessio prima Regularibus*

facta, videtur non fuisse propria et absoluta, sed per modum praecariae provisionis. Siquidem neque consensum Capituli Cathedralis accessisse liquet, neque Tridentinis legibus derogatum fuisse.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

EA QUAE INNUUNT ECCLESIAM ESSE SAECULAREM. Eiusmodi ecclesiam fuisse saecularem, ante Regularium administrationem, ex variis elucet documentis inter quae omitti nequit sequens. Anno 1348 quidam Tinucius T. moriens testamentum condidit, in quo, *reliquit Ecclesiae S. Mariae in Podio eius Parochialis Ecclesiae in auxilio tecti novi fiendi in ipsa ecclesia vel aliis eiusdem Ecclesiae magis necessariis tres libras denariorum paparinorum pro anima sua.* Neque minori constat certitudine subiectio istius ecclesiae erga Cathedralem; in quodam enim instrumento anno 1560 per manum Notarii confecto legitur quod Paroecia S. Mariae de Podio iam ab Ordinario unita fuerat Cathedrali Ecclesiae eiusdem Civitatis.

Aliud adest argumentum ex instrumento concordiae adstipulato a Capitulo die 29 Martii 1602 cum Parocho Ecclesiae S. Mathaei; ex eodem colligitur quod cura animarum S. Mariae de Podio concredebatur Parocho S. Matthaei tamquam Capituli vicario; quoad vero bonorum administrationem dispositum fuit quod rector nullum habere possit ius in Ecclesia, in domo, in hortis, bonis S. Mariae de Podio contra Capitulum, nisi ius sepeliendi in dicta ecclesia S. Mariae de Podio.

Quibus tamen ex documentis liquet quod utcumque Ecclesia et Paroecia S. Mariae de Podio in subiectione Capituli perduraret, nihilominus propriam personalitatem moralem numquam amisit. Itaque unio praedictae Ecclesiae cum Cathedrali ab Ordinario peracta, haud alia diiudicari exinde potest quam illa, in qua altera Ecclesia ita alteri adnectitur, ut utraque in propria individualitate permanente, altera alteri subiecta sit atque ab eadem dependens. Unio nempe *accessoria* et *subiectiva*, qua illa Ecclesia, quae nobilior est, tamquam mater

exinde censeatur; minus autem nobilior, filialis evadat. Ita de communi Canonistarum sententia tradunt Fagnanus in cap *novit. ne Sed. vac. et* Reiffenstuel *iur. can. 3. tit. 12. §. 1. n. 42.* « ibi » *quando duo Ecclesiae ita uniuntur, ut non coalescant in unum corpus, sed una sit superior, altera inferior, et accessoria alteri... talis unio appellatur accessoria seu subiectiva. In tali casu Ecclesia principalis, seu illa, cui accessorie altera unitur, censetur tamquam mater; et ecclesia unita tamquam filia.* Atque in subsequenti n. 50. « ibi » *per huiusmodi unionem accessoriam unius ecclesiae ad aliam alterari non debet status Ecclesiae unitae, sed debet in tali ecclesia more solito deserviri; atque tale servitium praestandum est per vicarium vel perpetuum, vel temporalem, iuxta diversitatem beneficiorum.*

Indolem saecularitatis huius Ecclesiae immutari nequire per illius exercitium a Capitulo concessum Clericis ministrantibus infirmis indubium videtur. Nam a disciplina Ecclesiae haud alienum est, quod Regulares beneficia curata obtineant vel ob fidelium necessitatem, vel ad propriam sublevandam inopiam. *Pignattelli tom. 8. consult. 44. n. 2. Engel coll. univ. iur. can. l. 3. t. 37. §. 1. n. 8.* « ibi » *Communis est doctorum sententia, Religiosos de iure generaliter capaces esse beneficiorum saecularium curatorum, et ita ob favorem Curae, et spiritualem utilitatem animarum.* Servitium per Regulares Paraeciis praestitum efficere nequit ut ipsae fiant regulares; ita ut si ad saecularem Ecclesiam regendam Regulares vocentur, saecularitatis conditionem ipsa conservet; ita post *cit. DD. Card. De Luca de iurisd. disc. 30. n. 3. et de Regularibus disc. 64. n. 4.* « ibi » *Status saecularis recte compatibilis est cum usu, quem habeant Regulares, siquidem non omnis ecclesia, cui Regulares inserviant, dicenda est Regularis; sed illa quae per eosdem fundata, seu constructa sit, tamquam pars vel membrum Monasterii seu conventus; adeo ut Superior Regularis dicatur eius Praelatus vel Rector. Secus autem ubi Ecclesia iam existens in statu saeculari, atque habens proprium re-*

www.libtool.com.cn

clorem eis praecario concedatur ad hoc ut in ea divina officia peragere valeant, quoniam erit Ecclesia saecularis, cui compatibiliter Regulares inserviant. eodem modo quo Ecclesiae regulari inservire possunt Clerici saeculares. Accedit Rota romana in *Neapolitana Translationis* 11 Februarii 1701. §. 3. coram Molines. « ibi » *Ecclesiae concessio secum non fert de necesse ipsius immutationem de statu saeculari ad regularem; sed optime verificari potest de simplici usu Ecclesiae, ad effectum ut a Patribus officiaretur, in eaque cultus divinus promoveretur, cum inter se compatiantur, simulque stare possint Ecclesiam esse saecularem, et nihilo minus officiari, ac divinum in ea a Regularibus haberi.*

www.libtool.com.cn

Nihil autem esse immutatum in statu Ecclesiae S. Mariae de Podio per administrationem a Regularibus susceptam, ex eo deducitur quod numquam ne verbum quidem fiat de eiusdem conversione in Ecclesiam regularem, neque constet omnino de beneplacito Apostolico, quod ad eiusmodi conversionem faciendam intercedere oportuisset iusta decretum S. C. Trident. *Sess. 24 cap. 13 de ref.* Quinimo Ecclesia ista suam moralem personalitatem ab Ordine Regulari independentem servavit tum bona sua in tabulis censualibus inscribendo, tum quoque bonorum eorumdem administrationem suo nomine retinendo.

Attamen obiicitur: ex Bulla Clementis IX, ecclesia illa pluries vocata fuit regularis. Sic enim decretum est per eamdem Bullam quum eidem Ecclesiae adnexa fuerunt bona alterius Parochiae S. Matthaei « *ita ut deinceps perpetuis futuris temporibus tam parochialis Ecclesiae S. Matthaei cum omnibus functionibus curialibus et parochialibus, quam Capellaniae praefatarum servitium divinum in dicta Ecclesia Regulari S. Mariae de Podio fieri debeat, dicta auctoritate transferas, et subinde ecclesiam Regularem S. Mariae de Podio huiusmodi in Parochialem Ecclesiam eadem auctoritate etiam perpetuo erigas et constituas.* » Huic obiectioni respondendum est quod expressiones eiusmodi novum statum

a praecedenti conditione omnino diversum, et qui ex pura ac simplici *suppositione* enunciatur, per se nullatenus valent constituere, quum omnibus scitum sit, quod « *qui supponit non disponit.* »

www.libtool.com.cn

Quum Summus Pontifex Bullam concessisset non ut *principaliter* Ecclesiam S. Mariae de Podio Regularem declararet, atque a iurisdictione Ordinarii eximeret; sed ut bona Paroeciae S. Matthaei eidem applicaret, ideo manifestum est quod enunciatio regularitatis non est propterea probata, nec satis valet iustificare privilegium exemptionis, Et proinde ceu antea erat Ecclesia saecularis, atque Ordinario subiecta, talis deinceps quoque permansit, perinde ac si de eiusdem regularitate vel exemptione nullatenus fuisset memoratum. Testualis est circa hoc dispositio *cap. Papa de privileg.* 6. « ibi » *Papa in aliquo privilegio vel scriptura, non facta principaliter super donatione, vel sententia exemptionis, seu etiam libertatis, aliquam ecclesiam ad ius et proprietatem Romanae Ecclesiae pertinere, vel consimilia verba narret, non propterea illius Ecclesiae exemptio est probata, nisi deliberate aliter doceatur.* »

Quapropter quum Regularitas ipsa haud esset obiectum principale Bullae illius, ideo expressiones illius adhibitas fuisse retinendum est non ad regularitatem constituendam; sed iudicandae veniunt tantummodo *praesuppositivae* seu *enunciativae.* Atque ideo nihil efficaciae aut valoris induisse, quominus ex eorumdem inscriptione status Ecclesiae immutatus censeatur. Nam de verbis *praesuppositivis* atque enunciativis communiter traditur, ut aliquam *novam dispositionem non importent* sed res ac iura in eodem statu relinquant, in quo, seclusis ipsis verbis, antecedenter iam erant. Card. de Luca *de regalib. disc. 55 num. 7.* « ibi » *Praetendebant Camerales adesse Papae voluntatem comprehendi sub ista gabella etiam ecclesiasticos, stantibus Capitulis appaltus a Pontificibus pro tempore in quocumque appaltu per chirographum confirmari solitis ..... quia dictum Capitulum non loquitur dispositive, sed praesuppositive, quod non importat novam*

dispositionem, quia qui praesupponit non disponit, ex deductis per Gregor. adden. decis. 208 n. 2 et 7 et in specie rescripti praesuppositivi Papae vel S. Congregationis docet Romana haereditatis 28 Aprilis 1659 cor. Meltio.

www.libtool.com.cn

In casu autem Rota Romana in *dec. 615 n. 17 coram Olivatio* ita decrevit « ibi » *Et hinc momento praeterea caret, in contractibus, in iudiciis, in collationibus vice nuncupationis Xenodochii frequenter cerni et occurrere nuncupationes alias Conventus et Ecclesiae conventualis. Quotquot enim sunt diversae huiusmodi nomenclaturae, tanti certe non sunt, ut inducant mutationem Hospitalis non elicitam aliunde.* » Atque in sequenti num. 20 « ibi » *non immunia quidem suspicionis sunt eadem verba, sive quidem furtim prolata ex suggestione Canonicorum S. Sepulchri conantium omni aevo subducere Hospitale a iurisdictione ordinarii, sive quia inest iis nominibus error, qui non potest non apparere, perlectis spectatisque tabulis originariae fundationis. Nihil autem familiarius quam ut erroneis enunciativis non credatur.* » l. *filiabus et* l. *si servus plurium* §. *fin. ff. de legat. 1. Rota in rec. decis. 111 n. 43 part. 3 tom. 1 dec. 161 n. 2 part. 10 et cor. Emo Crescentio decis. 285 num. 12.*

EA QUAE INNUUNT ECCLESIAM ESSE REGULAREM. His non obstantibus, quae usquedum notata fuerunt, haud omni rationis fundamento destituitur qualitas Regularitatis in dicta Ecclesia. Nam ab ipso exordio administrationis a Clericis praenominatis captae, animarum cura Capitulo Ecclesiae Cathedralis subducta videtur, atque independenter per eosdem Clericos exercita. Et nullus actus aut documentum exhibetur nullum, quo demonstrari possit subiectio illius paroeciae erga Capitulum: neque religiosi illi unquam Capituli auctoritatem interposuerunt in administratione explenda tum spirituali, tum temporali. Quod quum ab initio incepisset validam suppeditat praesumptionem, tam ecclesiam, quam animarum curam, non quidem precario sed absolute, atque omni prorsus subiectione exclusa, eosdem Religiosos adeptos fuisse. Proinde si haec

in facto impugnari nequeant, Capitulum Ecclesiae Cathedralis neque Religiosos ab illa Ecclesia removere amplius potest, neque clericum saecularem ad Paroeciam gubernandam delegare; ita in *cap. 5 de praeb. 6.* « ibi » *quando vero scribitur, ut provideatur de alieno prioratu alicui clerico saeculari, provideri non potest de prioratu qui per religiosos (iuxta modum praemissum) est solitus gubernari nisi hoc in litteris caveatur.*

www.libtool.com.cn

In facto et in iure hisce consistentibus, videretur quod Ecclesia et Paroecia de S. Maria in Podio regularitatem adepta fuerit; nam Religiosa familia in parochialem domum aucta, eademque domo in monasterio exinde conversa, pleno iure ut aiunt Canonistae, eidem Monasterio incorporata est paroecia; ita ad rectoris provisio nonnisi quam ad superiorem pertineat ipsius Monasterii, penes quod semper remanet titulus parochialis; Reiffenstuel in *iur. can. l. 3. tit. 37 n. 2* « ibi » *Pleno iure censebitur Monasterio beneficium unitum vel incorporatum, quando praeter ius percipiendi reditus temporales, etiam administratio spiritualium, seu cura animarum in Monasterium est translata.* » Atque in sequenti *n. 5.* « ibi » *In ecclesiis curatis incorporatis pleno iure Monasterio pertinet provisio Rectoris ad solum Superiorem Monasterii; potestque is Vicarium etiam temporalem et ad nutum amovibilem, sive regularem sive saecularem constituere,* Barbosa *de off. et pot. Ep. alleg. 72 n. 189* Engel *hoc tit. n. 11. arg. Clem. I. et ibi Gloss. vers. ad mensam de excess. praelat.* « ibi » *Licet administratores eiusmodi libere possint ad Claustrum (cum oportuerit) revocari. — Ratio communiter assignatur illa quia in huiusmodi beneficio non fit propria institutio, sed potius provisio aliqua administratoria; quum titulus semper penes Monasterium remaneat, et propterea numquam proprie vacare censeatur.*

Defectus vero beneplaciti Apostolici obesse nequivit huic exemptioni a Capitulo, et consequenti exinde Regularitati; quoniam eiusmodi beneplacitum intervenisse praesumitur ex

possessione tam diuturna, quae a vocatione praedictorum Regularium, ab saeculo nimirum decimoseptimo ad praesentem usque diem obtinuit. Etenim scitum est in iure quod beneplacitum Sedis Apostolicae praesumitur intercessisse ex uno decursu triginta annorum. Gonzalez *com. ad reg. 8 cancell. gl. 12 n. 76* Rota Romana *dec. 159 n. 4 part. 1. rec. in Sulmonen. iuris participandi 3 Martii 1752* §. *10 cor. Beaufort. et Veliterna immissionis 10 Decembris 1828* §. *3 cor. Emo Patrizi et Veliterna reintegrationis 7 Dec. 1829* §. *7 cor. Ruspoli* « ibi » *Praesumendum omnino est Apostolicum beneplacitum fuisse imploratum, siquidem ex solo triginta annorum spatio, quo rerum Ecclesiae alienatio steterit incolumis, contrahentes illud esse consequutos semper existimatum, iudicatumque fuit.*

In specie autem persimili Card. De Luca videtur haud admittere in hac materia necessitatem Apostolicae veniae, *disc. 64 de Regular. n. 9.* « ibi » *Quamvis enim in hac specie alienationis spiritualis non intret necessitas solemnitatis Beneplaciti Apostolici ad praescriptum Extravag. Ambitiosae, attamen intrant aliae solemnitates ad praescriptum antiquorum canonum, ac etiam necessitas iustae causae. Istud fundamentum (reflectendo ad veritatem) videbatur parum tutum, quoniam stante lapsu tam diuturni temporis annorum fere quinquaginta, intrabat praesumptio solemnitatum ac iustae causae, quae resultat ab osservantia temporis longissimi triginta annorum. Et quamvis scribendo more advocati deducerem Constitutionem Urbani VIII dirimentem hanc praesumptionem, attamen motivum erat fallax, tum quia percutit illas alienationes, vel concessiones, in quibus est necessarium beneplacitum Apostolicum; tum etiam quia procedit cum saecularibus, non autem inter Ecclesiasticos.*

Quibus praenotatis iudicio EE. CC. remissum fuit perpendere quonam responso essent dimittendae preces Rectoris S. Mariae de Podio.

Verum die praedicta S. C. C. censuit respondere — *Dilata et coadiuventur probationes.*

Episcopus ut pleniores porrigeret informationes rogatus, retulit: « ut S. Ordinis mandata implerem Acta SS. Visitationum disquisivi. Iam vero ab iisdem eruitur. — 1. Ecclesiam S. Mariae de Podio a Capitulo Cathedrali concessam fuisse Clericis Regularibus infirmis in estremo agone ministrantibus anno 1603. 2. Paroeciam S. Matthaei una cum respectivis reditibus in praefatam Ecclesiam S. Mariae de Podio, anno 1668 fuisse translatam, et uti talem, idest *uti paroeciam* semper ab Episcopo V. pro tempore fuisse visitatam. »

www.libtool.com.cn

RESOLUTIO.

Hisce noviter patefactis, S. C. C. causa cognita, sub die 3 Martii 1877 respondebat:

Secundum ea quae proponuntur non constare de mutatione status Ecclesiae saecularis in regularem.

EX INDE COLLIGES.

I. Censeri et esse regularem illam Ecclesiam, quae per Regulares fundata aut constructa fuerit; nam eo in casu eadem habetur ceu membrum Monasterii seu Conventus; ita ut Superior Regularis dicatur eius Praelatus vel rector.

II. Haud vero regularem dici posse ecclesiam saecularem, quae proprium habeat rectorem, quatenus precario Regularibus concessa fuerit eo consilio ut in eadem divina perageret officia; cum insimul stare queant ecclesiam esse saecularem et nihilominus officiari a Regularibus.

III. Pariter Ecclesiae concessionem puta Regularibus factam haud secumferre necessario ipsius immutationem de statu saeculari ad regularem; cum agi queat de simplici usu Ecclesiae eisdem Religiosis concessio, ut inibi divinum exerceant cultum.

IV. Per Romanorum Pontificum Bullas haud privilegia vel exemptiones concedi, si ad hoc principaliter datae non fuerint; sed in eisdem Bullis tum privilegia tum exemptiones nominentur modo enunciativo vel praesuppositivo; quum de verbis enunciativis aut praesuppositivis traditum sit quod *novam dispositionem non importent.*

www.libtool.com.cn

V. Quapropter etsi in themate Bulla Pontificia primo atque iterum ecclesiam S. Mariae appellet regularem; cum tamen Bulla eiusmodi data principaliter haud fuerit ad eiusdem Ecclesiae regularitatem declarandam, sed ut eidem bona alterius paroeciae adiicerentur, ideo privilegium exemptionis haud probatum manet.

EX S. CONGR. RITUUM

URBIS ET ORBIS

www.libtool.com.cn

CONCESSIONIS TITULI DOCTORIS ET EXTENSIONIS EIUSDEM TITULI AD UNIVERSAM ECCLESIAM NEC NON OFFICII ET MISSAE SUB RITU DUPL. DE COMM. DOCTORUM PONTIFICUM.

IN HONOREM

S. FRANCISCI SALESII

EPISCOPI ET PRINCIPIS GENEVENSIS

Mira divinae providentiae dispensatio in Ecclesia Christi regenda et conservanda tum ex aliis se prodit luculentis iudiciis, tum ex eo praeclarissimo, quod oborientibus, labente aetate, novis haeresibus, strenuos in aciem producat veritatis adsertores, vitae sanctimonia et scientia eximia praestantes, qui adversus irrepentes errores, pro sana doctrina decertent, verboque atque scriptis acriter filiorum tenebrarum audaciam confringant. Ita contra grassantem Arianam luem Athanasium et Hilarium Deus excitavit, Macedonio Basilium opposuit, Helvidio Hieronymum, Pelagio Augustinum, Cyrillum deinde Nestorio, Leonem Magnum Eutycheti. Ast luctuosam haeresum historiam consideranti nulla tetrior latiusque patens facile innotescit pestis extitisse, quam quae Luthero, Calvino, et Zuinglio ducibus, saeculo XVI immanes peperit in Europa universa corporum et animarum clades. Adversus hanc luem nocentissimam Deus S. Franciscum Salesium excitavit, veluti scite animadvertit Cardinalis Maculanus in suffragio quod tulit pro illius canonizatione scribens. « *Visitavit nos Dominus in virga furoris sui, permissis Europae provinciis haeresum obrui tenebris, at ne videretur plebem suam repulisse, B. Franciscum Episcopum Genevensem triumphavit in Christo Jesu et odorem notitiae suae per eum manifestavit.* »

Quamvis alii haeresi funestissimae obstiterint, nullus adhuc, excepto Francisco Salesio, duabus simul praefulsit dotibus coniunctis, quae in Ecclesiae Doctore requiruntur, nimirum quod in albo sanctorum fuerit adscriptus et eminenti doctrina excelluerit. Cum utrumque in S. Genevensem Antistitem conveniat, iure meritoque permulti S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi ab Apostolica Sede, Vaticani Concilii tempore, postularunt ut universalis Ecclesiae Doctor renunciaretur, et modo (praeeunte ac iudicium instituente Revmo Episcopo Anneciensi) flagitant iterum, adiectis precibus innumeris aliorum fidelium, tum ex Clero, tum ex laicis, ex omni ordine hominum, quorum plures praecelsa dignitas, plures egregia doctrina commendat.

Cum sanctitas et eminens doctrina duo sint dotes quae adesse debent ut quispiam oraculo Sedis Apostolicae Doctor Ecclesiae renuncietur; quoad sanctitatem nil est adlaborandum quia a sa. me. Alexandro VII die 13 Kalendas Maias anno 1665 Franciscus Salesius Sancti nomine et cultu decoratus est. Tota igitur controversia, ait Advocatus, quoad eminentem Sancti doctrinam versatur.

Causae Patrocinator duplici argumentorum genere usus est ut evinceret eminentem doctrinam Salesii, seiungens nimirum intrinseca ab extrinsecis argumentis.

Argumenta intrinseca. Idem Patrocinator etiam bifariam explicavit eiusmodi intrinseca argumenta; primo enim praestantem Salesii doctrinam in seipsam perpendit; nempe in iis elementis unde constabat, et praesidiis, quibus instruebatur; praeterea eamdem arguit ex scriptis, quae S. Antistes posteritati reliquit.

Quoad scientiam S. Francisci in seipsa considerata. Tria sunt quae doctum ac sapientem virum effi iunt: sollers ac celer ingenium ad optima quaeque addiscenda comparatum; tum bonarum disciplinarum accedat oportet assidua et recte progrediens cultura; demum remotio impedimentorum omnium quae sunt inimica sapientiae, quae scilicet tenebris offundere mentem, eamque abstrahere a veritate, vel progressus in scientia possint retardare. Iam vero haec tria in Nostro perbelle congruebant; nam primo quidem summam in eo fuisse vim ingenii et exquisitum animi iudicium coaevi scriptores mira concentione declarant. Hoc sane discimus a Karolo Au-

gusto Salesio, cuius historia de patrui vita magno in pretio a S. R. Congregatione habita est. Appellat Franciscum *Virum profundae cogitationis, maturi iudicii, tranquillissimi ingenii*. Haec autem facultas ingenii et animi vis quantopere explicari et erigi debuerit, optimis quibusque disciplinis exculta et expolita nemo non intelligit. Inerat Francisco adhuc puero vehemens discendi cupido; et si pietatis exercitia excipias, nihil prae studio appetebat, et *cum de imbuendo litteraria cognitione puero cogitatum est* (ceu refert Kar. Aug. Salesius) *idipsum puer expetebat impendio, per dies integros, si quando librum habebat, volvendis sponte foliis, noscendisque caracteribus sedulam navabat operam*. Crevit haec cupiditas idoneum nacta pabulum, mentisque viribus per aetatem evolutis. Explicat Card. Iulius Sacchetti in relatione causae canonizationis S. Episcopi quomodo vasta eius mens scientias fere omnes complexa fuerit. « *Disciplinas aptus ad omnes, propensus ad singulas, humanas divinis perfecit.* » Varios autem eorum gradus exponit Bulla canonizationis in qua legitur (§. 2.) « *Ab infantia ad pueritiam per pietatis simul ac sapientiae gradus evasit. Orationi vacabat inter studia litterarum.* » Mox vero subdit (§. 3.) « *Inde sacro chrismate roboratus ad altiora tum virtutis tum doctrinae ornamenta complectenda se contulit, ut opportunius atque utilius divinae gratiae instrumentum fieret. Sortitus enim animam bonam eamdem optimam reddit accuratiore studio tum litterarum, tum morum* (§. 4.). *Humanioribus litteris in Collegio Anneciensi perceptis, philosophiae theologiaeque arcana in Accademia Parisiensi didicit.* » Dein voto enarrato, quod in aede Deiparae nuncupavit, sic pergit (§. 5.). « *Hoc voto veluti pharmaco salutari roboratus ad iurisprudentiam capessendam accessit Patavium. . . . Absoluto studiorum curriculo Romam se contulit. Igitur sui et mundi victor in patriam remigravit, ut fructus legeret litterarii laboris. Nec spem fefellit aut suam aut civium.* »

Refert autem historicus Hamon, quod vir sanctus in varia et multiplici disciplina mirabiliter profecerit. Versatus in antiquitatibus tum sacris tum profanis maxima utebatur consuetudine cum eminentibus philosophis ceu sunt Aristoteles, Plato, Epitectus et Seneca; probeque callebat historicos Graecos et Latinos. Mirabilis in iurisprudentia canonica et civili

scientia Francisci evincitur per litteras quas universitatis Patavinae moderator eidem concessit cum doctoris lauream consequutus fuerit. « Illustrem D. Franciscum de Sales . . . . in » iure Pontificio et civili diligenter et acriter examinandum » et excutiendum curavimus, qui locis persequendis, argu- » mentis tractandis, quaestionibus solvendis, in omni denique » periclitatione sui tam egregie, bene, docte, honorifice, » laudabiliter et excellenter se gessit, talemque ac tantam » ingenii, memoriae, doctrinae, caeterarumque rerum, quae in » consummatissimo iurisconsulto requiri solent, vim ostendit, » ut magnam sui expectationem non solum sustinuerit, sed » etiam longe superaverit; et ob eam rem ab omnibus ex- » cellentissimis dicti sacri Collegii doctoribus ibidem existen- » tibus unanimiter et concorditer, cunctisque suffragiis, ac » eorum nemine poenitus discrepante aut dissentiente, nec » esitante quidem, approbatus fuit. »

Biographus Hamon prosequutus, quod alii historici retulerunt de S. Francisco, asseruit istius scientiam in rebus divinis fuisse late diffusam et incredibilem. Verumtamen historicorum veritatem vindicat imprimis sa. me. Pontifex Clemens VIII, coram quo (adsistentibus S. R. E. Cardinalibus aliisque theologis doctissimis) Vir sanctus doctrinae suae periculum fecit, quum subiit examen antequam ad Episcopatum proveheretur. Gravissimum praedecessoris sui iudicium his verbis refert Alexander VII in Bulla canonizationis: « Episcopus » (Genevensis) eum sibi coadiutorem episcopalis curae desti- » navit, rogavitque memoratum praedecessorem nostrum Cle- » mentem, ut Franciscum, quem Romam ob Catholicae Fidei » negotia mittebat, huiusmodi dignitate ornaret; quod idem » Clemens libentissime praestitit; cognitaque eius doctrina » per examen de more interrogata, eumdem ad pedes devo- » lutum his verbis dimisit. *Vade fili et bibe aquam de ci- » sterna tua, et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras, » et in plateis aquas tuas divide.* » Quae verba expendens Praesul Giarda in historia vitae S. Francisci aiebat; *verba haec ita illustria de S. Scriptura ad nobilitandum sufficerent quemlibet S. Ecclesiae Doctorem.*

Constat igitur vastam et profundam fuisse S. Viri scientiam impenso ac diuturno studio acquisitam, quae ex abundanti florebat cognitionum varietate et copia. Haec discipli-

narum multitudo et varietas in angustis animis turbolentam gignere solet confusionem; secus erat in Francisco, qui, coaevo scriptore testante. « *perfectam habuit altiorum mysteriorum intelligentiam, divinarum atque humanarum universalem peritiam; ast singulare genium in sua universalitate, quod illius solummodo proprium est, in dispescendis affabre rebus omnibus.* Duabus evinctis causis, ex quibus solida et eminens scientia gignitur, easque in Salesium apprime congruere, de tertia dictum est, quae est remotio impedimentorum, quae sunt inimica sapientiae, quae scilicet tenebris offundere mentem, eam a veritate abstrahere, vel progressus in scientia possint retardare. Iracundiam impatientem et coenum lasciviae impurum sapientiae obstare potissimum divinum docet effatum: *In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Iamvero dulcissimam S. Viri lenitatem, tot et tam manifesta documenta praedicant, ut eius nomen etiam imperitissimis evangelicae suavitatis significatio sit. Ex hac animi tranquillitate mira propensio ad ordinem et aversio summa a praecipiti temeritate oriebatur. Animus tam bene comparatus, non modo illud assequebatur, ut impedimento careret ad scientiam naviter colendam, sed etiam ut opera quae edebat perfectissima evaderent. « Erat » Franciscus Salesius (inquit Carolus Augustus Salesius) Vir... » tranquillissimi ingenii, quod nullus mortalium perturbare » unquam potuit, sicque dispositi ut quod hodie faciendum » haberet in crastinam diem non differret, et quod cras raro » (nisi ex prudentia) hodie urgeret; negotiositatis inimicus, » omnium patiens..... ac denique numeris omnibus absolutus. » Idem in conscribendis libris, quod in negotiis expediendis evenire oportebat; ac sane remota perturbati animi impatientia, omne quod necessum erat tempus in iis, mente sedata occupabat. Ad hoc ab unguiculis assueverat; nam cum Anneciensi Collegio litteris addiscendis vacaret, puerum omnes mirabantur, qui « in contexendis quatuor vel quinque periodis per horam aliquando mansit immobilis. » Eadem patientia fuit in Patavina Universitate: et e discipulo doctor effectus tam patientem ac diuturnam conscribendis libris operam conferebat, ut post biscentas paginas perlectas voluminis in folio, quatuordecim Theotimi sui lineas exararet.

At lucidae veritatis intuitum non minus sordes cupiditatis

impurae, quam iracundi et impatientis impetus animi impediunt. Porro ab hisce sordibus nemo longius abfuit quam noster, qui virginitatis votum in adolescentia coram simulacro Deiparae nuncupatum sic implevit, ut non humanis sed Angelicis moribus praeditus videretur. Ac merito Alexander VII votum illud appellat salutare pharmacum, quo roboratus vir sanctus ad iurisprudentiam capessendam accessit. Quid commune sit iurisperitiae cum castimonia non omnes intelligunt, ut intellexit in Salesio vir clarissimus Guido Pancirolius, qui in laurea doctorali ei conferenda *promovit eum magnis cum laudibus, sed praecipue cum observatae castitatis exemplo et encomio;* quasi hoc praesidium et instrumentum esse persentiret, quo ad veritatem in scientiis assequendam facilius ascenditur. Quantum autem proficiat haec cordis munditia ad sacrorum bibliorum intellectum plenioremque rerum divinarum notitiam, aperte docuit Praeceptor divinus memorabili effato: « *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt* » cuius sententiae vim, quoad rem, de qua agitur, diserte explicarunt scriptores catholici, quotquot locum illum Evangelii interpretati sunt.

De superbia quae mentes obnubilare solet neque loquendum, cum praeclara S. Viri mansuetudo nonnisi ex summa animi demissione germinaverit. Nec de amore profani solatii et inerti desidia (quae duo solidae scientiae acquirendae maxime officiunt) aliquid dicendum est; dum ab his Sanctus abhorruit, et nullam temporis particulam negotio vacuam praetermisit. Quinimo ipsae pietatis exercitationes et labores quos sustinuit ad gloriam Dei, nobile instrumentum vel causa extiterunt ad scientiam augendam et aureos libros conscribendos quibus coaevos et posteritatem edocuit.

Etiam acuebatur acerrimi defensoris catholicae veritatis ingenium in ecclesiasticis negotiis explendis, et in ipsis hostium aggressionibus. Nam saepe certandum erat cum hominibus scientia et mentis acumine praeditis, quorum fraudes obiectorum sophismatum solvendae erant. Hinc nova quotidie e penu mentis instructae, et e sacrae scientiae fontibus erant arma promenda, corda simul movenda erant et mentes illustrandae. Ex ipsa palaestra exercitae vires augebantur; et atleta nobilis doctior quotidie et instructior redibat ad certamen. Hinc demonstratum videtur, ait Patrocinator, doctrinam

S. Francisci Salesii eminentem habendam esse, si ipsa in se spectetur, in elementis unde constabat, et in praesidiis, quibus instruebatur. Praeterea scientiae humanis viribus et instrumentis partae, alia nobilior accessit divinitus infusa; et huius rei testis ineluctabilis auctoritatis prae primis se sistit S. Ioanna Francisca de Chantal quae retulit. « Sufficiebat eum » adire ad comperiendum eidem dedisse Deum fidei donum » eminentiori perfectione; eumdemque ditavisse peritia extra- » ordinaria quoad mysteria, sacrarum Scripturarum sensum, » veramque Ecclesiae doctrinam. »

Ad innuendum etiam divinitus scientiam in Salesio inditam fuisse sufficiat testimonium Benedicti XIV qui idoneus atque iustus scientiae sanctorum aestimator est. « Si non so- » lum (ait loquens de Salesio), ab omni errore sint immunes, » libri servorum Dei, sed etiam Ecclesiae proficiant, et eo » magis *si scientia divinitus acquisita conditi fuerint*, ce- » teris ad sanctitatem concurrentibus requisitis, possit eorum » haberi ratio in discussione virtutum. Quocirca Cardinalis » Iulius Sacchettus in relatione quam fecit Consistorio de actis » in causa S. Francisci Salesii, ita de eius operibus locutus » est. — Vivit etiam in aureis et Seraphicis opusculis ab eo » editis, quae uberrimos in toto christiano orbe fructus par- » turiunt. » Quid hoc testimonio gravius aut splendidius afferri posset?

Ast non solum spiritus intellectus et cognitiones extraordinariae, sed ipsa dicendi facultas et forma, qua S. Episcopus praestabat indita a Deo visa sit, Alexandro VII, qui in Bulla canonizationis, haec de ipso praedicavit: « *Valebat enim summa et efficacissima dicendi potentia, quam illi e coelo conciliaverat summa cordis innocentissimi sanctitas.* » Et quamvis plures testes Apostolum, ob divinam scientiam eum appellent, satis Patrocinatori fuit sanctum Franciscum Ecclesiae Doctoribus aequare. Quod ut perficeret verbis usus Patri Francisci de Rubeis qui iam Fidei Vindex, quum pro veritate votum edere coactus fuerit, scripsit: « Libentissime fateor rem in eo » statu esse quod tuto valeat ad solemnem eius canonizatio- » nem deveniri, ut in sacerdotali ordine *post mellifluum Am-* » *brosium alterum extet exemplum*, etiam via lactis et mellis » ad summum christianae pietatis et charitatis fastigium posse » ascendi. » Quae verba ad doctrinam certe, non ad vitam

et mores referuntur, scitum est enim, Ambrosium et Franciscum in se fuisse austerrimos, et utrumque per asperum et salebrosum tramitem, non via lactis et mellis, ad excelsum sanctimoniae culmen pervenisse.

www.libtool.com.cn

QUOAD SCIENTIAM EX OPERIBUS S. FRANCISCI DEPROMPTAM. Omnes fatentur opera S. Francisci innumeras conversiones patratas fuisse; verum nonnulli falso opinantur quod haec trophaea virtuti potius et concionibus Sancti viri, ore prolatis, quam libris eius adscribenda sint. Haud ita tamen se res habet; magnam enim huius gloriae partem scripta ab eo exarata suo iure sibi vindicant. Hoc illi decus adserebat Emus Card. Franciscus Barberini Episcopus Portuensis in suffragio quod tulit pro eius canonizatione: « Is enim est (inquit) qui » coelestis gratiae radios indutus, in regione criminum tenebrosa, fidei lumen effulsit, qui virginitate insignis sanctimonialibus laudatissimis institutis leges praescripsit, *qui* » *piis doctisque lucubrationibus plurimos ad veram Christi* » *religionem traducens* cunctis etiam pervium coelum ostendit. » Eminentissimi Consultores confirmarunt quod plures Cardinales asseruerant. Sic inter alios Consultor Archiepiscopus Amacensis. « Per libros sapientissime scriptos, et per » constantes labores innumeras animas a peccato praeservavit. » Pariterque Episcopus Camerini: « Quot sacris concionibus, quot *libris scriptis*, quot disputationibus publicis, » quot privatis sermonibus convictos ad Christi ovile reduxit! » Eadem de causa Episcopus Minorensis Salesium laudabat « qui *scriptis immortalibus* fidem asseruit, mores emendavit, vitia evertit, haereses confutavit. »

Laus eiusmodi, quae scripta Salesii exornat, ad ea potissimum pertinet, quae data opera ad tuendam veritatem catholicam et haereticos refutandos exarata sunt. Karolus Augustus Salesius Tullianus fratris filius, successor et biographus S. Antistitis enarrat. « Reperimus duodecim codices magnos manu » propria scriptos Ven. Servi Dei et praedecessoris nostri » Francisci de Sales, in quibus agitur de multis theologicis » punctis inter catholicos Doctores et haereticos controversis, » praesertim circa auctoritatem Summi Romani Pontificis, » aut Vicarii Iesu Christi et Successoris Divi Petri. » In auctoritate hac explicanda copiose et solide loquutus est de Ro-

nani Pontificis infallibilitate, ita ut dici possit quod feliciter Vaticani Concilii decretis praeluserit.

Praestantiam et meritum huius operis coaevi et posteri summis laudibus extulere, et merito quidem; nam docte, dilucide ac nervose, et propria quadam methodo et forma plenam praebet demonstrationem articulorum fidei, quos acatholici eius aetatis impugnabant, et istorum argumenta strenue refellit. Si autem comparemus quae vir sanctus scripsit de praerogativis Apostolicae Sedis, cum iis quae deinceps ad convellendos errores oppositos Ecclesia definivit atque constituit, vix aliquid reperiemus Francisci libris addendum, nihil certe quod ab iis quae definita sunt deflectat. Imo si quis conferat nonnullas *Controversiarum* pagellas cum prima Vaticanae Synodi constitutione de *Ecclesia Christi* mirari cogitur videns, quam apte inter se congruant: eaedem propositiones definitae, eadem sunt argumenta praecipua, eadem orationis et sententiarum connexio, eadem saepe verba et locutiones.

Facile ergo intellectu est, ea praeconia laudis quibus Emi Cardinales et Consultores S. R. C tempore Alexandri VII, honestarunt scripta S. Episcopi, quibus catholicam doctrinam contra haereticos tuebatur, ad controversias potissimum pertinere. Profecto lucubrationes illae *haeresim intime percellebant* et maximam attulerant utilitatem, prout oraculo suo pronunciavit Alexander VII in Bulla canonizationis inquiens: « Studiosius accuratiusque in Ecclesiae defensionem incubuit, » et cum voce prohiberetur adiuvare populorum fidem, coepit » ex scripto, pluribus confectis libellis evulgatisque thesibus, » intime haeresim percellere, tantumque effecit ut Tononi pa- » rochiam erexerit, et paulo post, cum insigni religionis ca- » tholicae incremento, plures ad veritatis lumen viros doctrina » celebres, quorum praecipue auctoritate mendacium niteba- » tur, adduxit. »

Post volumina controversiarum memorare oportet libros quatuor quos s. Auctor *Vexillum Crucis* inscripsit. Duplex huius operis meritum apparet; nam eius praestantia constituitur ex parte polemica et ex parte ascetica; in utraque apicem pertingit sanctus Auctor.

Pari veritatis tuendae studio et pari copia doctrinae certavit vir sanctus cum Ludovico Vireto, qui non minus impias de SSmo Eucharistiae Sacramento, quam de immaculatae Vir-

ginis puritate blasphemias effutiverat. Hinc duplex opus S. Episcopi quod in Actis canonizationis eius multa cum laude commemoratur.

Verum supererant refutandae blasphemiae Calvini, qui perosus cultum Deiparae praestitum, contra usum salutationis Angelicae invehebatur. Ad tuendam piam consuetudinem, Sanctus doctam scripsit tractationem sermonis instar, et cuius tantum fragmentum superest. Elegantem etiam scripsit dialogum super praecipuis religionis dogmatibus, cuius memoria tantum extat.

www.libtool.com.cn

Maior vero et tristior ea iactura est quae nobis eripuit librum alium a S. Episcopo perscriptum, cui titulus : « *Tractatus de daemonomania seu de energumenis ;* » supersunt adhuc plures ex iis concionibus, quibus fidem catholicam asseruit et illustria conversionum prodigia patravit. Testatur autem in compendio pluries laudato. « Divione, Gratianopoli et » Parisiis quadragesimales conciones habuit, quibus inter » plurimos ad Catholicam Fidem adegit Claudium Buccardum, » Lausannae publicum professorem, Franciscum ducem Di- » guerianum Delphinatus Proregem, Barberium et Iacobum » Philippum magni nominis pseudoministros. »

Eminent inter alia opera, quae hic omittimus, litterae datae idibus Aprilis 1603 in quibus s. Auctor docte, prolixe et laboriose convellit atque evertit, quod nocentissimum erat in lutherana haeresi de fide sine operibus sufficienti ad salutem. Equidem legens satis quis mirari non potest quam plane ac dilucide nativo illo stylo epistolari vir sanctus res difficillimas declaret, puta quid sit Deus, qualia sint SSmae Trinitatis et Dominicae incarnationis mysteria. Nec praetereundae sunt litterae ad Episcopum Savonensem et Anastasium Germonium datae, proter quas finis impositus est controversiae de auxiliis. Oppido etiam ex brevibus eiusmodi scriptis cordatus quisque agnoscere cogitur lumen illud, scientiamque divinitus inditam, quam in eius alloquiis S. Io. Francisca de Chantal agnoscebat.

Verba haud fieri nequeunt de scriptionibus variis, quibus s. Episcopus apud Pontifices Maximos, apud Principes et Magistratus, apud cooperatores suos et alios instabat, consilia, hortationes, monita, rationes ineundas subiiciens ad expurgandas regiones ab haeretica lue, ad catholicum cultum restituendum

ad Religionem amplificandam. Haec omnia talia sunt ut vere eidem aptentur quae dicta sunt a Varasio s. Inquisitionis Assessore illum appellans. « *Verum sal terrae fatuis hominum mentibus condiendis et haereticorum putoribus exsiccandis a Deo Ecclesiae datum.* »

www.libtool.com.cn

De libris hucusque verba facta sunt polemicis vel dogmaticis; manet nunc ut oratio deveniat ad libros dogmatico-asceticos, quorum primi sese exhibent XII libri *de amore Dei* quibus nescitur an quid quidpiam in suo genere praeclarius sit, ac sublimius. Ita ut Phoebeus nomine S. R. C. enarrabat. « Scripsit (S. Franciscus) libros; qui uberrimos in toto » christiano orbe fructus pariunt. Philotheam praesertim . . . » epistolas spirituales et insignem atque incomparabilem tra- » ctatum de amore Dei, qui omnes, in omnium pene natio- » num idioma translati, omnium teruntur manibus, cum in- » genti legentium profectu. In his tamquam in speculo viva » Salesii elucet imago, neque enim potuit vir beatus aliter » docere quam vixit, aliter vivere quam docuit. »

Ad asceticos libros transiens; in quorum numero primum obtinet gradum introductio ad vitam devotam, seu *Philothea*, quae tot laudibus ornata fuit, tot genuit fructus salutis, ut sanctimonia quae in templis ac coenobiis relegata videbatur ubique iubar suum effunderet. « Tum visa est vera pietas : » viam sibi stravit ad regum Solia, in ducum exercituum « tentoria in iudiciorum forum, in telonia, in negotiatorum » officinas, et in pastorum oppidula. » Neque omittenda sunt verba Episcopi Suessionensis. *Nemo dicat se viam nescire qua itur ad Deum. Ipse omnibus praeivit et praeluxit monitis et exemplo; seraphica eius scripta legentium corda flammis incendunt.* »

Multa edidit egregia documenta quae volumen constituunt pro Regularibus in collocutionibus, spiritualibus quas Antistes sanctus habuit ad Sanctimoniales Ordinis Visitationis. Nec praetereundi sunt duodecim tractatus minores per quos asceticae sublimioris praecepta ad practicum usum facili, planaque semita deduci possint. In eodem ordine sunt quae vir sanctus conscripsit de usu temporis et exercitiis diurnis de tristitia et perturbatione interna, de s. Synaxi pie ac fructuose suscipienda, de sanctis commentationibus super mysteriis nativitatis et passionis Domini, deque piis precationibus, quas vel

ille subiecit, vel quomodo recitandae essent edocuit. Quapropter Andrea Lao Carmelita loquens de asceticis libris huius sancti: *Plures conscripsit libros coelesti roridos doctrina, qui inter mundi vepres roseas sternunt semitas.* Cui concinit P. Martinus de Esparza dum celebrat. « *documenta pietatis eximiae, solidae doctrinae, directionis saluberrimae, quae posteritati scripta reliquit.* »

Eximia peritia magistri asceticae disciplinae cum legislatoris sapientia emicat consociata in regulis et constitutionibus, quos Vir sanctus Ordini Visitationis praescripsit. De quibus scribens Cardinalis Sacchettus in relatione causae « *novo* (ait) *Sanctimonialium ordine, cui a visitatione Beatae Virginis nomen est, sub regula S. Augustini, Ecclesiam illustravit. Addidit constitutiones sapientia, discreptione, et suavitate conspicuas.* »

Uberrimam porro segetem rei asceticae studiosis suppeditant epistolae s. Episcopi tum ad S. Ioannam Franciscam de Chantal, tum ad alios complures conscriptae ita ut assertum sit quod « *Nemo potest has paginas evolvere quin totus ardeat Dei et perfectionis amore, quisquis enim in illis reperit apta suo statui monita, et documenta.* »

Insignem Doctoris Ecclesiae notam in antiquis illis quatuor Gregorio, Augustino, Ambrosio et Hieronimo hanc deprehendit Bonifacius VIII quod eorum facundia scripturarum aenigmata reseraverit. Dotis huius specimen Vir sanctus edidit in interpretatione Cantici Canticorum, cuius libri explanatio maxime ardua et salebrosa interpretibus omnibus visa est.

Singularem vero meruere laudem et celebritatem eius monita ad Confessarios. Ipsemet Benedictus XIV in quaestione gravissima de cautione adhibenda a confessariis in absolutione confitentibus impertienda ad hoc Salesii opus provocavit *(de Synod. Dioec. lib. XI cap. 2. n. 18).*

De pastorali theologia apte, graviterque multa scriptis tradidit, cum boni pastoris imaginem in se exhiberet Salesius. Sane ad pastorale magisterium quod attinet haec tria potissime pensanda esse Magnus Gregorius edocuit. « *Ad culmen quisque regiminis qualiter veniat, atque ad hoc rite perveniens qualiter vivat, et bene vivens qualiter doceat.* » Iam vero de tribus hisce documenta in Salesii libris reperimus. Aureas enim habet ille sententias circa beneficia dignioribus con-

ferenda, et plura de vivendi ratione, quam Episcopus sequi debet, eiusque dignitate et officiis conscripsit. Hinc satis commendari nequit *Tractatus de praedicatione divini Verbi*. Qualis in administratione Dioeceseos Franciscus extiterit breviter sed aptissime explicat Bulla Canonizationis, ex qua s. Antistitem conspicis « *cuncta episcopalis vitae momenta suis virtutibus, functionibusque animare, synodum cogere, ecclesiasticae disciplinae leges vel restituere vel sancire.* »

In expendendis conglobatim aliis varii generis scriptis, dici potest quod si praecedentibus iungantur, plenior eruitur conceptus omnigenae peritiae s. Viri, exquisitae prudentiae, facundiae admirabilis et facultatis scribendi aptissime de re qualibet. *Semper est enim* (ut de Hieronymo Cassiodorus aiebat) *planus, doctus, dulcis, parata copia sermonum ad quamcumque partem convertit ingenium.* »

ARGUMENTA EXTRINSECA EMINENTIS DOCTRINAE SALESII. Quae ornatissima testimonia hucusque retuli, ait causae Patrocinator, quoad eminentem S. Salesii doctrinam, spectabant ut plurimum eius opera singillatim. Itaque abs re non erit aliquid delibare, ex segete prope infinita, de iudiciis summorum hominum circa universa illius scripta, et eminentiam scientiae, quae ex ipsis elucet. Et quoniam de Ecclesiae Doctore renunciando disceptatur, liceat omnibus praeferre Doctoris S. Alphonsi auctoritatem, qui unus ex eo ordine excelso post aetatem Salesii floruit.

In primis memoria repetendum s. Doctorem proposuisse Franciscum ceu exemplar absolutissimum sacrae Eloquentiae, qui ipsam instauraverat, eo tempore quo corruptissima evaserat. Dilexit autem vehementer Salesii libros, ita ut non tantum eius suaviloquentiam est imitatus, sed etiam sententias et locos insignes ex eius operibus in libros suos libenter derivavit. Et sane non modo in scriptis asceticis persaepe illius auctoritate Alphonsus usus est, sed etiam operibus dogmaticis et polemicis haud raro eius nomen et sententias adduxit. « *Notandum venit*, ait S. Alphonsus, *quod huius Sancti documenta modo singulari laudata fuere, atque ab Ecclesia recepta. Quae nos orare facit ut eorumdem directione atque praxi ad vitam aeternam consequendam perveniamus. Concede propitius ut eius dirigentibus monitis aeterna gaudia consequamur.* » Quare Episcopus Cuneensis scitissime in po-

stulatione sua animadvertit. « Haec scripta (Salesii) divinam » redolentia sapientiam alios peperere Sanctos, imo Docto- » res, inter quos admirabilis ille Alphonsus de Ligorio, quem » Doctoris titulo Sanctitas Tua . . . decoravit. Et quidem Al- » phonsus Francisci discipulum se ostendit, eiusdem vestigia » sequens, prout omnes facile norunt, qui Alphonsiana scri- » pta evolvunt. »

Haud immerito Francisci vestigia terebat s. Doctor, Ecclesia enim non modo in Oratione nuper descripta, sed et in aliis documentis insignibus sic illum commendat, ut parum a Doctoribus differre videatur. Quid enim valet illud, quod in sexta lectione eius officii legitur « *Suis etiam scriptis coelesti doctrina refertis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad christianam perfectionem tutum et planum demonstrat?* » Quid illud quod in antiphona ad vesperas? « *Replevit S. Franciscum Dominus spiritu intelligentiae, et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei.* » Nisi certis constaret argumentis Bullam editam ab Alexandro VII die XIII Kalendas Maias 1665 de Salesii canonizatione dumtaxat agere, crederes illam ad Doctorem renunciandum pertinere. « *Ex huius charitatis officina volumina prodierunt, quorum documentis irrigata populorum ac virorum nobilium pectora affluentem evangelicae vitae messem peperere.* » Alibi demum proponitur Salesius imitans « *Sanctorum Patrum.... exempla... potissimum catholicae religionis sinceritate consulere, qua mores catholicorum informando, qua sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo.* »

Idem Alexander VII Summus Pontifex scribebat ad moniales Visitationis Monasterii Anneciensis V Kalendas Augusti 1666. « *Salutaris eius lucis, qua divi Francisci Salesii praeclara virtus et sapientia Christianum orbem universum late perfundit, Nos quoque a primis pueritiae nostrae temporibus non expertes fuimus; inclita enim eius promerita, doctrinamque plane divinam statim admirati eum elegimus, quem praecipuum vitae ducem et magistrum sequeremur... Eius heroica virtus et ardentes monitorum salubrium fores ingens Ecclesiae universae lumen afferunt.* »

Concinebant Pontificis verbis suffragia tum Cardinalium, tum Episcoporum. Ideo Cardinalis Farnesius aiebat « *Profecto B. Franciscus de Sales splendere debet inter maiora sidera*

in perpetuas aeternitates; ardens enim lucerna, imo lux mundi fuit, dum populis sibi commissis, errorum umbra caligantibus, cum exemplo, tum doctrina ad solis veritatem. »

Clemens IX ante et post exaltationem ad Apostolicam Sedem iudicium suum apertissime patefecit; namque et in consistorio habito de illius canonizatione hoc protulit suffragium. « *Catholicae Religionis propugnator B. Franciscus Salesius . . . . . infensissimos haereticorum conatus repressit, veramque profligandi daemonis artem et verbo docuit et firmavit exemplo. Tum etiam ut omnes eximii ducis explerent partes, praeclarissimis voluminibus, pium quodammodo armamentarium animarum condidit beneficio, ubi cuique liceat adversus humani generis hostem opportunis sese munimentis instruere.* »

Ab his suorum praedecessorum iudiciis minime deflexit Benedictus XIV qui Salesii exemplo potissimum est usus ut declararet quomodo eminentia virtutis heroicae eximiae scientiae splendore illustretur; qui veritus non est affirmare libros eius scientia divinitus acquisita conditos fuisse; qui saepe eius auctoritate est usus ut difficiles enodaret quaestiones; qui demum in constitutione « *Pastoralis curae* » non alia appellatione quam *Sapientissimi* eum ornandum putavit.

Quum causae patrocinator has attulisset auctoritates gravissimas ad confirmandum eminentis Doctrinae Salesii argumentum extrinsecum; omnia privatorum iudicia superflua et posthabenda esse quis credere potuisset. Verum et ista ita gravia et innumera sese habent ut omnia omitti nequirent.

Etenim Sorbonici post Francisci obitum hoc edidere iudicium. « *Superesse iam neminem* (retulit Karolus Salesius) *dixere doctores sorbonici, apud quem recursus ad enodandas theologicas difficultates haberi possit eo defuncto, et Iacobo Davidio Cardinali Perronio. Imo Francisco adhuc vitam agente iidem declaraverunt libros ab eo editos ex aequo ire cum Operibus S. Gregorii, S. Ambrosii, et S. Augustini.* »

Aeque splendida atque illustria sunt quae de s. Episcopo Salesio duo doctissimi Galliarum Antistites Fenelonius et Bossuetius pronunciaverunt. Quando quidem primus spiritum veritatis per os illius loquentem aeque in asceticis ac polemicis libris agnovit inquiens: « Orationis spiritus est anima totius

» corporis fidelium... Ex una parte aspicite puram spiritua-
» litatem S. Francisci Salesii, ex altera aspicite eius princi
» pia quoad Ecclesiam in suis controversiis. Idem est Sanctus,
» qui loquitur cum unctione eiusdem spiritus veritatis in hoc
» duplici scripturarum genere. Tales sunt isti amabiles sancti
» qui in sinu matris Ecclesiae enutriti et perfectionati sunt.
» Et celebris Fenelonius. » *Tria praecipue sunt quae Francisco nobile dederunt nomen hoc in mundo: nempe scientia ceu doctor, et praedicator; auctoritas episcopalis; ratio agendi ceu animarum director. Scientia constituit eum instar lucernae fidelibus illuminandis aptae: dignitas episcopalis istam posuit lucernam super candelabrum, ad cunctam illuminandam Ecclesiam; et directionis cura istam applicuit lucernam individuorum moderationi. Miratur quis quantum eiusmodi illuminet lucerna; miretur nunc quantum illa calefaciat. Scientia illius unctione plena mollit corda; eius modestia in auctoritate homines ad virtutem inflammat; eius benignitas in directione ad Christi amorem eosdem lucratur. Ecce igitur lucerna ardens et splendens...*

Historici plures eum iam Doctorem appellant, ut opinioni concinant Baronii et Pallavicini. Accedit tandem hisce doctorum virorum iudiciis multiplex numero sed voto unanime fidelium ex omni ordine, sexu et vitae instituto suffragium. Ita ut idem peterent a S. Sede ii qui imperiali vel regia dignitate fulgent, ac ima christiana plebs. Docti indoctique Francisco Salesio Doctoris Ecclesiae nomen et laureolam ab Apostolica Sede poposcerunt. Iam vero si, teste Mabillonio: *Doctoris nomen Ecclesia his tribuit, quorum doctrina publico ipsius suffragio approbata est maxime ubi sanctitatis concentus accedat,* nihil est quod obesse queat quominus iuxta petitiones Episcopi Anneciensis et Ordinis Visitationis, quibus accessere tot Emi S. R. E. Cardinales, Revmi Archiepiscopi, Episcopi, Augusti Principes, et immensa aliorum multitudo; quominus inquam ab Apostolica Sede, ex S. R. Congregationis sententia, Francisco Salesio Doctoris Ecclesiae universalis titulus, et congruus titulo cultus decernatur.

Disceptatio synoptica.

Animadversiones Promotoris Fidei. Praemonuit hic cum divo Ambrosio quod « *in iudicio gratia absit causae merita*

discernantur. » Ideoque etsi merito in votis omnium sit ut Salesius Doctoris praerogativâ augeatur, et quamquam Patrocinator clarissimus plura in medium attulerit, quibus contendit multis ex titulis Salesium Doctoris in Ecclesia honorem promereri, de hoc tamen adhuc non leviter addubitare lice Neque enim in eo modo disquisitio vertitur num Franciscus scientiarum thesauris dives fuerit, num pius item ac facundus eruditusque scriptor habitus; sed num tanta in eum enituerit in Ecclesia edocendi scribendique peritia ac dignitas, quantam esse Doctorum Ecclesiae decet.

Eminens sit oportet Doctorum scientia cum sanctitate coniuncta: non enim qui doctus item doctor; cum pluribus inter Ecclesiae ministros, diverso licet gradu, doctrina opus sit. Paulus enim Ephes IV. 11 discernit *quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores* addiditque causam, quae ad rem nostram maxime facit « *ut iam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae..... Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri* (ibi V. 14 – 16). Nimirum uti explanat Victorinus: « *quomodo membra singula iunctura cohaerentia diversis in administrationibus totius corporis mensuram faciunt; sic et in Ecclesia singula quaeque membra ministeriorum, circa sanctificationem mysterii, et circa fidem Christi iuncturas praestant et corpus suum in charitate constringunt atque aedificant.* » Mai scriptor. vet. tom. III. p. 129. Diversa scilicet ministeria non solum in celebratione et sanctificatione sacrorum mysteriorum discernuntur, verum etiam *in fide Christi docenda, tuenda, ac penitus semper investiganda.*

Itaque in Ecclesiae ministris tria sunt munia, quae doctrina maxime indigent; alii enim sunt Apostoli, alii Pontifices, seu Episcopi, alii Doctores; qui singulari indigent scientia veluti caeterorum magistri.

Et quamvis Apostoli (nempe illi homines qui Apostolorum vestigia sequuti per subsequentes aetates, ad Christi fidem paganas gentes vocarunt, aut in schisma et haeresim prolapsas ab interitu vindicare satagerunt) et Pontifices scientia

pollere debeant ; doctoris Ecclesiae scientia cunctas aliorum scientias ut superemineat oportet. Sunt enim Doctores iuxta Gregorii Magni sententiam, Ecclesiae bases. « *In basibus quippe columnae, in columnis autem totius fabricae pondus erigitur. Non ergo immerito Doctores sancti basium nomine designantur, quia dum recta praedicant, omne pondus Ecclesiae fixa morum suorum gravitate sustentant* ». *Moral. lib. 28 c. 38.* Per Doctores enim uti Bonifacius VIII. explicat « *quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in Domo Domini positas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Ecclesiae tamquam sidus irradiat matutinum;.. profundis quoque ac decoris illorum sermonibus, ampla ipsius Ecclesiae fabrica, veluti gemmis vernantibus, rutilat; et verborum elegantia singulari, gloriosius sublimata coruscat* ». *Cap. Gloriosus Decret. in Sexto.*

Haec itaque Doctorum intima praerogativa est, ut Ecclesiae Columnae ac fundamentum habeantur, ut eorum doctrina totius Ecclesiae corpus nova luce perfundatur, ac veluti novus doctrinae fons reseratus fuerit. Itaque *Benedictus XIV de Beatif. et Canonizat. lib. IV part. 2 cap. XI. n. 14.* « *Haec doctrina requisita in Ecclesiae Doctoribus, quod videlicet per eam errorum tenebrae fuerint profugatae, obscura fuerint dilucidata, dubia declarata, Scripturarumque aenigmata reserata.* »

Et hoc revera praesidium Sanctos Doctores, quotquot sunt, Ecclesiae praestitisse palam est. Ita Augustinus vetere Donatistarum schismate compresso, Manichaeorum, Pelagii ac Coelestii erroribus refutatis maxime inclaruit. Hilarius et Athanasius, ideo Ecclesiae Doctores habiti, quod Arianos tum maxime Costantii tyrannide fultos contra Nicaenam fidem insurgentes retuderint, et singulari eloquentiae vi una cum improbo Imperatore prostraverint. Merito propterea scribit Hieronymus « *Vir sanctus et eloquentissimus Martyr Ciprianus, et nostri temporis Confessor Hilarius, nonne tibi videntur excelsae quaedam arbores in saeculo, aedificavisse Ecclesiam Dei?* ». *Comm. in Isaiam lib. 17 c. 61.* Ambrosius Romana illa facundia et inconcussa pectoris firmitate, Arianos a Latinarum fere gentium regionibus exturbavit; Isidorus eiusdem haereseos in barbara Gothorum gente subinde renascentis reliquias extinxit.

Leo Magnus in ipsa fere adolescentia et vix minori clero ascriptus, Zosimo Pontifici in detegenda Pelagii versutia administer, mox Dioscoro atque Eutychete damnatis, Petri vocem roburque imitatus est; cui Chrysologus in eodem Euthychete percellendo socium se pedissequumque praebuit. Notum est quibus vocibus Urbanus II in Concilio Barensi Anselmum compellavit. « *Pater et Magister Anselme.... veni.... et defende matrem tuam Ecclesiam, quam Graeci labefactare conantur* »; quapropter *cum... Graecos in processione Spiritus Sancti confutasset, magni apud omnes habitus est, et veneratione dignissimus comprobatus* ». *Benedictus XIV lib. IV p. 2 c. 11 n. 15.* Haud absimile testimonium Petro Damiani reddidit Alexander II scribens ad Galliae Episcopos: *talem vobis virum destinare curavimus, quo nimirum, post Nos, maior in Romana Ecclesia auctoritas non habetur... noster est oculus et Apostolicae Sedis immobile firmamentum.* De S. Bonaventura scribit Xistus V in suis Apostolicis litteris 15 Martii 1588. « *In rebus Concilii* (Lugdunensis) *arduis operam egregiam praestitit, catholicam fidem constantissime defendit; pravas opiniones acerrime refutavit; eiusdemque prudentia, doctrina, sanctitate, orationibus Gregorii Pontificis sollicitudo tantopere adiuta est, ut sublato... schismatis dissidio, Michael Paleologus, Graecorum Imperator orientalesque nationes ad Apostolicae Sedis obedientiam, unitatem, communionemque redierint* ». Nec aliquis neget divina factum providentia ut Nestorio Cirillus, Eunomio et Macedonio Gregorius Nazianzenus, Anomianis et eidem Eunomio Basilius; Vigilantio, Elvidio, Ioviniano Hieronymus opponeretur, et sic de aliis quamplurimis.

Et si non eosdem quidem omnes retulere triumphos; at neminem reperire est, qui illos coaequaverit ob pretiosa Ecclesiae relicta monumenta peritiae suae; sive scilicet in explicandis divinarum Scripturarum aenigmatibus, sive in theologicis quaestionibus enodandis

Hisce praestitutis, Fidei Promotor ad Salesium venit, concessitque eum scientia, quae viros Apostolico ministerio operam navantes, et Ecclesiae pastores decet, affatim fuisse praeditum. Quaesivit autem an Anselmo et Hilario esset Salesius aequiparandus: idest num de illo dici posset quod Dominus suscitaverit eumdem ad profligandam Lutheri, Calvini et Zuin-

glii teterrimam luem. Neminem sed vero latet quot quantosque insignes pietate ac doctrina viros illa aetas tulerit, qui contra eam haeresim fortiter dimicarunt. Nonne dictum est Deum obiecisse Ignatium Loiolaeum, et institutam ab eo Societatem Luthero aliisque huius temporis haereticis? Praecipui ex illa lectissima acie Beatus Petrus Canisius, ac Ven. Cardinalis Robertus Bellarminus prodiere. Ideoque Salesius videretur potius adiungendus alteri defensorum agmini qui illius haereseos monstro non percussores, sed vigiles excubitores se praebuerunt. Quod meritum, insigne illud quidem, singulari animi mansuetudine et charitatis dulcedine cumulavit; adeo ut plurimi suavitate eius allecti in viam iustitiae ac veritatis redierint.

Sed iam sancti viri scientia perpendenda est ex eiusdem scriptis. Ipsemet Sanctus Vir, in primis, in operis praefactione cui titulus *Theotimus*, quod omnium postremum fuit, de se ingenue fatetur. Ego satis parum scripsi, et paucissimum edidi: tum recenset opuscola ab se edita; sunt autem Meditationes in Symbolum Apostolorum, Vexillum Crucis, funebre elogium Philippi Emanuelis Lorenensis, monita ad Confessarios, Philothaea et ipse Theotimus. Quamvis itaque plura post eius obitum in lucem prodierint Salesii scripta, haec in sua recensione praetermisit, vel quia ad privatorum tantum usum ordinata, vel quia utpote subcesivis horis elucubrata, incompleta et adhuc limae labore ac mora expolienda. Haec inter, nedum disputationes contra Calvinum et Viretum, sed ipsas *Controversias* reperire est, quas veluti polemicum opus princeps, causae Patrocinator laudat atque extollit. Sed ut ordini inserviamus breviter videndum est quanti haec ipsa facienda sunt, incipiens a *Controversiis*. Audito iam Controversiarum nomine suspicari quis posset Salesium aggressum aliquid esse, quod Bellarmini, du Perronii, Bossueti absolutis ea de re lucubrationibus comparari possit, vel iis disputationibus, quas contra vetustiores alios Ecclesiae hostes Doctores plures aggressi sunt. At longe aliter se res habet; sunt enim hae controversiae sermones quidam Thononensi plebi accomodati, quos scripto dietim tradere coactus est, cum voce recitare prohiberetur. Opus autem neque perfectum, neque expolitum fuisse plura ostendunt.

De dissertatiuncolis contra Viretum, de Eucharistia, et

aliis eiusmodi nihil addendum puto, cum eadem dicenda recurrant, quae modo de controversiis animadvertimus, ac illud praeterea quod nonnisi paucissimis notae fuerint. Ad Vexillum Crucis quod attinet, eruditum quidem opus, ac maxima commendatione dignum esse non abnuitur, sed illud etiam non secus ac reliqua sancti viri opera, tenuiore stylo, ac rudiori plebi accomodato, conscriptum fuit. In monitis autem vigintiquinque ad Confessarios, prudentia viri Apostolici et in animarum regimine versatissimi certe elucet; quamvis etiam in illis festinanter digerendis quidpiam Auctoris diligentiae excidisse videatur. De epistolis denique illud observatum fuit quod quis uti nonnulla ex illis posset ad aggrediendam auctoritatem indirectam Pontificis quoad civilem potestatem. Qua quidem in re nemo non videt quantum Salesius a Bellarmino distet. Ex his tamen omnibus colligere datur cur forte recensita Salesii opera apud nostrates, non aeque ac ascetica, vulgata et omnium trita manibus fuerint.

Itaque iam ad Philothaeam atque Theotimum veniendum; quae licet inter ascetica Sancti viri opera computentur, plura etiam de Dogmatica theologia ornate, docte ac venustissime attingunt. Nihilominus haec Pastorem potius quam Ecclesiae Doctorem prodere, ipse de se Salesius testimonium perhibet. In praefatione vero ad Theotimum candidissime scribit. De omnibus quae scripsi nil adest quod non ab aliis didicerim, etsi haud memini a quo didicerim.

Notum insuper vulgatumque est quantopere Salesii doctrina ad tuendum pseudomysticum suum systema Fenelonius fuerit abusus, et ea praesertim quae in Theotimo continetur. Plures quippe S. Genevensis Antistitis sententias in opere suo congessit, cui titulum fecit: — *Maximes des Saints.* —

Accedit nimirum iuxta ipsam Bossueti sententiam, nonnulla in hisce s. Viri scriptis reperiri, quae per se indoctos in errorem possent inducere, quod si non accidat, non ipsi doctrinae, sed perspectae viri sanctitati tribuendum; adeoque non doctrina sanctitatem, sed sanctitate doctrinam commendari.

Ex quo factum esse quod illi quidem qui Francisci scientiam doctrinamque apprime noverant, numquam illam Ecclesiae doctore dignam putaverint. Neque ita facile credendum quod Sorbonae Doctores iudicaverint libros a Salesio conscriptos ex aequo ire cum operibus S. Gregorii, S. Ambrosii, et

S. Augustini. Nam si res ita se habeat, curnam Benedictus XIV qui Bernardum, Ildephonsum, Bedam, aliosque memorat utpote a multis dignos habitos, qui Doctoris Ecclesiae titulo decorarentur, Salesium omnino praeterit, cuius et merita et doctrinam laudaverat?

Neque infici potest scripta Salesii, utpote pietate ac doctrina referta, plurimorum et amplissima elogia meruisse; sed ista elogia sese referunt ad ea scripta, quae animarum perfectionem respiciunt; et ad ista sese referunt liturgicae preces — *eius dirigentibus monitis — suis etiam scriptis coelesti doctrina refertis, Ecclesiam illustravit, quibus iter ad christianam perfectionem, tutum et planum demonstrant.*» Huc pariter respiciebant elogia a Patribus Cardinalibus, aliisque in suffragio pro Salesii canonizatione edita. Attamen etsi Bonaventura, Anselmus, Bernardus, aliique Ecclesiae Doctores fuerint insignes asceticae magistri, non iis tamen profecto meritis, Doctoris titulum assecuti sunt.

Hinc factum ut plures in Ecclesia viri doctrina ac ingenio conspicui Doctorum numero haud aggregati fuerunt; quia Ecclesia numquam ob quantamlibet asceseos tradendae scientiam Doctoris titulum alicui tribuit. Cum enim haec dos non imperitis modo, sed etiam foeminis inveniatur communis, ad donum potius administrationis, quam ad Doctoris munus pertinere videtur.

Ex his aliisque plurimis, quae pro sua sapientia perpendent Emi Patres iudicabunt: an doctrina Salesii eiusque gesta Apostolum tantummodo, aut eximium Pastorem, vel etiam Ecclesiae doctorem prodant; ea inquam doctrina qua, non secus ac reliqui superius recensiti, vere ac proprie dici possit *sal terrae,* quod escas tabi obnoxias putrescere praepediat, et *lux mundi,* quae tenebras depellat, et ipsa se spectabilem faciat.

RESPONSIO AD ANIMADVERSIONES PROMOTORIS FIDEI. Praemisit causae Patrocinator neque sibi neque claris Viris quorum postulata tuitus est, hanc mentem fuisse, ut gratia, vel partium studio ad Doctoris titulum Salesio decernendum Sedes Apostolica moveretur: sed petitionem iuris intentionem habere, si paret scilicet in sancto Pastore eas dotes, eaque ornamenta enitere, quae in Ecclesiae Doctore iura nostra reqnirunt. Deinde disseruit de doctrina in Ecclesiae Doctore requisita. atque de ea qua s. Franciscus Salesius excelluit.

Quoad primam partem demonstrare satagit eamdem esse natura et genere scientiam, quae in Apostolo, Episcopo et Doctore requiritur. Nam scientiam rerum divinarum a Deo revelatam Christus Apostolos suos edocuit « *omnia quaecumque audivi a patre meo nota feci vobis* ». Hanc in lectissimos illos spiritus descendens consummavit et implevit: « *Paraclitus autem spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, is vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis* ». Cum innotuerit cuius generis scientia sit quae Apostolos et Ecclesiae pastores decet, videndum prostat an alterius generis sit, quae ad Doctores pertineat. Num sanctos viros qui Platonem in Philosophia excolenda, vel Papinianum in iurisprudentia, vel Hippocratem in scientia medica, vel Neutonium in arcanis naturae investigandis exaequaverint, in albo Doctorum Ecclesia adscribit? Minime gentium: nam scientia praecellens rerum divinarum Doctores Ecclesiae facit, licet haec humanarum scientiarum et literarum praesidio et cultura instructior et ornatior possit elucescere. Id plane eruitur ex literis « *Verbo Dei* » Clementis XII in quibus, memoratis Pontificibus, qui Thomam laudibus ornaverant, pergitur « *qui omnes uno eum ore approbantes in sacris Ecclesiae fastis, iuxta ac magnos Ecclesiae Doctores Gregorium, Ambrosium, Augustinum et Hieronymum, Thomam quoque et vitae probitate et sanctioris Theologiae scientia venerabilem miraque eruditione Ecclesiam Dei clarificantem, ac sancta operatione foecundantem coli voluerunt.* » Non ergo genere et natura differt ea scientia qua Doctores Ecclesiae eminent, ab ea qua instrui oportet illos qui apostolico ministerio vel pastoris officio funguntur. Quapropter nonnisi in gradu scientiae discrimen poni posse videretur inter Apostolos Episcopos et Doctores. Ast loca citata ex Pauli epistolis a Promotore Fidei id clare non suppetunt: nam ista loca vel ad divisiones gratiarum dumtaxat pertinent ac nihil habent commune cum variis scientiae gradibus; aut Paulus significare voluit varios scientiae gradus in diversis ministeriis requisitos, atque exinde inferre cogimur scientiae gradus ratione prorsus inversa ab ea qua fidei Promotor procedere vellet. Nam Paulus Apostolis *primum* locum nominatim et diserte tribuit, *tertium* Doctoribus. Neque profecto ea erat orationis gradatio ut ab imo ad summum

ascenderet; tunc enim ipsos Christi Apostolos in scientia rerum divinarum imperitissimos omnium (dictu nefas!) pronunciavisset. Manifesto itaque illos tamquam dignitate praestantissimos antefert. Et merito quidem Apostolos omnibus antefert, eorum enim nomina in *fundamentis* civitatis Dei conscripta sunt *Apoc. XXI. 14* quippe quibus Christus nota fecit *omnia quaecumque* audivit a Patre suo, et Spiritus pariter *omnia* docens, *omnia* suggessit quae praeterea Christus esset dicturus.

www.libool.com.cn

Quapropter si Salesius praeditus sit ea scientia, quae viros Apostolico ministerio operam navantes et Ecclesiae Pastores decet, ergo videretur habere in se aliquid maius atque praestantius, quam necesse foret ad Doctoris titulum et honores promerendos. Sed ne spes victoriae in argumentis ad hominem ponatur, ait Patrocinator, sibi satis esse ostendere: Salesium ea doctrinae praecellentis edidisse specimina, ac monumenta tampra eclara reliquisse, ut cum iis comparandus sit, qui doctoris nomen Ecclesiae suffragio meruerunt.

Quod ut rectius evinceret tria demonstranda assumpsit. 1. Doctrina S. Francisci Salesii totum Ecclesiae corpus nova luce fuisse perfusum. 2. In ea doctrina novitatis meritum enitere, cum circa modum fructuosissimum, quo fuit explicata; 3. Tum propter copiam eruditionis, qua illustrata fuit. Et relate ad primum edixit quod salutaris opera Doctoris, et eius scriptorum utilitas ad Ecclesiam universam extenduntur. Benedictus XIV opera S. Scriptoris commendavit, utpote quae uberrimos *in toto christiano orbe fructus parturiunt*, quum scilicet apta statui suo monita quisque reperiat « *sive saeculo deditus ille sit, sive claustro, sive coelebs, sive coniugatus, seu princeps, seu privatus* ».

Quae porro pars est catholici orbis, quo libri S. Antistitis non pervenerint? Innumeras versiones in omnia idiomata, et editiones operum eius iam a saeculo XVII factas fuisse constat; alias autem accessisse duobus sequentibus saeculis nemini ignotum est.

Cum certum sit totum Ecclesiae corpus radios excepisse e libris Salesii manantes, videndum prostat quid nomine lucis iuxta Ecclesiasticum verborum usum intelligitur. Id vero declaravit Divinus praeceptor cum ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona et glorificent*

Patrem vestrum qui in coelis est. Matth. V. 16. Huic rationi loquendi adhaesit Paulus quum inquit. « Ut sitis sine » querela, et simplices filii Dei, sine reprehensione in me» dio nationis pravae et perversae, *inter quos lucetis* si» cut luminaria in mundo. » *Philip. II. 15.* Lux ergo bona opera et virtutes sunt, unde et virgines illae evangelicae habere semper accensas dicuntur lampades suas; ideoque qui virtutes colunt, filii lucis sunt, qui in vitiis sordescunt filii tenebrarum compellantur. Primum propterea ac praecipuum decus quod in antiquis Doctoribus Bonifacius VIII commendavit hoc est, quod illorum « *perlucida et salutaria documenta praedictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus et moribus informarunt* ». Quo in loco sermo est non de virtutibus a scriptore exercitis, sed de partis, auctis, exultis in Ecclesia per eius documenta. Quae laus Salesium praeprimis pertingit; ideoque Alexander VII qui de eo praedicaverat « *quamcumque hominum conditionem prudenti ac suavi divini Spiritus insinuatione ad semitam salutis reducit* » disertissime de scriptis eius testatur « *ingens Ecclesiae universae lumen afferunt.* »

Hisce in tuto positis facile demonstratum est in doctrina S. Episcopi novitatis meritum enitere propter modum fructuosissimum, quo Ecclesiae doctrina ab eo fuit explicata. Hoc meritum tanti est, ut vix dicere possis an aliquid praestantius, et optatius generi humano contigerit post redemptionis beneficium, Ecclesiae constitutionem et doctrinam salutis a Christo traditam. Eccur enim immortalia haec benefacta Deus et Dominus noster hominibus impertivit? Scilicet ut.... *Serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* At « *angusta porta et arcta via est quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui inveniunt eam.* » *Matth. VII. 14.* Nonne igitur mirandum, ac prope divinum dixeris cogitatum illius, qui, testante Fidei promotore, facilioris est habitus auctor semitae, qua omnigenae conditionis homines perfectionis culmen attingant? Insuper Salesius faciliorem sternens semitam ad perfectionem haeresim valide oppugnavit. Namque demonstravit ille veram et pulcherrimam spiritualis vitae rationem ex intimis catholicae doctrinae medullis erutam, et solidae caritatis principiis innixam; simulque effecit ut fucata illa novatorum severitas (cuius velamine malignitas in-

vida turpisque licentia tegebantur) fallaci veste exueretur, omnemque vim et robur ad credulitatem simplicium decipiendam amitteret. Haec tamen dum gerebat solida quoque praeiecit fundamenta doctrinae quibus freti catholici scriptores oppugnare deinde possent iansenianam pestem et pseudo-mysticismi labem, quas Galliae et Germaniae infestissimas fuisse nemo prudens ignorat.

www.libtool.com.cn

Quod si Franciscus constitisset, uberrimos afferens salutis fructus qui omnibus comperti sunt, id satis esset ut recte diceretur nova luce Ecclesiam perfudisse, novosque doctrinae fontes reserasse, et recenseri posset inter bases et columnas, quae gravitate morum suorum, quos vivendo ostenderint, scribendo explicaverint, omne pondus Ecclesiae sustentant. Sed hic non constitit, verum aggressus novum concertationis genus per sermones quos dietim scripto tradidit, *septuaginta duo millia haereticorum, et plures inter hos doctrina et auctoritate praestantes* victas manus dedidere Salesio.

Miraque et salutaris fuit methodus Salesii tum in re dogmatica exponenda, tum praecipue in ea parte disciplinarum, quae homiletica dicitur. Et quamvis Thomas Aquinas in declarandis christianae fidei dogmatibus multum meruerit, tamen in eius libris ardua et salebrosa multa continentur ita ut doctissimi tantum inveniant in eisdem libris pabulum, minime vero fidelium vulgus.

Scivit e contra Salesius convertere aspera in vias planas; quia cognoverat maxime prodesse vulgo christiano ut eidem innotescerent rationes, quibus fallaciae haereticorum refutarentur. Nam istorum petulantia sublimiores theologiae quaestiones e scholis in quotidianam adduxerat disputationem. Res erat perquam difficilis sic fidelium vulgus instruere ut veritatem teneret, et obstiles impetus a se retunderet. « Difficilius » forte est (scite notant Bollandiani Patres) scribere accurate » de rebus dogmaticis, moralibus et asceticis, ita ut scripta » intelligantur ab indoctis, et non spernantur a doctis, quam » grandiora de theologia condere opera. Quae difficultas tanta » est ut non superetur nisi a summis viris ».

Adversus ineptias et inanes calamistros suorum temporum quoad eloquentiam sacram et homileticam Vir Sanctus etiam vocem extulit in suo aureo tractatu de praedicatione verbi divini. Ita ut vere dici possit sacrae eloquentiae instau-

rator et facile intelligi quam salutaris, et quanta lux fuerit haec Sancti industria. Doctissimus Faber conciones illius audiens sibi visus est « *audire antiquos illos Chrysostomos, Hieronymos, Augustinos et alios, si qui sunt, ex veteribus Episcopis celebriores* ». Et S. Alphonsus Ecclesiae Doctor praecepta et exempla Salesii concionatoribus proponebat.

Sanctus Salesius enituit etiam ex copia eruditionis seu rerum optimarum, quibus catholicam doctrinam illustravit. Sic itaque habendum est, non modo omnes theologiae partes ab eo studiose fuisse excultas, sed omnium humanarum scientiarum, et litterarum praesidia ad eas illustrandas fuisse conversa. Et ideo huic sancto aptari potest quod fidei Promotor in Ecclesiae Doctoribus flagitat, quod nempe novi doctrinae fontes ab eo fuerint reserati.

Quidquid autem a S. Antistite scriptum est non solum ab exquisita litterarum cultura, sed a philosophico robore informatur. Quapropter, ut alios posthabeam, Caesar Cantù aiebat: Libri S. Francisci Salesii, et praecipue Philothea, mitem spirans christianismum, sunt ex optimis asceticis.....quoad profunditatem et luciditatem spiritus philosophici et christiani nescirem cui posthaberem ex summis magni saeculi scriptoribus. Et Gulielmus Audisius, in suis lectionibus eloquentiae sacrae, Franciscum exemplar proponens inquit: Sanctus Franciscus Salesius est eximius philosophus.

Neque dicendum (ut ait fidei promotor) quod non aliis Doctoris titulus sit donandus, quam iis qui nascentes haereses confodere, vel veterascentes eradicarunt, vel denique collecta Ecclesiae dogmata, ac praescripta in ordinem digessere, ut exinde posteri theologicarum scientiarum fundamentum et renascentium haeresum refutationem haurire valeant. Nam si stricte propositio sumatur neque Petrus Damianus, neque Chrysostomus et Chrysologus in Doctorum agmine essent recensendi. Potest aliquis docte, laboriose, fructuosissime contra haereticos pugnare, quin haeresis recens sit, vel si pridem enata fuerit, quin prorsus eradicetur. Ambrosius iamdiu grassatos confodit Arianos, ac post eius obitum Italia huiusmodi haereticis adhuc abundavit.

Ad Salesium quod attinet certum est laudem meruisse parem illi, quam Doctores declarati meruerunt; ille enim Ecclesiae praesidio fuit tum in oppugnandis haereticis, eorum-

que erroribus profligandis ; tum in explicandis scripturarum aenigmatibus, vel in in theologicis quaestionibus enodandis. Alexander VII in Bulla canonizationis Salesii pronunciavit: « *erecto veritatis vexillo, per patientiam et doctrinam, omnibus omnia factus, iacentem religionem sustinuit, et dominantem impietatem fregit ac deiecit quasi alter David.* Et exordia praedictae Bullae Salesium celebrant tamquam » *doctrina celebrem... aetatique huic nostrae contra haereses medicamen praesidiumque.*

Sanctus Franciscus praesidio fuit ecclesiae adiuvans s. scientiae cultores pretiosis peritiae monumentis : ita ut par SS. Patribus existimatus fuerit, eiusque auctoritatem tum S. Alfonsus tum Benedictus XIV adhibuerint. Quod faciunt theologi Italici, Hispani, Gallici et Germanici.

Hisce in medium prolatis, perspicue demonstratum esse videtur, eiusmodi esse Salesii merita, et tantam scriptorum eius dignitatem, ut commode ac decenter connumerari valeat in Doctorum agmine.

Neque Salesii gloria imminuitur ex meritis tum B. Canisii, tum V. Bellarmini, qui eadem aetate contra haeresim decertarunt. Quoties enim haeresis aliqua insurgit, praesertim si valida sit et propagetur, numquam Deus tam inopem praesidii Ecclesiam suam esse sinit, ut vir unus, Coclitis instar, infenso aggredientium agmini obiiciatur. Et si quatuor, sanctis Viris Hilario, Athanasio, Ambrosio et Isidoro laurea doctoralis est imposita, eo quod Arianam luem oppugnarint, eccur tribus aliquando imponi non poterit (si Canisius et Bellarminus canonizationis honores fuerint adepti) propter certamina quae contra tricipitem haeresim strenue obierunt ?

Pariter falli dicendus est fidei promotor dum iudicat Franciscum adiungendum esse agmini defensorum qui illius haereseos monstro non *percussores* sed vigiles *excubitores* se praebuerant : quia illum declarat percussorem, minime vero excubitorem Bulla canonizationis... *intime haeresim percellere tantumque effecit ut...* Neque fas est alicui attingere Romanorum Pontificum scripta, quae, ut ait Benedictus XIV « *a Papa proveniunt uti Supremo Ecclesiae Duce et Pastore* » cuius generis sunt Bullae canonizationis.

Huc perventus causae Patrocinator large loquitur de Scriptis S. Francisci de Sales particulatim spectatis, efformans eodem

tempore iudicium super praestantia et merito uniuscuiusque, ut colligat scientiam S. Viri vere fuisse eminentem et Doctore dignam. Quem finem probe pertingit argute atque docte refutans, quidquid fidei promotor obiecerat contra scientiae eminentiam Salesii. Eiusmodi examen super singulis Francisci operibus institutum, tali evidentia animum lectoris afficit, ut neque dubitationis umbra supersit, quod Doctoris laurea Salesius donandus sit. Ast nos ex animo dolemus, quod rerum publicandarum divitia haud nobis sinat integrum lectoribus, ceu cordi esset, egregium atque plenum doctissimi Patrocinatoris opus praebere.

Ad conclusionem suae defensionis veniens Patrocinator, de opportunitate recensendi Salesium inter Doctores etiam loquutus est. Tempora enim, ait ille, et conditio in qua Ecclesia et humana societas versatur huiusmodi sunt, ut nihil salubrius et opportunius videatur posse decerni. « Temporum » iniquitas (ait Emus Card. Philippus De Angelis) in qua » vivimus dum undique et vi et insidiis impetitur Ecclesia » Catholica praesertim in eius Capite Romano Pontifice, impu- » lit ut eis opponatur tanti Antistitis auctoritas, qui magnam » vitae suae partem insumpsit in revocandis ad Ecclesiae » sinum haereticis, semperque summa veneratione Romanum » prosequutus est Pontificem, eiusque primatum et praeroga- » tivas est testatus ».

Illi qui sapientes saeculi sese putant et iactant, nihil aetate nostra curant impensius, quam ut in rebus omnibus naturae et gratiae dominatus, humanae et divinae scientiae studia, civis et Christifidelis officia, politicae Societatis et Ecclesiae potestas et iura, tamquam sibi invicem adversa, aggere insuperabili interposito seiungantur. At haec uni cuncta subiacent rerum omnium conditori et moderatori Deo, quae nisi in unum conspirent, et quod in homine inferius est illi quod praestat subiiciatur, nulla pax erit, nullus ordo, nulla salus, nulla solida prosperitas, in qua societas humana, convulsa iampridem et collapsa, tuta demum conquiescat. Iam vero nemo alius prae Salesio nostro necessariam hanc rerum diversarum coniunctionem strenue defendit et asseruit, ita, ut natura gratiae, humana scientia Sapientiae divinae, civilia officia Religioni, maiestas imperii Ecclesiae sanctitati primas concedat et obsequatur.

Huius igitur S. Viri auspiciis novus rerum ordo nascatur, aut eius diei quam optamus rubescat aurora, isque Doctor Ecclesiae declaratus, non modo scriptis suis, queis novum signum auctoritatis sit additum, sed etiam prece potenti apud Deum, ea bona nobis obtineat, quae iamdiu inhiantes optamus, quaeque vivens ipse Ecclesiae et universo hominum coetui comparare studuit ac vehementer contendit. Dum haec fervidis ominibus votisque prosequimur, supplices apud sacrum hunc Ordinem obsequenter instamus una cum Rmo Episcopo Anneciensi ceterisque Ecclesiae Praesulibus, qui eius postulationi accesserunt, (1) ut Emi suffragatores eam sententiam Patri Beatissimo, summo causae Iudici ferendam suadeant, qua Francisci honori, et decori Ecclesiae prospiciens, Pastorum simul et innumerae fidelium multitudinis desideriis indulgeat, petitionibus annuat, atque ita eam laetitiam cumulet, qua catholicus Orbis exultat, dum Ipsum feliciter annum ab Episcopali consecratione quinquagesimum iam explevisse gratulatur.

Hisce in medium deductis causa disceptanda proposita fuit in S. Congregatione Rituum die 7 Iulii 1877 referente Emo Cardinali Aloisio Bilio eiusdem S. Congregationis Praefecto et Causae Ponente, causaque cognita, responsum prodiit: *Consulendum SSmo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem S. Francisci de Sales cum officio et Missa de Communi Doctorum Pontificum, retenta Oratione propria et lectionibus secundi Nocturni.*

Facta deinde horum omnium eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario fideli relatione sub die 19 Iulii 1877, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit, ac praeterea generale Decretum Urbis et Orbis expediri mandavit; quodque infra refertur.

(1) **Patres Concilii Vaticani, qui postulaverunt ut S. Franciscus Salesius augeretur titulo doctoris Ecclesiae, fuerunt, omnes simul 452. Quorum erant Cardinales, 7 Patriarchae, 74 Archiepiscopi, 326 Episcopi, et 15 Abbates ac Moderatores Generales Ordinum.**

DECRETUM

www.libtool.com.cn

URBIS ET ORBIS

Quanto Ecclesiae futurus esset decori et quantae coetui universo Fidelium utilitati S. Franciscus Salesius non solum Apostolico zelo, virtutum exemplo et eximia morum suavitate, sed scientia etiam et scriptis coelesti doctrina refertis, sa mem: Clemens PP. VIII praenuntiare visus est. Audito namque doctrinae specimine, quod Salesius coram ipso Pontifice dederat ad Episcopalem dignitatem promovendus, eidem gratulans Proverbiorum verba usurpavit: *Vade fili et bibe aquam de cisterna tua et fluenta putei tui, deriventur fontes tui foras et in plateis aquas tuas divide.* Et sane dederat Dominus Salesio intellectum iuxta eloquium suum: cum enim Christus omnes alliciens homines ad Evangelica servanda praecepta enunciasset: *iugum meum suave est et onus meum leve;* Divinum effatum S. Franciscus ea, qua pollebat caritate et copia doctrinae, in hominum usum quodammodo deducens, perfectionis christianae semitam et rationem multis ac variis tractationibus ita declaravit, ut facilem illam ac perviam singulis fidelibus cuicumque vitae instituto addictis ostenderet. Quae quidem tractationes suavi stylo et caritatis dulcedine conscriptae uberrimos in tota christiana societate pietatis fructus produxere, ac praesertim Philothea et epistolae Spirituales, ac insignis et incomparabilis tractatus de amore Dei, libri nimirum qui omnium feruntur manibus cum ingenti legentium profectu. Neque in mystica tantum theologia mirabilis Salesii doctrina refulget, sed etiam in explanandis apte ac dilucide non paucis, obscuris Sacrae Scripturae locis. Quod ille praestitit cum in Salomonis cantico explicando, tum pro re nata passim in concionibus et sermonibus, quorum ope

eam quoque laudem est adeptus, ut sacrae eloquentiae dignitatem temporum vitio collapsam ad splendorem pristinum et Sanctorum Patrum vestigia et exempla revocaret.

Quamplures autem Sancti Gebennensis Antistitis Homiliae, Tractatus, Dissertationes, Epistolae praeclarissimam eius testantur in dogmaticis disciplinis doctrinam, et in refutandis praesertim Calvinianorum erroribus invictam in Polemica arte peritiam, quod satis superque patet ex multitudine haereticorum, quos in sinum Ecclesiae catholicae suis ipse scriptis et eloquio reduxit. Profecto in selectis Conclusionibus seu Controversiarum libris, quos Sanctus Episcopus conscripsit, manifeste elucet mira rei theologicae scientia, concinna methodus, ineluctabilis argumentorum vis tum in refutandis haeresibus, tum in demonstratione Catholicae veritatis, et praesertim in asserenda Romani Pontificis auctoritate, iurisdictionis Primatu, eiusque infallibilitate, quae ille tam scite et luculenter propugnavit, ut definitionibus ipsius Vaticanae Synodi praelusisse merito videatur.

Factum proinde est ut Sacri Antistites et Eminentissimi Patres in suffragiis, in Concistoriali Conventu pro Sancti Episcopi Canonizatione prolatis, non solum vitae eius sanctimoniam, sed potissimum doctrinae excellentiam multis laudibus exornarent, dicentes nimirum Franciscum Salesium sal vere Evangelicum ad saliendam terram et a Calviniana putredine purgandam, editum ; et solem mundi qui in tenebris haeresum iacientes, veritatis splendore illuminavit, illique oraculum accomodantes « qui docuerit sic homines, magnus vocabitur in Regno coelorum ». Quinimmo Summus ipse Pontifex s. m. Alexander VII Franciscum Salesium praedicare non dubitavit, tamquam doctrina celebrem aetatique huic nostrae contra haereses medicamen, praesidiumque, ac Deo gratias agendas ait, « quod novum Ecclesiae intercessorem concesserit ad fidei catholicae incrementum, haereticorumque, et a via salutis errantium lumen et conversionem, quippe qui Sanctorum Patrum exempla imitans potissimum catholicae religionis sinceritati consuluit, qua morens informando, qua

sectariorum dogmata evertendo, qua deceptas oves ad ovile reducendo ». Quae quidem idem Summus Pontifex de praestantissima Salesii doctrina in Concistoriali allocutione iam edixerat, mirifice confirmavit Monialibus Visitationis Anneciensibus scribens ; « *salutaris lux qua divi Francisci Salesii praeclara virtus et sapientia Christianum Orbem universum late perfudit* ».

www.libtool.com.cn

Cuius Summi Antistitis sententiae Successor eius Clemens IX accedens in honorem Salesii antiphonam a Monialibus dicendam probavit : *Replevit S. Franciscum Dominus Spiritu intelligentiae, et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei* ». Huiusmodi autem SS. Pontificum iudiciis adstipulatus etiam est Benedictus XIV, qui difficilium quaestionum solutiones et responsa Sancti Episcopi Gebennensis auctoritate saepe fulcivit, ac sapientissimum nuncupavit in Sua Constitutione *Pastoralis curae*. Adimpletum igitur est in Sancto Francisco Salesio illud Ecclesiastici. « Collaudabunt multi sapientiam eius, et usque in saeculum non delebitur, non recedet memoria eius et nomen eius requiretur a generatione in generationem, sapientiam eius enarrabunt gentes et laudem eius enuntiabit Ecclesia ».

Idcirco Vaticani Concilii Patres supplicibus enixisque votis Summum Pontificem Pium IX communiter rogarunt ut Sanctum Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraret. Quae deinceps vota Eminentissimi Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pluresque ex toto Orbe Antistites ingeminarunt, et plurima Canonicorum Collegia, magnorum Lycaeorum Doctores, Scientiarum Academiae; iisque accesserunt supplicationes augustorum Principum, nobilium Procerum, ac ingens Fidelium multitudo.

Tot itaque tantasque postulationes Sanctitas Sua benigne excipiens gravissimum negotium expendendum de more commisit Sacrorum Rituum Congregationi. In Ordinariis profecto Comitiis ad Vaticanas aedes infrascripta die habitis Emi et Rmi Patres Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi, audita relatione Emi ac Rmi Cardinalis Aloisii Bilio Episcopi Sa-

binen. eidem S. Congregationi Praefecti et Causae Ponentis, matureque perpensis Animadversionibus R. P. D. Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, necnon Patroni Causae responsis, post accuratissimam discussionem unanimi consensu rescribendum censuerunt: «*Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione et extensione ad universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Francisci De Sales cum Officio et Missa de Communi Doctorum Pontificum, retenta Oratione propria et Lectionibus secundi Nocturni* ». Die 7 Iulii 1877.

www.libtool.com.cn

Facta deinde horum omnium eidem Sanctissimo Domino nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua Sacrae Congregationis Rescriptum adprobavit et confirmavit, ac praeterea Generale Decretum Urbis et Orbis expediri mandavit. Die 19, iisdem mense et anno.

ALOISIUS EPISCOPUS SABINEN. CARD. BILIO
S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Sigilli

PLACIDUS RALLI S. R. C. SECRETARIUS.

IN FESTO

SANCTI FRANCISCI SALESII

www.libtool.com.cn

EPISCOPI CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS

Additio ad Ellogium Martyrologii Romani quinto Kalendas Ianuarii.

Post verba « Annesium translatum fuit. » addantur sequentia = Quem PIUS Nonus, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, Universalis Ecclesiae Doctorem declaravit. =

*Additio ad Lectionem VI^m^*

Post verba « vigesima nona Ianuarii, » addantur sequentia = et a Summo Pontifice PIO Nono, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, Universalis Ecclesiae Doctor fuit declaratus. =

URBIS ET ORBIS

Relatis per me infrascriptum Cardinalem in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis, hodierna die ad Vaticanum habitis, precibus quamplurium Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Revmorum Antistitum ac Religiosorum Ordinum Moderatorum, aliorumque virorum ecclesiastica praesertim dignitate illustrium, quibus exquirebatur, ut aliqua additio fieret tum in Martyrologio Romano tum in VI Lectione in Festo Sancti Francisci Salesii, nuperrime inter Ecclesiae Doctores adsciti, utque concessiones omnes

hac super re factae Litteris Apostolicis in forma Brevis confirmarentur; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi rescribendum censuerunt: « *Pro gratia, ac supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis.* » Die 15 Septembris 1877.

www.libtool.com.cn

Facta autem de praedictis Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens et confirmans, additiones uti supra approbavit, mandatque ut super concessionibus hac in re factis per eamdem Sacram Congregationem tum Nonis Iulii tum decimo septimo Kalendas Octobris expediantur Litterae Apostolicae in forma Brevis. Die 20 iisdem Mense et Anno.

A. Ep. Sabinen. Card. Bilio S. R. C. Praef.

L. ✠ S.

Plac. Ralli S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Taurinen. Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Iosephi Benedicti Cottolengo Canonici Collegiatae Ecclesiae Sanctissimi Corporis Christi et Fundatoris Instituti Taurinensis Parvae Domus Divinae Providentiae.

www.nbtool.com.cn

Quarto Idus Iunii anni 1875 quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. benigne indulserit ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Iosephi Benedicti Cottolengo praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis, Emus et Rmus D. Card. Aloisius Oreglia de Sancto Stephano huius Causae Ponens ad instantiam R. Patris Fr. Amadei ab Urbeveteri Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum et huius Causae Postulatoris constituti attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim dignitate illustrium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit nimirum: « An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur? » Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit « Affirmative sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit. » Die 7 Iulii 1877.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem introductionis Causae Ven. Servi Dei Iosephi Benedicti Cottolengo praedicti. Die 19 eiusdem Mensis et Anni.

ALOISIUS Episc. Sabinen. CARD. BILIO S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli.

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

www.libtool.com.cn

NOMINATIONES EPISCOPORUM ET ECCLESIARUM DESCRIPTIONES, QUIBUS SUNT PRAEPOSITI. (1)

Die 21 Septembris 1877

CATHEDRALEM ECCLESIAM VERSALIEN. vacan. per obitum bobitum Joannis Petri Mabile ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti; ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, ad dictam Ecclesiam promotus est R. D. Petrus Antonius Goux ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Tolosae progenitus, et quinquagesimum aetatis suae annum supergressus. Presbyteratus ordine dudum donatus, in ecclesiasticis functionibus peragendis sedulam impendit operam. In parvo Tolosano seminario Professorem agens, ipsa in metropolitana Vicarius parochialis adlectus, in eiusdem civitatis lyceo Capellanus constitutus, atque ad praesens usque Tolosana in urbe ad S. Saturnini Parochus renunciatus est.

In provincia Sequanae et Oesiae, *Département de Seine et Oise*, civitas Versaliensis plano in loco, optimoque sub diu aedificatata quadraginta circiter continet incolarum milia, qui fere omnes catholicom religionem profitentur sub temporali dominio gallico.

Cathedralis Ecclesia, mixtae structurae, S. Ludovici Confessoris et Francorum Regis titulo gloriatur, et Parisiensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem enumerat Canonicos titulares, quos inter Poenitentiarius; nonnulli insuper Presbyteri, et Clerici cum pueris de choro, ac etiam diebus festis cum alumnis seminarii magni divino intersunt servitio.

Canonicus-Archipresbyter a nonnullis Vicariis adiutus animarum curam administrat ipsamet in Cathedrali.

Tres aliae recensentur Versaliensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex monasterium virorum, ac plures mulierum religiosae domus, hospitale, magnum ac parvum seminatrium; mons autem pietatis deside ratur.

Dioecesis Versaliensis totam com-

(1) Alias eiusdem diei nominationes iam retulimus praecedenti fasciculo pag. 305 et seqq.

plectitur Sequanae et Oesiae provinciam, per triginta circiter protenditur leucas, et plura sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NIVERNEN. vacan. per obitum bo. me. Thomae Casimiri Francisci de Ladoue ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, ad relatam Ecclesiam promotus est R. D. Stephanus Antonius Alfredus Lelong ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Cabiliolensi, *Chalon Sur-Saône,* dioeceseos Augustodunensis progenitus ac in tertio supra quadragesimum aetatis suae anno constitutus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis explendis functionibus sedulum impendit animum, Augustodunensi curiae Episcopali applicitus, illius anteacti Antistitis a Secretis, dioeceseos negotiis expediendis intentus, semel iterumque inibi Vicarius Capitularis adlectus, pluresque per annos Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Nivernum, vel Nivernae civitas Galliae in omonyma provincia sita et partim in planitie, partim in collibus aedificata, optimo ac salubri potitur aere, et ab ultra viginti millibus inhabitatur incolis, qui gubernio gallico in temporalibus subsunt.

Cathedralis Ecclesia, ampla satis, pulchra, mixtaeque structurae, Sanctorum Martyrum Quirici et Iulittae titulo gloriatur, atque Senonensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset cum theologo, Canonicos titulares, aliosque Presbyteros, quibus accensentur pueri de choro, et diebus festis etiam alumni seminarii maioris pro divino servitio.

Per Canonicum-Archipresbyterum, adiutum a tribus Vicariis animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Duae aliae praeter Cathedralem recensentur Nivernensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duae virorum et plures mulierum religiosae domus, hospitale, magnum, ac duo parva in dioecesi seminaria; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad viginti circiter leucas in longitudinem, ad quindecim in latitudinem protenditur, plura sub se continet loca, ac tercentum quadraginta incolarum millia.

CHATEDRALEM ECCLESIAM LUCIONEN. vacan. per translationem R. P. D. Iulii Francisci Le Coq ad Sedem Nannetensem; ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, ad recensitam Ecclesiam evectus fuit R. D. Nicolaus Clodovaeus Iosephus Catteau ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Marquion* dioeceseos Atreba-

tensis progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis sese laudabiliter exercuit. In seminario dioecesano sacrae theologiae ac iuris canonici Professor adlectus, Curiae Episcopalis Atrebatensis Secretarius Generalis constitutus, hucusque vero pro eadem civitate atque dioecesi Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus est.

Luciona urbs provinciae Vandeae in planitie, non longe a mare bono sub coelo aedificata sex circiter continet incolarum millia sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia Bmae Virginis Mariae in coelum Assumptae titulo gloriatur, gothicam praefert structuram, atque Burdigalensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recênset cum theologo Canonicos titulares, qui cum aliis Presbyteris, pueris de choro, atque diebus festis cum alumnis etiam seminarii divinis intersunt officiis.

Per Canonicum-Archipresbyterum ac duos Vicarios animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Nulla alia reperitur Lucionensi in urbe paroecialis Ecclesia, non collegiata, nec mons pietatis, sed quaedam pro mulieribus religiosae domus, hospitale, magnum ac duo parva seminaria.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam Vandeae, plura sub se continet loca, et quadringenta incolarum millia.

Cathedralem Ecclesiam Cuyaben. in Brasilia vacan. per obitum bo. me. Iosephi Antonii dos Reis ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad praesentationem Serenissimi Brasiliae Imperatoris, ad relatam Ecclesiam promotus est R. P. D. Carolus Aloisius d'Amour in urbe S. Ludovici de Maragnano progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis functionibus obeundis navam impendit operam. In patria Cathedrali Beneficiatus, et anteacti Antistitis S. Ludovici de Maragnano, dein Archipraesulis nuper defuncti Sancti Salvatoris in Brasilia a Secretis adlectus, in illo archiepiscopali seminario pro lingua gallica Professoris, eaque in metropolitana coeremoniarium Magistri munere perfunctus est. Canonicus metropolitanae S. Salvatoris hucusque constitutus, illaque sede vacante Vicarius Capitularis renunciatus, inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos adscitus est.

Cuyaba civitas Brasiliae et caput provinciae de *Mato-Grosso* ad laevam fluminis Cuyaba bis mille circiter domos, atque duodecim fere mille continet incolas Christifideles sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis Ecclesia, veteris

structurae, Boni Iesu de Cuyaba titulo gloriatur, atque S. Salvatoris in Brasilia Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum desideratur, sed loco dignitatum adest Vicarius Generalis, et ad praesens Capitularis, sex insuper Canonici honorarii, ac decem Presbyteri, inclusive ad quatuor Capellanos militares, divinis inserviunt.

Per Parochum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Altera praeterea reperitur Cuyabensi in urbe paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, quatuor Collegiales, totidem laicorum sodalitates, pauperum hospitium ad montem pietatis pertinens, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus latissime patet ac plura sub se complectitur loca.

Cathedralem Ecclesiam S. Ludovici de Maragnano in Brasilia vacan. per obitum bo. me. Aloisii a Conceptione Saraiva ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad praesentationem Serenissimi Brasiliae Imperatoris, ad recensitam Eccl. evectus est R. D. Antonius Candidus de Alvarenga ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in urbe Brasiliana S. Pauli progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum initiatus, in ecclesiasticis obeundis officiis, signanter utriusque sexus sacramentales confessiones excipiendo naviter emicuit. In patrio seminario professoris munere perfunctus, et Vicarius adlectus in parochiali Ecclesia Beatae Annae, dioeceseos S. Pauli, ipsa in Cathedrali tum Capellanus, tum ad praesens usque Canonicus Poenitentiarius renunciatus est.

Civitas S. Ludovici in provincia Maranhensi Brasiliani imperii, et in ora occidentali insulae S. Ludovici sita fertili sub solo unius circiter milliarii est ambitus, quatuor mille quingentas circiter continet domos, et ab ultra triginta millibus inhabitatur incolis sub temporali dominio praefati Serenissimi Imperatoris.

Pervetusta Cathedralis Ecclesia, pulchrae ac peramplae structurae, Beatissimae Virginis Mariae de Victoria titulo gloriatur, atque Archiepiscopo S. Salvatoris in Brasilia suffragatur.

Eius Capitulum quatuor enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, duodecim Canonicos, octo Beneficiatos, octodecim Capellanos, aliosque Presbyteros et clericos rei divinae operam navantes.

Per Parochum-Canonicum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Binae aliae praeterea recensentur ipsa in civitate paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex virorum et unum mulierum monasterium, pauperum hospitium, domus pro puellis instituendis, plures laicorum sodalitates, hospita-

le, et duplex seminarium : mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad triginta fere mille leucas quadratas protenditur, duplicem complectitur provinciam de Maragnano et Piauhy nuncupatam, pluresque sub se continet civitates et loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM DE CARTHAGENA in America Meridionali vacan. per obitum bo. me. Bernardini Medina ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti ; ad eamdem Ecclesiam de Carthagena ex benignitate SANCTITATIS SUAE evectus est R. D. Ioannes Nepomucenus Rueda ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Statu de Bojacà, archidioeceseos S. Fidei de Bogota progenitus et quinquagesimum tertium aetatis suae annum supergressus. Presbyteratus ordine et in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis functionibus peragendis sedulo incubuit. Plures paroecias successive ac variis temporibus administrans, hucusque vero paroeciae *de las Nieves* in urbe capite archidioeceseos S. Fidei de Bogota Rector, eiusque archidioeceseos Examinator Synodalis renunciatus est.

Civitas de Carthagena in Neo-Granantensi ditione Statuum Foederatorum Columbiae in America Meridionali sita, atque eiusdem nominis provinciae caput, ultra decem mille continet habitatores catholican. religionem profitentes.

Eius Cathedralis Ecclesia amplis satis, ac boni aedificii, S. Catharinae Virginis et Martyris invocatione gaudet, atque Archiepiscopo S. Fidei de Bogota suffragatur.

Quinque Dignitates, ex quibus post pontificalem maior Decanatus, constituunt eius Capitulum, quod decem insuper conflatur Canonicis cum utraque praebenda, sex rationariis, totidem mediis rationariis, decem Capellanis de choro, aliisque Presbyteris et clericis pro divino servitio.

Per Parochum animarum cura exercetur ipsamet in Cathedrali.

Praeter Cathedralem duae aliae enumerantur in civitate de Carthagena paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, unum virorum, et alterum mulierum monasterium, nonnulla laicorum sodalitia, et seminarium : mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, pluresque paroecias, ac plura sub se complectitur loca.

EPISCOPALEM ECCLESIAM TAENARIEN. sub Archiepiscopo Lacedaemoniensi in partibus infidelium vacan. per translationem R. P. D. Gasparis Bonifacii Urban, modo vita functi, ad metropolitanam Sedem Bambergensem ; eidem Taenanien. Ecclesiae ex benignitate SANCTITATIS SUAE praefectus est atque in Auxiliarem Emi et Rmi Domini Godefridi S. R. E. Presbyteri Cardinalis Brossais Saint Marc Archipraesulis Rhedonensis deputatus ad

pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito in illa civitate atque archidioecesi obeunda, iuxta decretum Sacrae Congregationis Consistorialis a praefata SANCTITATE SUA adprobatum, R. P. D. Paulus Franciscus de Forges ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in urbe *Redon* archidioeceseos Rhedonensis progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine dudum insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, praesertim in verbi Dei praedicatione naviter emicuit. In patria civitate Vicarius parochialis et a Secretis Rhedonensis Antistitis adlectus, Blesensi in dioecesi Collegii, cui vulgo nomen *Pont Levoy*, Director renunciatus, ac inter SANCTITATIS SUAE Protonotarios Apostolicos Supranumerarios adscitus est.

Taenaria, vel Tenarium civitas Peloponnesi apud Taenariam promontorium, ab infidelibus adhuc detinetur; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NANNETEN. vacan. per obitum bo. me. Felicis Fournier ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti; ad nominationem perillustris Viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae, Gallicae reipublicae Praesidis, ad recensitam Ecclesiam translatus est R. P. D. Iulius Franciscus Le Coq, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere, cum de mense Martio 1875 Lucionensi Ecclesiae praefectus fuit.

Nannetes vel Namnetae urbs Galliae magnitudine et commercii frequentia spectabilis in ea Britanniae regione, quae Ligeris inferior dicitur, *Département de la Loire Inferieure*, optimo sub coelo et ampla in planitie posita, decem circiter mille continet domos, eamque centum viginti circiter mille incolunt fideles sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia ampla satis ac decens, S. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, structuram praefert gothicam, atque Turonensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem cum theologo ac poenitentiario recenset Canonicos titulares, pluresque presbyteros, et clericos, queis pueri adiunguntur de choro ac diebus festis etiam seminarii alumni pro divino servitio.

Canonicus-Archipresbyter a quatuor Vicariis adiutus animarum curam ipsamet exercet in Cathedrali.

Decem recensentur Namnetae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, plures pro viris ac pro mulieribus religiosae domus, aliquot laicorum sodalitates, nonnulla hospitalia, mons pietatis, magnum ac parvum seminarium.

Dioeceseos ambitus latissime patet sex centum sub se complectens incolarum millia.

Per Breve Pontificium eae quae sequuntur provisae sunt Ecclesiae:

Ecclesia Archiepiscopalis Amiden. in *part infid.* collata fuit R. P. D. Colino Mac Kinnon iam Episcopo Arichaten.

Ecclesia Archiepiscopalis Heliopolitana in *part. infid.* collata fuit R. P. D. Mario Morenni Delegato Apostolico in Regno Peruviano.

Ecclesia Archiepiscopalis Nicosiensis in *part. infid.* collata fuit R. P. D. Stephano Azarian Sacerdoti Armeno.

Ecclesia Episcopalis Claudiopolis in *part. infid.* collata. fuit R. P. D. Danieli Comboni, Vicario Apostolico in Africa centrali.

Ecclesia Episcopalis Botrensis in *part. infid.* collata fuit R. D. Martino Ioanni Pontavienne Vicario Apostolico in Concinsina septemtrionali.

Ecclesia Episcopalis Arcensis in *part. infid.* collata fuit R. D. Petro Mariae Le Berre Vicario Apostolico in duabus Guineis.

Ecclesia Episcopalis Himeriensis in *part. infid.* collata fuit R. D. Adriano Godschalk auxiliari R. P. D. Ioannis Divisen Episcopi Buscoducensis.

Ecclesia Episcopalis Pariensis in *part. infid.* collata fuit R. P. Marcellino a s. Theresa ex ordine Carmelitarum discalceatorum.

Dein Sanctissimus, iuxta morem, os aperuit Emo Cardinali Garcia Gil, et postulatio facta est S. Pallii pro Metropolitana Ecclesia Firmi.

Tandem Sanctitas sua anulum Cardinalitium tradidit praedicto Cardinali Garzia Gil, eidem assignans, in titulum, Ecclesiam S. Stephani in Coelio monte.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

MATRIMONII

Die 10 Iunii 5 Augusti 16 Decembris 1876 et 21 Aprilis 1877.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1855 nuptiae conciliatae sunt inter Aemiliam T. puellam annorum duodeviginti et Fridericum D. qui tunc erat quadraginta annos natus. Mutuo affectu res composita est; dum, sponsus consuevisset sponsam pluries convenire, et conditio inter eosdem aequalis esset. Quaestioni huic originem praebuit sonticus morbus, quo puella laboravit; convenit enim inter omnes in processu Aemiliam dum pueritiam ageret in Asceterio, institutionis causa, nervorum agitationibus vexatam fuisse, quas a comitiali morbo difformes medici renuntiarunt; illas vero aliquot deinde annis usque ad matrimonii tempus evanuisse.

In matrimonii pervigilio tamdiu sopitae infirmitatis indicia rursus apparuerunt. Atque ex hoc gravis contentio exarsit inter Fridericum et Aemiliae parentes. Fridericus accusare coepit fraudis patrem puellae, quod de filiae valetudine nihil monuisset; hic vero respondit, primo quod levis infirmitas esset cum matrimonium initum fuit, deinde quod etiam de hoc levi morbo generum admonere non omiserit.

Quaesitum pariter fuit inter partes an illae nervosae agitationes, quae locum habuerunt in matrimonii pervigilio, ac diuturno temporis lapsu deinde, donec morbus gravior factus est, vere *epilepticae* essent, an potius gravis haec qualitas postmodum supervenerit. Dissentientes hac de re medici vi-

dentur ex eo fortasse quod alii de novissimis temporis indiciis iudicarunt, alii vero de prioribus.

Fridericus D. anno 1855 deposuit verum conitialem morbum a primo matrimonii die incepisse; attamen multo ante in iudicio separationis dixerat uxorem merâ vertigine initio laborasse, et nonnisi post quinquaginta dies epileptica indicia coepisse. Pariter dum mulier in domo mariti versaretur libera videtur fuisse a morbo epileptico per quatuor menses post nuptias initas. Post hoc tempus usque ad separationem identidem mulier, seu frequenter, ut ait actor, seu rarius, ut ipsa contendit, morbo obnoxia fuit.

www.libtool.com.cn

Quamdiu coniuges in eadem domo et in matrimoniali forma simul habitaverint, ex eorum testimoniis eruitur. Nam si varia tempora coniungantur habetur lapsum quatuor circiter mensium, quos Aemilia et Fridericus in coniugali contubernio transegerunt, quamvis separatio hinc inde nuntiata post octo a matrimonio menses evenerit.

Aemilia in iudicio separationis, coram Tribunali civili instituto, rem dumtaxat exposuit, nam in causa postmodum a viro instituta de vinculi solutione, sistere recusavit. Tunc autem dixit: Fridericum non sine magna difficultate propter segnes corporis vires, pluribus tamen diebus elapsis in iti nere (illico post nuptias suscepto) cum Parisios peterent, copulam perfecisse. Cum autem de mariti frigiditate non semel in eodem libello mentionem faceret, hoc explicavit, non de vera impotentia intelligendum esse, sed de difficultate in munere explendo, quod illum certe explevisse contendit.

Fridericus pluries adiuncta contubernii narravit; et testimonio, sancito iureiurando, in iudicio canonico impensius consummationem exclusit ob epilepticas convulsiones, quibus mulier saepe angebatur. Testes numero multi sunt, in iis complures officio vel ordine praestantes; quos omnes a Friderico inducti fuerant; cum mulier sive per se, sive per procuratorem sistere recusavisset. Qui omnes testes in hoc convenerunt quod Fridericum putarunt fide plena dignum; et de matrimonii consummatione rogati retulerunt ex auditu, vel

ab ore Friderici vel familiae, consummationem non evenisse.

Productae insuper fuerunt a Friderico variae litterae quas Aemilia servabat, quaeque tempus cohabitationis respiciunt. Agebatur in illis, tum ab Aemilia conscriptis ad virum, tum a parentibus ad eamdem Aemiliam datis, de probabilitate, quod ista utero gravis esset.

www.libtool.com.cn

Hisce praemissis de matrimonii, et cohabitationis adiunctis aliquid dicendum de actorum serie ab instituto de separatione iudicio exordiendo. Die 5 Martii 1856 Fridericus D. libellus de separatione contra uxorem edidit, eamque rapuit coram civili magistratu. Plane in hoc iudicio Aemilia contendebat se non vere sontico morbo laborare. sed vehementi commotione nervorum, Fridericus autem urgebat se ab Aemilia eiusque parentibus deceptum fuisse, quia de gravi morbo admonere debuissent. Hic voti compos factus est tum in prima actione, tum etiam coram appellationis magistratu; cum declaratum fuerit eiusmodi separationem, quoad mensam et thorum, admissam fuisse.

Ab anno 1856 ad annum 1864 numquam de matrimonii solutione actum est. Anno demum 1864, dum adhuc quaestio separationis in tertio gradu pendebat. Fridericus coram Curia T. petiit matrimonii nullitatem decerni, quia consensum praebuerat errore deceptus, quoad puellae valetudinem a puella ipsa eiusque parentibus. Verumtamen Curia petitionem nullitatis matrimonii reiecit. Adversus hanc sententiam provocavit Fridericus, sed mox appellationi nuntium misit, ac preces edidit pro dispensatione super matrimonio rato, et non consummato, posthabens experimentum iudicii super matrimonii nullitatem, utpote difficilius. His communicatis cum Episcopo T respondit quod quaestio facti, idest inconsummatio matrimonii, haud facile probatu esse sibi videretur. Prostant enim viri et mulieris declarationes sibi contradicentes, dum mulier autumet matrimonii consummationem tempore non suspecto, maritus vero neget iureiurando, et trium medicorum sententiae fretus.

Biennio, post Episcopi responsum, causa siluit; ast 1868 Fridericus preces instauravit postulans praesertim mulieris inspectionem decerni. Sed cum, eodem tempore, gravis Aemiliae infirmitas describeretur, S. Congregatio haud censuit mulierem gravibus agitationibus vexatam ad explorationem cogi posse; ideoque rescripsit « *Habebitur ratio cum mulier convaluerit ad effectum peragendi inspectionem corporis ad tramites iuris,* »

www.libtool.com.cn

Tribus etiam elapsis annis, iterum coram S. Congregatione instetit Fridericus orans pro inspectione; tunc, anno nempe 1871, S. C. Congregatio ab Episcopo petiit « *an in speciali casu praedictae Aemiliae corporis inspectio reapse suscipi ac perfici possit.* » Hic haesit negotium alio triennio; donec anno 1874 Fridericus rem absolvi vehementer postulavit, et S. Congr. alias dedit litteras ad Ordinarium. Archiepiscopus Mediolanensis (ibi enim morabatur Aemilia cum Patre) ex mandato Ordinarii T. respondit: « Patrem » mulieris acriter se opponere, et filiam in domo propria re- » tinere, ne ulla inspectio fiat, nec ad illam prodeatur; ipsam » filiam renuere, ac ne iudiciali praecepto adstringeretur, » dictionem Austriacam deseruisse, ac in domo patris in hac » urbe aufugisse. »

Hinc S. Congregatio decrevit « Eidem Archiepiscopo » Mediolanensi, qui graviter hortari curet Aemiliam ut cor- » poris inspectionem ad formam iuris subire velit, ac de re- » sultantibus certioret ». Idem Praesul rescripsit; *ex parte familiae mulieris exhiberi ad hoc formalem oppositionem.* »

Tunc res ad Pontificem delata fuit, qui iussit causam proponi in S. Congregatione, praevia per Episcopum T. confectione processus super asserto matrimonio rato et non consummato, et super causis legitimae dispensationis, servata forma Constitutionis « *Dei miseratione* » Benedicti XIV. Inquisitores ab Ordinario delegati votum dederunt Friderico propitium, cui voto accessit quoque Ordinarius.

Ideo vadimonio mulieri indicto ad comparendum, eaque

renuente, causa proposita fuit in Comitiis diei 10 Iunii 1878 atque S. Congregatio respondere censuit: « *Dilata et scribat alter uti defensor matrimonii.* »

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Defensio Friderici. Huius patrocinator initio praemonuit duo requiri ad dispensationem: nempe matrimonii *inconsummationem* et iustam causam; Schmalzgrueber *in ius canon. part. 4 tit 19 n. 50, Ursaia disc. eccl. to. 2 par. 1 disc. 3 n. 4 De Luca de matrim. disc. 9 n. 7.* et si de utroque constet non distingui utrum ambo vel alter ex coniugibus dispensationem petant, quia, ut ait Sanchez de matrim. *lib. 1 disput. 14 n. 7* « *si causa iusta subsit, repugnantia alterius nequit Pontificis potestatem impedire, ne alteri habenti iustam dissolvendi causam petendique dispensationem consulat.* » Et exempla plurima adsunt dispensationis admissae, altero reluctante coniuge, ut patet ex Mediolanen. *Dissolutionis matrimonii 24 Maii 1732, ex Ianuen matrimonii 7 Sept. 1783.*

Sermonem faciens de inconsummatione meminit advocatus tria proponi *ex cap. Proposuisti 4 de probat.* nempe iusiurandum coniugum, septimam manum propinquorum et virginitatis experimentum. Quod si alter ex coniugibus aut respondere aut explorari recuset, in nocentis potestate esse non debet alterius legitima vota frustrare. Praeterea probationes taxativae non sunt et necessariae, quia cum moralis *certitudo de integritate* adest, exulat physica probatio. « *Expedit legis vinculum quandoque relaxare, iusta scilicet concurrente causa* » *Trident Sess. 25. cap. 18. de Ref.*

Et re quidem vera S. C. Congregatio in causis matrimonii aliquando permisit abstineri posse a solemni forma, quam Benedicti XIV Constitutio praecipit. Deinde protulit nonnulla eiusdem S. Congregationis exempla, in causis *Ianuen. dispensationis matrimonii* 29. Aprilis 1854. et in Parisien. dispensationis matrimonii *28 Martii 1857;* in quibus

modo alterius coniugis contumaciam, modo integritatis explorationem S. Congregatio posthabuit, et nihilominus ad dispensationem processit. Immo ipsa virginitatis investigatio a nonnullis in re anatomica peritis, fallax iudicium iudicatur; quapropter prudentius videri aliis niti argumentis, ac praesertim morali certitudine; in casu autem omnia ad hanc, ait, certitudinem conspirant.

www.libtool.com.cn

Ac primo actoris Friderici iurata confessio; narrat enim illico post matrimonium iter arripuisse, relaxandi animi causâ, Parisium versus; primaque nocte a matrimonii consummatione abstinuisse, tum quia in itinere primi diei uxorem aspexerit aliquo affici incommodo dum in ore eius modo rubor, modo pallor continuo inesset; tum quia eius mater eidem actori edixerit Aemiliam menstrua habere, tum etiam quia repentino icta fuit comitialis morbi aggressu. Quid autem Parisiis evenerit ita a Friderico describitur; quidquid per iter aspexeram meos sic excusserat nervos, ut me reputarem relative impotentem. Et medicorum consilium exquisivi; a quibus remedium mihi paratum fuit, eoquod impotentia praepediret mihi consummationis experimentum.

Retulit autem Fridericus a vinculi defensore rogatus quod neque tempore iter praecedenti, neque tempore post reditum, dum mansit Aemilia apud eum, consummationem matrimonii perfecerit neque perficere conatus fuerit; quia mulier magis aegrotaret in die.

Moralis haec certitudo quae ex viri confessione eruitur, per testes septimae manus confirmatur, eo saltem sensu quod ii credant maximam fidem habendam esse Friderico. Quae moralis certitudo augetur ex parte mulieris eiusque Familia; quia etsi contra Fridericum consummationem allegaverint, primo iis haberi fides nequit, deinde talia narrantur, quae consummationem potius removent. Fides quidem haberi non potest iis qui iudicio sistere et Ecclesiae parere recusarunt. Aemiliae parens de illius exploratione quaesitus « auctoritatem Ecclesiae detrectans concitatis verbis iterum, iterumque iuravit, numquam passurum ut filia corpus suum inspectioni

subiiciat, morti subeundae potius paratus, quam hanc infamiam in filiam permittere; imo nec passurum quidem ut cuivis interrogationi hac de re per iudicem factae eadem respondeat ».

www.libtool.com.cn

Consummationem vero excludit mulieris accusatio, quod vir quodammodo impotentia laboraret. Ait enim quod frequenter per iter, de quo dictum est, aggressa fuerit agitationibus convulsis, quia labore itineris defessa, angebatur inanibus mariti amplexibus. Quapropter si credimus Fridericum e conspectu epilecticarum agitationum uxoris sibi ingerentium, fuisse omnino consummationi impotentem, en vir et uxor consentientes inconsummationi matrimonii, et plena etiam ex ore eius, quae maritum non ludificat, probatio.

Atque hic, rimatis testibus septimae manus, orator ostendit omnes summis laudibus Fridericum efferre, et firmiter ei credere de inconsummatione. Contra vero de sinceritate Aemiliae quam parens dominatur, complures dubitare, nec ipsa soror voluit de ea deponere. Istius etiam coniux, qui in domo Patris Aemiliae diu versatus est, rogatus a vinculi defensore num Aemiliam mentiri posse putaret, in re potissimum iureiurando sancità, respondit: « *intime suasus sum haud veritatem dicere. agnosco enim principia, quibus instituta fuit* ».

Neque obliterandum quod depositio Friderici iurata sit; minime vero depositio Aemiliae quae iuramentum haud emisit, ut patris voluntati obsecundaret. Aliud insuper inconsummationis argumentum oritur ex eo quod omnia facti adiuncta per Fridericum exposita circa ea quae matrimonium praecesserunt, vel sequuta sunt, actis cohaerent. Ex ore ancillae eruitur comitialis morbi aspectum eiusmodi fuisse, ut quemlibet hominem a copula tentanda removere deberet. Quapropter arguit medicus B. impotentiam in Friderico erga hanc mulierem praesumendam fuisse: quia fortiter agitari debuit in prima matrimonii nocte cum comitialis morbus impraevisus eruperit. Atque odium, aversioque decisa enata sunt contra mulierem; dum sese crederet a parentibus dolose deceptum eo quod filiae incommoda eiusmodi haud sibi aperuerint.

Tria insuper magno in pretio esse habenda, ait Orator; testimonium cuiusdam Avone proxenetae, litterae fratris Aemiliae, et factum quod Aemilia explorationem perferre recusaverit.

www.libtool.com.cn

Testis Avone enarravit quod anno 1860 loquens cum Aemiliae parentibus exprobatus est eis quod filiae incommodum haud manifestaverint Friderico. Coniuges postquam aliquid adduxerint in sui excusationem, addiderunt id parum interfuisse; quia filia matri edixerat matrimonium haud consummatum fuisse Friderici impotentiâ.

Aemiliae frater eidem scribebat sub die 24 octobris 1855 dolens quod ex incommodo, quod passa erat neque illa mater neque ille patruus esse possent.

Tertium denique argumentum est constans et absoluta Aemiliae oppositio ne inspiceretur, coniuncta parentum voluntati. Etenim medici pro inspectione missi reiecti sunt, et Archiepiscopo Mediolanensi responsum fuit « *Numquam patrem assensurum, nec Aemiliam permissuram esse ut inspectioni, de qua agitur, procedatur.* » Atqui non nullas S. Ordinis definitiones adducit in *Mediolanen. dissolutionis* matrimonii 24 Maii 1732, in Ianuen. *7 Septembris et 22 Iulii 1822*, in quibus de dissolutione ex capite impotentiae agebatur, quam uxores postulabant, consummationem non intercessisse probantes. Quamquam autem coniuges impotentiae accusati sistere vel explorati recusarent, non ideo tamen a dispensatione concedenda S. Congr. abstinuit.

Frustra autem opponeretur, ait patrocinator, ex litteris in processu civili editis constare, cohabitationis tempore Aemiliam se utero gestantem, et abortu enixam credidisse atque marito de hoc scripsisse. De abortu enim respondit Theresia mater Friderici rem non credidisse, quam omnes consanguinei et amici ignorabant; imo et ipsi propinqui Aemiliae. Ait ideo Theresia; graviditatis signa numquam aspexi, quia Aemiliae menstrua erant regularia, Et sane auctor est Zacchia in *quaest. medico-leg. lib. 1. tit. 3 quaest 2* in praegnantia supprimi menstruum sanguinis effluxum.

Tunc praeterea cum abortus evenisset, medicus Guastalla Domum Friderici frequentare solebat ut eiusdem fratrem curaret. Hic tamen numquam narrare audivit de amissione sanguinis, ac semel curavit Aemiliam super aliquo levi incommodo. Aemilia quidem in lapidem impegit corpore, et tunc de abortu loquuta est; sed medicus venae incisionem iussit, atque Chirurgus, qui incisionem perfecit, nihil de sequuto abortu intellexit.

www.libtool.com.cn

At venae incisio procul ab alia curatione vel pharmaco in muliere, potissimum valetudinaria, non modo non probat, sed excludit abortum. Nam, ceu concluserunt medici ad id vocati, indicium unicum fallere potest; sed iudicium definitivum inniti debet factorum complexui, quod in casu deest; imo quoniam ad praegnantiam, et abortum evincendum nil aliud adducitur quam sanguinis fluxus, et venae incisio, quum corpore in lapidem impegerit Aemilia, id excludere videntur indicia huiusmodi; ideoque verisimilis non est Aemiliae abortus.

Nec maior illi fides habenda est in litteris quas marito scripsit die 20 Septembris 1855; quum de parvis loquuta esset incommodis, modo sybillinio concludebat; non dubito utero gravem esse. Quod si id legerent parentes Friderici, sobolem desiderantes, gratiam inveniret apud eos, dum eisdem invisa esset, Fridericus autem contrarium deprehenderet.

Quid vero etsi Aemilia vere se utero gravem censuisset? Copula in matrimonii iudicio non opinionibus sed facto et probationibus evinci debet. ut S. C. C. sancivit in Neapolitana *dispensationis matrimonii 22 Aprilis 1826*. Tametsi ne Aemilia quidem credidit quae in civili iudicio deposuit; ait enim contra columnam in *via veteri* compulsa fui, ita ut domum reversa sanguinis fluxus sequutus est; quod a medicis abortum fuit habitum. Tunc igitur ex medicorum sententia nihil aliud quam sanguinen effudit Aemilia; at sanguinis emissio in abortum traduci nequit.

Tandem ictus in columnam evenit mense octobri anni 1855, et nihilominus multo post adhuc Aemilia de praegnantia lo-

quebatur. Quamobrem vel ipsi Aemiliae parentes prius dubitare, dein omnino despondere coeperunt. In eorum litteris legitur ; cuinam causae tribuunt medici ultimam tuam valetudinem? nam id efficere nequivit ictus in columnam; aperte nobiscum loquere; nunc medici nos certiores faciunt te utero gravem haud esse.

www.libtool.com.cn

Insuper aliae causae evincunt neque Parisiis, neque domi copulam perfici potuisse. Fridericus enim narrat olim se collo arreptum fuisse ab uxore nervis excitatâ; describit horrendum epilepticae agitationis aspectum; et ait funiculum (vulgo *setone*) mulieris cervici appositum, novissimo cohabitationis tempore tetrum odorem dedisse. Quomodo fieri poterat, concludit, ut coniux in his adiunctis copulam tentaret?

Atqui Fridericus fide dignus est; eo quod, praeter laudes relatas, meruit etiam ut praeses eligeretur supra quinquaginta iudices arbitros quos eius Gubernium instituit pro tesseris publicis - *di borsa* - emendis atque vendendis.

De praegnantia vel abortu nihil aliud Friderico eiusque familiae innotuisse meminit, quam sanguinis emissionem, ceu Friderici pater testatur.

Nec obiiciendum addit quod Fridericus acceptis Aemiliae litteris, quibus monebat « *non dubito utero gravem esse* » illico adversus mendacium non conclamaverit. Proba, inquit, litteras ad illum reapse pervenisse, cum per tabellarium tradi solerent patri non Friderico, ut ipse Fridericus testatur. Proba patrem litteras dedisse filio. Praeterea cuinam Fridericus protestationes suas pandere potuisset? Non suis parentibus, qui consummationem defuisse nesciebant. Non parentibus Aemiliae, in quos iratus erat, quamquam specie tenus non ostentaret. Non Aemiliae quia illam honestissimam semper censuit, et nunc etiam praedicat. Risu itaque si litteram habuit, excipere debuit insipientem uxorem, quae ex paucis complexibus, coniugali effectu carentibus, praegnantiam somniavit, atque idcirco nil erat quod illam exprobraret.

Affertur etiam, ait patrocinator Friderici, magna animorum coniunctio ad consummationis praesumptionem, sed inepte

hoc factum obiicitur. Litterae amoris plenae, quae in actis prostant ab Aemilia viro scriptae sunt, sed non constat quid vir Aemiliae responderet. Verum quidem est die 23 Decembris Fridericum uxori scripsisse « *vale mea dilecta Aemilia* » scripsit vero dumtaxat grati animi causâ, quia in magna familiae Friderici calamitate uxor suam partem susceperat. Sed certe cum Aemiliae parentibus non ita amanter se gerebat; quinimo idipsum constat etiam erga uxorem, eo tempore quo separatio incepit, nec illa amplius in mariti domum reverti debuit, etsi id nesciret.

www.libtool.com.cn

In iure pariter intollerandum esse quod obiicitur, ad consummationem removendam ubi certissimae probationes deficiunt, inspiciendam esse mulierem.

Non modo incivile est, ait, conditionem exigere quae, ex facto alieno, impleri non potest, sed etiam in casu inspectio mulieris iure admittenda non esset, etiamsi sponte mulier requireret, ut concinne demonstrat Cosci *de sep. tori lib. 1. cap. 16 n. 61.* quia cum coniux affirmet, uxor neget in facultate uxoris positum esset integritatem corporis delere et ita virum fallere, vel eadem adigeretur, si quid aliunde quam a marito tulisset propriam turpitudinem demonstrare.

Denique evanidum esse suetum diffugium, quod in dubio, contra matrimonii dissolutionem pronunciari debeat. Nam primo nihil evidentius, ait advocatus, quam quod matrimonii consummatio omnino defuit, gravissimaeque causae dispensationem suadeant. Praeterea pro integritate matrimonii praesumitur ac iudicatur, quoties eiusmodi sit matrimonium ut suum effectum consequi valeat, minime vero cum obtinere id non possit, ut in casu contigit. Ita Reiffenst. *in ius can. lib. 4 tit. 15 n. 45* « *Non obstat cap. licet etc. Responsum est enim* cum Abb. et aliis doctoribus allegatis illud procedere, quando matrimonio potest consummari et habere suum effectum, bonum scilicet prolis et remedium concupiscentiae; non item si hoc haberi nequit.

Omnibus itaque simul iunctis, ait Orator, affectata haec

praegnantiae, et abortus opinio evanescit; et concludendum matrimonii consummationi omnino defuisse.

De causis ad dispensationem loquens orator ait: matrimonium inter Fridericum et Aemiliam nullimode effingi potuisse; alter enim longe ab alio morabatur, nec spes ulla reconciliationis aderat. Hisce in adiunctis S. C. Congregatio dispensationem decernendam censuit, ut docent *Ianuen. dispensationis 22 Aprilis 1844 et Neapolitana matrimonii 2 Maii 1861*. Nec obiicias, ait, dissolutionem vitari posse, si coniuges iterum conveniant; plurimae enim lites inter utramque familiam exarserunt, prius super separatione, deinde super dotis restitutioue eiusque usuris, quae adhuc sub iudice pendet, ac super matrimonii nullitate et dispensatione. Atqui lites etiam pendente matrimonii iudicio ferventes iustam causam praebent dispensationi, ut ait *Ursaya in disc: eccl. tom. 3 par. 2. disc. 23*.

Praeterea absonum esset cohabitationem provocare, ex qua matrimonii finis, scilicet sobolis procreatio numquam expectari posset. Aemiliae morbus quotidie gravior factus est, ceu alter ex testibus septimae manus deposuit, ita ut illa pene amens effecta fuerit. At Fridericus unum in matrimonio sibi proposuit, desiderium idest relinquendi haeredem pro magnis suis divitiis; quia, ut ait commissio inquisitoria, non habet alios consanguineos nisi matrem et unam sororem viduam et prole carentem: solus est in familia vir.

Conspicuas et illustres familias conservari publice interest *L. 1. ff. §. Quamvis de inspic. ventre*. Merito itaque animadvertit Sanchez *de matr. lib. 8. disp. 19. n. 31. Quinta causa pro dispensatione est illustris familiae conservatio in eodem sanguine, quod ad pietatem et publicum bonum pertineat conservare illustres familias.* »

Et medici autumant Fridericum adhuc potentem esse ad actum matrimoniale.

DEDUCTIONES DEFENSORIS VINCULI MATRIMONIALIS

Causa haec paucis definitur si omnia in unum componas. Nova nupta morbo afficiebatur, qui levis initio ac pene abditus neque copulam neque animorum coniunctionem praepedivit. Post quatuor aut quinque menses morbus vehemens repente factus est. Vir medelam tentavit: denique incommodum contubernium pertaesus, egit de separatione. Post octo circiter annos primum libertatem adipisci excogitavit, ac de nullitate egit. Reiectus in hoc iudicio, ad dispensationem convolavit. Sed gravissimis difficultatibus implicitus decem annis haesit, quousque vixit Episcopus T, qui omnia noverat. Hoc elato, cum Aemilia nullam in hoc iudicio partem assumat, quidquid utile censuit, ad opportunitatem, nemine contradicente, composuit.

Re intimius inspecta, tuto constitui potest, utramque dispensationis conditionem deficere: quod nempe matrimonium consummatum non fuerit, et quod causae ad dispensandum aptae afferantur.

De matrimonii consummatione praesertim huc usque disputatum est. Pro matrimonii defensione haec duo eminent, fusius demonstranda; quod Fridericus consummationem defuisse nullatenus probat, ac propterea causâ cadat oportet: et quod potius ex actis consummatum fuisse liquet, atque idcirco reiiciendus est.

Actor sua praesertim confessione probat copulam defuisse, ac levibus praeterea praesumptionibus. Sed in iure dissimulat quodnam probationis genus in re tam gravi requiratur. Praestat ante omnia de qualitate probationis ab eo afferendae disputare, ut deinde videatur utrum huic necessitati ille satisfecerit.

Tralatitium est, ne *utrique* coniugi quidem credi posse propter collusionis metum, nisi aliunde probationes accedant, ut docuit Coelestinus III. *in Cap. 5. de eo qui coyn.* - ibi –

« Tuae fraternitati respondemus quod propter eorum confes- » sionem tantum vel rumorem viciniae separari non debent, » cum et quandoque non nulli inter se contra matrimonium » velint colludere. Rumor autem viciniae non adeo est » iudicandus validus, quod, nisi rationabiles et fide dignae » probationes accedant, possit bene contractum matrimonium » irritari ». Hoc perspicue exornat *Coscius de sep. tori lib. 3. cap. 2. n. 113. seqq.* Coniuges enim, ait, - ***in hoc casu sunt testes in causa propria*** -, ac propterea concludit - « Ne » aliquis igitur subeat collusionis et mendacii timor, haec » confessio non debet esse nuda, sed aliis probationibus suf- » fulta, quibus concurrentibus, tunc pro dissolutione vinculi » matrimonialis prodesse poterit » -. Si quis contra iudicaret, ne dum in antiquos Canones, sed et in Benedicti XIV. Literas Apostolicas - *Dei miseratione* - committeret, in quibus tot solemnia requiruntur, quia saepe - « litigantes in » specie quidem discordes, revera inter se concordes sunt, » et invicem colludentes, contractum matrimonii dissolvi cu- » piunt. »

At enim inobedientiae saltem argui uxor poterit, quia S. Congregationi iubenti non paruit. Sed eadem S. Congregatio die 11 Maii 1868 decreverat: « Habebitur ratio cum » mulier convaluerit ad effectum peragendi inspectionem cor- » poris ad tramites iuris. » Et sane vir ipse de Aemilia tunc asserebat: « cadaver effecta est ante tempus, terribilis morbi » comitialis causâ. » Convaluit ne deinde mulier? Immo vero mediolanensis Archiepiscopus in literis die 24 Iulii 1874 admonet, adhuc « dictam Aemiliam epileptico morbo laborare, » ac veluti amentem esse: » ac deinde literis diei 11 Dec. 1875 testatur illam cum parentibus solam degere in cubiculo suo semper clausam. » Hisce positis, sit quidem amicas medicorum opiniones Friderico non deficere, asserentium hebeti explorationem non nocere. At in oculos insilit mulierem ita vexatam « *ac veluti amentem* » ut qualibet umbra torqueri debeat, non posse calidum balneum per horae quadrantem, ad-

stantes matronas, investigantes vicissim obstetrices perferre, et nudum corpus diu ostentare absque gravi discrimine.

Quod autem Fridericus ex negata exploratione deducit, muliere copulam asserente, fidem prorsus viro habendam esse, nec iure, nec sana ratione admitti potest. Quid in casu iudicandum sit, vel ipsa viri defensio ostendit Coscium allegans *lib. 1. cap. 16, n. 61.* qui de hoc adamussim casu agens, perpetuam disciplinam tradit tunc solummodo coniugi fidem haberi, cum aliis probationibus illius dictum confirmetur – ibi – « Tertius (casus) est si dispensationem vir petat, et mulier » copulam iam inter eos intercessisse affirmet, quo casu ad » eruendam veritatem nunquam inspectionem obstetricum ad- » hibendam esse censerem, etiamsi mulier eidem inspectioni » se sponte subiiceret; licet enim corrupta reperiretur, adhuc » ei non esset pernecesse credendum, eatenus namque sui cor- » poris inspectionem offerre potest, quatenus ante matrimo- » nium opera eiusdem coniugis aut alterius viri, virginitatem » amiserit, vel ante, seu post matrimonium, et etiam de re- » centi, artificiose claustrum virginitatis violaverit. Unde po- » tius negativa viri coadiuvanda foret a fide testium, qui de » immediata coniugum separatione post initum matrimonium » deponerent, vel ex alia causa consummationem excluderent. »

Invita prorsus Minerva Friderici defensio fingit in *Neapolitana dispensationis 22 Iul. 1822, in Mediolanen. dissolutionis matrimonii 24 Maii 1732, et in Neapolitana dispensationis matrimonii 22 Aprilis 1826* S. C. Congr., negata ab uxoribus inspectione, matrimonium non consummatum in fide alterius coniugis iudicavisse. Nihil huiusmodi in illis exemplis legitur.

Nec meliori consilio obiici solent S. Congr. resolutiones in causis *Caenomanen. nullitatis matrimonii. Camenecen. matrimonii, Ianuen. dispensationis, et Parisien. dispensationis,* perinde ac si in iis exemplis iuxta solum actoris iusiurandum, altera parte renuente, pro dispensatione iudicatum fuisset. Nulla ex his causis, ostendit defensor vinculi, ad rem facere de qua in casu.

Nunquam igitur S. Congr. C. ab elementari sacrorum Canonum disciplina deflexit. Nunquam unius coniugis fidem sequuta est contra alterum negantem, ac deficiente corporis inspectione, nisi aliis probationibus, extrinsecus, consummatio excluderetur. Absit quod hac primum in causa secus iudicari debeat, in qua potius severius procedi oportet. Agitur enim de octo mensium contubernio, nonnullis tantum intervallis exceptis, in quo coniuges ab initio singulari affectu vixerunt, semper in eodem conclavi cubantes, et usque ad novissimum tempus maximo sese amore prosequentes, ut literae a Friderico editae demonstrant. Nemo illos in diuturno itinere quinquaginta dierum comitatus est. Nemo deinceps asseruit eos simul non concubuisse. Copula igitur *praesumptione iuris* admittenda est, quae elidi nequit sine gravissimis probationibus. Ad rem Cosci loc. cit. lib. 1. cap. 16. n. 45. « Quaestio erat » de matrimonio rato et non consummato, ad effectum qui» dem ingrediendi religionem, sed graves tamen concurrebant » circumstantiae, et ea praecipue quod coniuges simul condor» mierant, actumque coniugale absolvere tentaverant : quae » sane iuris praesumptionem de sequuta copula inducit. »

Quae cum ita sint, frustra Fridericus iureiurando suo nititur contra mulierem negantem, nisi aliunde afferat deficientis copulae probationes. Sed nec affert, nec afferre potest. Haec sunt quae ille edit: septima manus, ac testimonium cuiusdam Avone: opinio Episcopi: contradictiones in mulieris verbis: praesumptio abstinentiae a copula propter infirmitatem.

Septima manus prosequitur defensor nihil addit vel detrahit probationibus, sed probat solummodo quod ita fieri solet, virum a testibus fide dignum credi. Quamobrem cum quaeratur de consummatione, omnes viri testes ita respondent se audivisse, quod copula defuerit. Quoad testem Avone notandum venit, quod ex traiudiciale tantum et privatum testimonium edidit, quod cum sit contra formam a iure et a Benedicti XIV constitutione solenniter indictam, in pretio haberi non potest. Unus denique testis, notissimo iure legitimae probationis loco haberi non potest.

At enim, Aemilia contradictionibus se implicuit, quia dum

de praegnantia et abortu loquuta est, virum impotentiae incusavit. Duo hic adnotanda sunt: factum et argumenti natura. De contradictionis facto rem ab initio mulier alias exposuit quam ut Fridericus tradit. Ait hominem non omnino impotentem fuisse, sed in illo potius quam in se imperfectionem ad copulam animadvertit, quia Fridericus non sine magno labore officio suo functus est. Ita ex Aemiliae allegationibus in iudicio separationis.

Etiam Fridericus improprie de sua impotentia loquutus est cum ait se viribus fractum concidisse. Quid praeterea de argumenti natura? Finge mendacium in muliere: sed viro probationis onus ad dispensationem incumbit, non uxori. Etsi haec mendacissima fuisset, sequeretur illi habendam non esse fidem: at non idcirco dici posset actorem probavisse quod nullatenus demonstrat. Si in iudicio vindicationis contra Titium aio hanc rem esse meam, nec probo, mentiatur quidem Titius in excipiendo: ideo ne solvar onere probationis?

Adducitur etiam Episcopi suffragium. Sed nemo dixerit probationis vim tribui hisce votis, quae opiniones sunt, minime vero testimonia facti. Adde quod hodierni Episcopi antecessor, qui facta praesens cognoscere potuit, vehementer dubitavit, et anno 1865 S. Congregationi scripsit « quamvis » nolim asserere maritum temere iurasse, nihilominus asser- » tio mulieris.... non est temere reiicienda ».

Postremum ex Friderici argumentis superest, praesumptio ex puellae infirmitate. Credendum non est, ait actor, intercessisse copulam, primo ob epilecticae agitationis adspectum, deinde quia grave olebat mulier stillicidii cervicalis causa. Utrumque a veritate alienum. Etsi ab initio violentia morbi fingeretur, occurrit quod ait medicus Pasquali die 14 Ianuarii, comitialem morbum haud impedire unionem matrimonialem. – Quod vulgaris experientia docet in communi hac infirmitate, praesertim quousque maximum gradum non attigerit. Historiae narrant comitiali morbo laborasse Caesarem, Franciscum Petrarca, Franciscum Redi, et alios sive coelibes sive coniugatos, qui prolem habuerunt. Aemilia paulatim,

praesertim post separationem in deterius corruit: sed inito matrimonio, in itinere, teste Friderico, in actu diei 3 mart. 1857, nihil aliud sensit, quam identidem vertigines nonnullas. Et medicus Prokop retulit, cum Aemilia nuberet, signa huius morbi levia erant, quae eamdem a matrimonio revocare haud motivum praebuerant.

In domo Friderici vero non nisi quatuor mensibus post matrimonium prima comitialis morbi species erupit. Quod Friderici mater fatetur.

Idipsum redit de malo stillicidii odore. Quo tempore hoc inceperit, ipse Fridericus testatur: quia loquens de litera diei 20 Septembris 1855 ait: in dicta epocha appositum fuit funiculum (Setone) cervici uxoris meae. Quatuor itaque et fere quinque mensibus ne malus quidem odor veluti copulae impedimentum afferri potest: ac toto hoc temporis lapsu nulla ratio suadere valet matrimonium non fuisse consummatum.

Quamobrem argumenta a Friderico ad negandam copulam opposita vel levitate vel falsitate evanescunt, nec aliud superest, quam iurata ipsius Friderici confessio quae contra confessionem mulieris eliditur, et a iure reiicitur.

Sed etsi Friderico privilegium adroitteretur contra sacramentum, nuda assertione probandi, hoc etiam ex facto illi deficeret. Quamquam enim testes ab illo inducti hominem fide dignissimum putent, contrarium ab ipsius testimonio erumpit, in quo contradictiones et absurda redundant. Summa ipsius depositionis est quod primo post matrimonium die epilepticus morbus insaeviens eum terrore et quodammodo frigiditate affecit: quod morbus semper aestuavit: ille vero semel tentavit coniunctionem ac perficere perhorruit.

Insidia in narrationis contextu flagrat. Si primo post matrimonium die horribilis morbus apparuit, cur postridie Fridericus oblectamenti causa iter suscepit? Si deinde Brixiae; Mediolani, ubique saeviebat morbus, cur Lutetiam petivit? cur quinquaginta fere diebus iter produxit? Ait se Parisiis medicum accersivisse, ut sibi fractas vires reficeret: sed hoc unum sanae mentis cuilibet demonstrat tunc nondum

in Aemilia epilepticas agitationes apparuisse: secus enim ridiculum fuisset frigiditatem incusare, quia non expleretur quod expleri non poterat, et curare festucam in viro, neglecta trabe in muliere.

www.libtool.com.cn

Ipse tamen Fridericus falsitatem ostendit. In Curia ait violentiam morbi illico primis diebus ita perspectam fuisse ut eadem matrimonii die uxor afficeretur morbo comitiali. Contra vero in civili iudicio ait multo post hoc evenisse, dum Parisiis degerent, antea vero non nisi leves *vertigines* comparuisse, quae simplici impulsu evanuerunt. Verum igitur non est quod Fridericus non nullis saltem diebus in itinere copulam explere non potuit horribili monstro repulsus, quia leves vertigines nihil horrendum vel timendum relinquunt.

Sibi pariter contradicit actor, cum respondet quoties copulam in toto itinere tentaverit: ait enim in curia semel tentatam fuisse. Sed in civili iudicio pluries se tentasse meminit.

A veritate pariter aberrat loquens de uxoris litera, in qua dicebat se utero gravem esse, cum fingit se literam non accepisse. Atqui primo ipse literam in actis edidit: ergo acceperat. Praeterea litera diem praesefert 20 Septembris. Atqui Fridericus aliam uxoris literam edidit datam *biduo* post atque ita conceptam: pergratum mihi fuit tuum responsum, dulces significationes tuas legi. Igitur non modo literam accepit, sed nuntianti praegnantiam rescripsit dulcia verba.

Sibi denique suisque contradicit dum ait ab initio cohabitationis, vim comitialis morbi notam omnibus fuisse: quod pariter illius mater propinare contendit; deinde vero fatetur mense septembri infirmitatem non fuisse omnino notam parentibus suis. Atqui error aut oblivio in causa propria semel et in levi argumento admitti poterunt: at in gravibus et frequenter, maxime suspiciosi cuique videri debent. Quidquid igitur de Friderici fide testes afferant, hic aliquid humani passus est ut libertatem recuperaret. Omnino autem mirum non videri nequit quomodo matrimonii consummatio oppugnari potuerit post octo mensium contubernium, viro ac muliere inter se dissidentibus, imo etiam viro sibi refragante, et abs-

que ulla legitima probatione. Hac vero deficiente, supervacaneum esset ulterius dimicare.

Verumtamen non modo actor non probat, sed adversus illum probata dici potest consummatio matrimonii tum ex gravibus praesumptionibus, tum ex documentis.

Ac primo semper praesumendum est quod natura pariter ac religio a coniugibus requirunt. In itinere quinquaginta dierum Fridericus non nisi aliquot vertigines animadvertit, morbum vero dumtaxat Parisiis et in reditu. Atque hic Friderici defensioni occurrendum est, in qua fingitur *primo* ex confessione mulieris copulam Parisiis perfici non potuisse, sed dumtaxat in reditu ab itinere: *secundo* coniuges non nisi quadraginta diebus in toto octo mensium spatio cohabitavisse.

Hoc tempore certe negari non poterit magnam et animorum et corporum coniunctionem esse debuisse. Sed animorum coniunctio ne postea quidem defuit quod eruitur ex variis litteris Friderico scriptis mensibus Iulii, et Septembris, in quibus loquitur Aemilia de osculis et amplexibus, qui horroris signa haud praebent. Sed innuunt verum affectum; cui Fridericus pari respondebat modo; nam littera 23 Decembris 1855 nuncupat uxorem - *praedilectam Aemiliam* -. Ita ne uxor scribere poterat si coniux illam tribus mensibus horrore percitus non cognovisset?

Perge vero ad probationes. Si quid certum in hoc processu hauriri potest, ex literis emanat matrimonii tempore a coniugibus vel ab eorum parentibus conscriptis. Gravitas probationis eo maiori in pretio haberi debet, quia cetera omnia testimoniis constant et partium assertionibus: et quia testes nihil perspectum habent de copula, nisi ex ore actoris, eiusque familiae.

Has literas (quas in domo Friderici Aemilia reliquit, quum discessit, cum spe redeundi) ipse actor edidit cum de separatione sollicitus, a matrimonii solutione toto coelo aberat, et potentiae suae testimonia proferebat. Hodie uti falsum repudiat, quod antea suum fecit, vulgaris iurisprudentiae immemor quod documenta plenissime probant contra inducentem.

Hodie respondet mentiri tunc mulierem voluisse, suasione parentum, ut sibi gratiam compararet familiae Friderici spe sobolis oblatâ. Sed inverisimilis accusatio vel aliunde demonstratur, quia suis etiam parentibus Aemilia nuntium communicaverat.

www.libtool.com.cn

Sed fuerint omnia mendaciter composita, quid censendum erit de marito, qui uxorem adhuc intactam sciens, et nihilominus ab illa accipiens se utero gestare, non aestuat, non protestatur, vel mendacii turpitudinem non condemnat? Certe demens habendus esset. Quid praeterea si non siluit, sed contentum ac laetum se praebuit?

Igitur, quidquid actor ad opportunitatem excogitaverit, uxor se praegnantem credidit; hoc autem et ipse pariter et utriusque familiae propinqui crediderunt. Nec intelligitur cui bono Fridericus incumbat ut ostendat abortum evenire non potuisse, quia negat sanguinis amissionem vel quia venae incisio contrariam praesumptionem inducit. Amissio enim sanguinis a matre Friderici admittitur, et Chirurgus quidam asseruit: ter venae incisionem Aemiliae feci variis temporibus, cum, ut illa ait, de abortu dubitaret. Planum est propterea, de hoc abortu mentionem etiam ante eventum non defuisse.

Utcumque tamen frustra de abortu vel partu disputatur in causa, in qua unum quaeritur, utrum copula intercesserit. Mulieres falli quidem possunt cum se praegnantes putant, vel nimium sanguinis effluxum in abortum commutare. Sed hic ipse error certitudinem consummationis demonstrat, ridiculum enim esset praegnantiam suspicari aut credere in muliere quae virum non cognovit.

Deficit propterea praecipua ad dispensationem conditio, quia Fridericus uxoris integritatem non probat, immo vero matrimonii consummatio demonstratur.

Nec meliori omine ille alteram conditionem aggreditur de causis ad dispensandum. Causae enim quae vera gravitate praestant, et ad gratiam impetrandam afferri solent, scilicet odia inter familias, magnum fortunarum et conditionis discrimen, atque incontinentiae periculum toto coelo absunt in hoc iudicio. De incontinentiae periculo frustra disputatur in ho-

mine, qui sexagesimum annum excessit. Si hic tacitus viduitatem pertulit decem annis circiter post separationem anni 1856 cum in viridi quadraginta annorum aetate versaretur, quin matrimonium solvere excogitaret, eo magis imminente senectute tolerare poterit.

www.libtool.com.cn

Discrimen in fortunis et in conditione nullum est, vel ipse enim Fridericus uxorem fatetur esse aequalis conditionis suae.

Odia inter familias non desunt, sed originem ex Friderici facto duxerunt, qui uxoris morbum perferre pertaesus, separationem ac deinde libertatem sibi comparare sategit. Nihil mulieri exprobrari potuit praeter infortunium.

Inter causas actor illam recenset, quod non decet illustres in imperio familias sine prole extingui. Hoc tamen iuxta Ursayam et Fagnanum in illius defensione intelligitur – « quando sermo est de magnatibus alicuius reipublicae, penes » quos dominatio est et suprema regendi imperiandique pot- » estas residet –, at Friderico irridere videretur, qui hanc illi qualitatem aptaret, cum licet locuples, ad mercatorum ordinem pertineat.

Tametsi causa causarum iuxta Friderici defensionem posita est in epileptico morbo, qui commercium prohibet, et mortuum quodammodo corpus vivo coniungit. Atqui haec ratio ne separationi quidem in canonico iudicio causam praebere posset: illi enim tantum morbi separationem pariunt, qui contagium et vitae periculum in altero coniuge inducunt. Ita *Coscius lib. 2. cap. 12. n. 1. seqq.* – « Separatio non tan- » tum quoad torum sed etiam quoad cohabitationem debetur » si nedum ex redditione debiti coniugalis, sed ex sola coha- » bitatione eiusdem gravis infectionis periculum probabiliter » timeri contingat... Conceditur ob morbum gallicum, emo- » phtisim, lepram et quemcumque alium morbum contagio- » sum, ex quo vehemens vitae periculum immineat... Ex » quibus mihi concludendum esse videtur, quod, aut coniuge » sano, bona fide, matrimonium contractum fuit cum coniuge » morbo contagioso sive ante, sive post matrimonium infecto,

» qui tamen ei tantum adhaeret, nec alios inficere potest, » et tunc ipse sanus coniux, cui morbus ante matrimonium » erat ignotus, cum eo tamen cohabitare et debitum reddere » tenetur: ex hoc enim nullum suae vitae et saluti provenit » detrimentum. »

www.libtool.com.cn

Ecclesiae interest (obiicitur) Friderico morem gerere, qui dives est et multa promittit in religionis incrementum, si voti compos fiat. Sed Ecclesiae potius interesse videtur sacramenta leviter non deleri. Caeterum si religionis vero studio ille abripitur (uti credendum est) bene divitiis utetur, etiam Aemiliae coniunctus: si non faciet, promissa redolerent pactum *do ut des*, omnino reiiciendum.

Hisce omnibus utrinque in partem ea, qua solent EE. VV. sapientia perpensis, dirimere velint

DUBIUM

An sit consulendum SSmo. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Resolutio. Sacra C. C. sub die 16 Decembris 1876 respondere censuit:

Affirmative et, de more, iterum proponatur in prima post agnos, idque intimetur mulieri.

Causae prosequutio. Iussa faciens Archiepiscopus Mediolanensis, Aemiliae, quae in sua ditione erat. Rescriptum S.C. Congregationis notificavit. Et licet mulier bis percontata esset, ut si vellet, suas defensiones et exceptiones in proximo periculo adderet, primo per Parrochum, deinde per Apparitorem una cum propriis parentibus responderunt nil addere velle, quamvis nonnulla fòlia scripta nomine matris Aemiliae sub die 30 Martii 1877 data fuerint Curiae Archiepiscopali.

Defensor Friderici alias exhibuit deductiones ad hoc ut duo dispensationis extrema adhuc probaret; idest matrimonii

inconsummationem et iustam causam. Quoad primum iterum Fridericus iuravit, se toto cohabitationis tempore matrimonium non consummasse, sciens precise in quo consummatio consisteret. Aemilia vero, ait orator, neque iuramento firmavit quod asseruit, neque probabiliter agnoscebat in quo vere consisteret consummatio, ubi necessario claustri virginalis violatio requiritur, et seminis effusio intra vas ut coniuges una caro fieri possint ex *cap. laudabilem 5 de frigid. et malefic.* Id Aemilia facile ignoravit quoniam ab ineunte aetate in monasterio, vitam degerat aut in domo rurali Patris.

www.libtool.com.cn

Ad legitimas dispensationis causas gradum faciens, recensit orator aversationem, lites, reconciliationis impossibilitatem, ex ore omnium testium septimae manus, et in ipsa reconciliatione, si possibilis esset, finis matrimonii non haberetur in pacifica diversatione et susceptione prolis. Aemilia enim ex medicorum relatione pene amens effecta est, ob iteratas epilepsiae aggressiones et omnes affectionis sensus penitus extinctos in ea fuisse credendum est.

Hisce aliisque adductis sequens dirimendum propositum fuit

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Resolutio. Sacra C. Congregatio iterum sub die 21 Aprilis 1877 ponderata causa respondere duxit:

In decisis.

Ex quibus omnibus colliges.

I. Ad dispensationem obtinendam super matrimonio rato et non consummato duo requiri per sacros canones extrema: idest iuridicam probationem de non peracta consummatione, et causas legitimas, quibus fretus R. Pontifex dispensationem indulgere solet.

II. Horum iudiciorum, quoad controversam dispensationem, fundamentum et basim universam esse ut primo ac manifesto constet de matrimonio non consummato: aliter in quo-

cumque dubio tamquam de re interdicta, et supra humanam potestatem posita. Canones non loquuntur.

III. Ut moralis certitudo, ad hoc sufficiens, in iudicibus insit, qui de existentia aut non existentia huius consummationis sententiam proferre debeant, constare necessum esse interfuisse aut non interfuisse perfectam copulam carnalem cum claustri virginalis violatione, una cum seminis effusione intra vas ut coniuges fiant una caro.

www.libtool.com.cn

IV. In themate maximam adfuisse difficultatem ad eiusmodi adstruendam moralem certitudinem de non sequuta copula carnali ob depositionem mulieris, quae forsan ex nonnullis maritalibus conatibus in irritum cessis copulam carnalem arguit, et abortum reperiit in quadam violenta sanguinis amissione.

V. Ex Doctorum sententia erui quod si constet de inconsummatione, et de legitimis causis non distinguitur utrum ambo vel alter ex coniugibus dispensationem petant: nequit enim repugnantia alterius impedire quominus R. Pontifex alteri consulat habenti iustam causam ad dispensationem petendam.

VI. Aliquando ex S. C. Concilii etiam remissam fuisse corporalem inspectionem, a constitutione Benedictina « *Dei miseratione* » volitam, in casu quo alter ex coniugibus dissentiens fuisset; dummodo ex aliis gravissimis adminiculis moralis certitudo emerserit quod copula carnalis impossibilis visa fuerit.

VII. In themate magno in pretio habendam fuisse iuratam Friderici assertionem de non consummatione: quia de facto proprio et de honestate mulieris ita securus erat ut incessanter ad inspectionem corporis provocaret; quamquam sciret virginitatis signa amitti potuisse vel opera alterius viri, vel artificiose, atque ita causâ cadi.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

www.libtool.com.cn

EXEMPTIONIS

Diebus 21 Iulii 1876 et 16 Februarii 1877.

COMPENDIUM FACTI. Hospitium S. Euphemiae in Urbe R. situm est intra limites paroeciae SS. Cosmae et Damiani. Huiusmodi hospitium alumnis et convictricibus constans, et Eminentissimi Cardinalis S. R. E. protectioni subiectum, Sorores dirigunt quibus a *Pretiosissimo sanguine* nomen est. SS. Cosmae et Damiani Ecclesiae Parochus, cum videret hospitium se habere tamquam omnino a parochiali iurisdictione exemptum, coram S. C. et EE. RR. institit ut praetensae exemptionis titulos hospitium si quos haberet ostenderet.

Ordinarii nec non Eminentissimi Protectoris votis et informationibus requisitis de more, Primus opinionem suam pandens statuebat: rem non ex factis hinc inde adductis esse dirimendam, bene vero ex documentis si quae pro hospitio extarent: sed cum documentum nullum proferret hospitium, facta quae adducebat, parochorum pro tempore vel oscitantiae vel etiam indulgentiae esse adscribenda, eaque successorum iuribus praeiudicium afferre nequire.

Eminentissimus Protector quamlibet decisionem in suspenso teneri postulabat, eo quod documenta reperire, ob publicae rei statum, impossibile esset in praesenti: monebat vero, incredibile videri vetustam consuetudinem et Parochorum silentium constans, quae in facto habentur, explicari non posse, nisi alicuius vel Pontificii Rescripti vel Brevis Apostolici existentia supposita.

Causa ad plenam Congregationem ablegata est, partibus hinc inde certantibus.

Disceptatio synoptica

www.libtool.com.cn

PAROCHI ARGVMENTA. Proprium ius ad iurisdictionem in hospitio exercendam ex eo hauriebat, quod exemptio *de iure* competat utriusque sexus regularibus qui in rigorosa clausura vitam agunt, tribusque adstringuntur votis, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiae, quosque S. Sedes approbavit. Hoc iure frui Monasterium S. Urbani, sed nullo modo aequiparari posse monasterio S. Euphemiae hospitium, ea unice de causa, quia Comitissa Sfortia S. Urbani monasterium fundavit, ut ibi inter moniales proximi hospitii alumnae reciperentur. Ex huiusmodi argumento, si hospitio opitularetur, inferri: fere omnes saeculares familias quae alterutrius sexus regularibus membra suppeditant, idem ius vindicare posse.

Facta insuper sibi propitia quae sequuntur notabat.

1. Statum animarum in hospitio ab *immemorabili* fieri a Parocho SS. Cosmae et Damiani.

2. Ipsum subscribere attestationibus medicorum ad permissionem consequendam vescendi carnibus et lacticiniis quadragesimali tempore.

3. Bonorum morum, paupertatis aliasque huiusmodi attestationes pro alumnis et convictricibus a Parocho requiri.

4 Nomina defunctarum in hospitio, descripta constanter fuisse in regestro mortuorum paroeciae usque ad annum 1874, quo labente anno, hospitii moderatrix a denunciandis defunctis destitit.

5. Matrimonia alumnarum publicare et benedicere in Ecclesia Parochiali consuevisse, non peculiari quadam deputatione, sed ordinaria iurisdictione ceu apparet ex permissionibus, quas Ordinarii Curia ad ipsum mittere solet.

6. Tandem de facto proprio loquutus ait; saepius ad aegrotantes in hospitio visitandas vocari: et anno 1872 cuidam alumnae extrema ministrasse; usque ad ultimum adstitisse.

Nihil proficere, subdit, in hospitii Ecclesia oleum infirmorum servari: id enim vel per abusum vel ob commodum in aliis etiam pluribus Urbis R. hospitiis inveniri, quae omnino Parocho subiecta sunt.

www.libtool.com.cn

His quae Parochus ipse innuebat, *ex officio* nonnulla alia adiecta sunt in *consultatione*. Monitum namque est incontroversum inter Canonicae disciplinae peritos esse, Parochum fundatam in iure habere iurisdictionem super illis omnibus qui inter Paroeciae limites habitant. *Decr. Cap. Fraternit. de Sepult.* - *Gratian. Discept. For. C. 208 n. 78* - *Barbos. de Off. Paroch. par. 3 cap. 26 N. 66*. Hoc ius cessare si vel de sui natura exemptum sit institutum aliquod, vel tale factum fuerit ob speciale privilegium vel ob centenariam aut saltem immemorabilem consuetudinem. — Verum de sui natura exemptum dici nequire hospitium vel etiam Monasterium Oblatarum Monialium, quae tribus votis, castitatis scilicet obedientiae et paupertatis non adstringuntur. *Navarr. consult. 6 de regul.* — *Iuris autem est, quod nulla est nec potest dici vera monacha et sanctimonialis nisi quae tria substantialia vota in religione aliqua approbata a S. Sede Apostolica in manibus Superioris ad id potestatem habentis emiserit*. Et *Berard. Comm. in ius Eccles. Univ. Cap. VI. In Concilio Tridentino eam capiendam esse interpretationem quae facile Episcopis faveat ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum*. In casu in hospitio nonnisi saeculares convictrices et alumnas degere: sed neque privilegium ullum ostendi ab Apostolica Sede concessum, neque consuetudinem.

Nihil proficere hospitium cum affert S. Euphemiae alumnas cum S. Urbani Monialibus ita unitas esse, ut unum quasi morale corpus cum eo efficere dicendae sint. Etenim nullam haberi unionem ex eo quod S. Euphemiae hospitium Monasterio S. Urbani moniales suppeditet: exorbitans autem fore diversae naturae instituta quoad privilegia aequiparari contra vetus iuris axioma *quae a iure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda Reg. 28 in 6.*

ARGUMENTA PRO HOSPITIO. Quibusdam praemissis animadversionibus de praepedito sibi Archivii examine, qui hospitii iura tuebatur adfirmare haud dubitabat, ex Constitutionibus Monialium Capuccinarum aliisque monumentis, nec non ex facti argumentis erui: Parochum S. Cosmae et Damiani, ministerii actus in hospitio nunquam exercuisse.

Adserta ut probaret recolebat, Urbanum VIII Sa. Me. in Apostolicis Literis quibus Monasterii S. Urbani erectionem adprobavit verba adhibuisse quae sequuntur « Monasterium » in quo puellae dictae domus S. Euphemiae in moniales » tantum recipi, et habitum per moniales aliorum Monaste- » riorum dicti Ordinis S. Clarae gestari solitum suscipere et, » anno probationis elapso professionem per easdem moniales » emitti consuetam, emittere debeant etiam perpetuo, sine ali- » cuius praeiudicio dicta auctoritate erigimus et instituimus. Ex his aliisque eiusdem generis documentis in tuto esse adserebat: nonnisi hospitii S. Euphemiae alumnas inter moniales S. Urbani recipi posse: quod eo usque servatum est, ut anno volvente 1720, alterius Hospitii S. Ioannis in Laterano adolescentula inter S. Urbani moniales cooptari nequiverit, quin Summus Pontifex Clemens XI supramemoratis constitutionibus per Bullam derogaverit, clausula tamen adiecta ne huiusmodi exceptio transiret in exemplum.

Ex his fluere, S. Euphemiae hospitium habendum esse tamquam *probationis domum* ad S. Clarae regulam in proximo Monasterio profitendam; et unum quasi corpus efficere cum Monasterio.

Idem probari ex hospitii constitutionibus. Etenim in Capite VI hospitii Confessario iniungi, ut convictricibus atque alumnis sacramenti ministret poenitentiae, Eucaristiae nec non extremae unctionis: hac immo de causa in S. Euphemiae Ecclesia oleum infirmorum asservari.

Longi temporis consuetudinem in tuto ponere hospitii seniores, quae paratae sunt etiam sub iuramento testari nunquam Parochos SS. Cosmae et Damiani iurisdictionis actus in hospitio explevisse.

Tandem attestationibus trium sacerdotum, qui confessarii munus in hospitio exercuerunt probari: ipsos Paschalem Communionem integrae communitati diribuisse: Sabato Sancto adveniente, hospitium benedixisse, Sacramenta Viatici et extremae unctionis ministrasse, defunctarum cadavera in Ecclesia S. Euphemiae sociasse, exequiis expletis ceram totam in Ecclesiae beneficium cessisse.

www.libtool.com.cn

His de exemptione disputatis, S. Congregationi EE.et RR. propositum est dirimendum

Dubium

An et quomodo Hospitium S. Euphemiae a parochiali iurisdictione exemptum dicendum sit?

Resolutio

S. Congregatio in generalibus Comitiis diei 21 Iulii 1876 censuit respondendum

Ex hactenus deductis non constare de exemptione.

Nova audientia per hospitii procuratorem implorata, cum nihil novi adduceretur, die 16 Februarii 1877 quo, causa iterum proposita est, ad assuetam dubii formulam.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu,

repositum est

in decisis.

Ex his colliges

I. Parochum iurisdictionem habere quam in iure fundatam appellant super illis qui inter propriae paroeciae limites domicilium habent.

II. Parochiale ius huiusmodi, ad pias domus etiam extendi, nec cessare nisi vel de sui natura exemptum sit institutum, vel ob speciale privilegium aut ob centenariam vel immemorabilem consuetudinem tale factum sit.

III. Cum agitur de parochialibus iuribus excludendis, stri-

ctae interpretationi locum fieri: neque esse ad consequentiam trahenda quae a iure comuni exorbitant.

IV. In casu exemptionem nec ex iure neque ex privilegio vel consuetudine immemorabili probari, immo plura innui quae contrarium ostendunt: quasi unionem cum Monasterio S. Urbani, ad exemptionis ius adstruendam, imparem habitam fuisse.

www.libtool.com.cn

DECLARATIONIS RESCRIPTI

COMPENDIUM FACTI. Mense Iulii vertente anni 1870. Parochi S. Luciae, S. Stephani et S. Petri civitatis S. Pontifici exposuerunt: trium harum Ecclesiarum Parochialium unamquamque duo adnexa beneficia habere, quibus adsignata fuit tertia pars parochialium bonorum: hoc est, bona parochialia in tres partes dividi quarum duae parochialem congruam conficiebant, una duobus beneficiariis pertinebat. Exposuerunt insuper, duos uniuscuiusque Ecclesiae beneficiarios nullum praestare parocho adiutorium in animarum cura: et proposuerunt, morientibus deinceps beneficiariis, eorum bona parochiali congruae uniri, hac sub lege, ut reditus uniti pars ad sub - parochum remunerandum adsignarentur, reliquum vero ad sacras providendas supellectiles, quibus dictae Ecclesiae carebant, impendere liceret.

Die 20 Iulii eiusdem anni, ex audientia Sanctissimi rescriptum prodiit precum oblatoribus propitium, clausula tamen adiecta « cum dependentia ab Ordinario cui ratio quotannis » reddenda erit; ad quem effectum fieri debeat inventarium » bonorum seu redituum beneficiorum cuiusque paroeciae de » quibus agitur.

Pontificii huius rescripti executor Episcopus S. inventariis inspectis haec statuebat. *Pro Ecclesia S. Luciae,* cum ex inventario constaret duorum beneficiorum reditus ad summam libellarum 400 evehi, subparocho annuas 180 libellas tradi, reliquas 220 in Parochiali Ecclesia impendi.

Pro Ecclesia S. Petri, cum beneficialis praebenda in 180 libellis consisteret, subparocho libellas 80 Ecclesiae 100 assignari.

Pro Ecclesia S: Stephani ex libellis 500, pro subparocho 200. deductis 300 Ecclesiae reservari.

Huiusmodi leges adiectae, quibus nunc pro tunc eot empore Pontificium Rescriptum esecutioni commissum est, plenum in Paroecia S. Luciae iam exitum habuerunt, pro parte tantum in Ecclesia S. Stephani. Scilicet beneficia ambo in prima Ecclesia iam vacaverunt, in altera unum tantum.

Mense Aprilis superioris anni 1876, Ordinarius ad Sacram EE. et RR. Congregationem scribebat parochos S. Luciae et S. Stephani accusans quod unitorum beneficiorum administrationis rationem reddere renuissent, nec non Rescriptum violavissent, quo sancitum erat; ut praededucto Subparochi honorario, reliquos beneficiorum fructus in propriae Ecclesiae utilitatem impenderent, sub dependentia Ordinarii, cui rationem habitae administrationis quotannis reddere tenebantur. Praemonebat etiam valde esse cavendum, ne parochi ex obtenta unione lucrum sibi compararent, expensas Ecclesiarum suarum ordinarias quas pro duabus tertiis partibus pro rata congruae antea ferebant, nunc unitorum beneficiorum fructibus explentes: probonebatque ita rem esse componendam, ut parochis absque Ordinarii in scriptis permissione, nec obolum ex dictis fructibus impendere liceret.

Parochis Ordinarii intentionem excipere renuentibus, res ad plenam Congregationem delata est.

Disceptatio synoptica.

Quae Ordinarius contra Parochos afferebat. Tribus potissimum argumentis utebatur ipse, quorum duo ex facto,

tertium ex iure hauriebat. Aiebat enim, Parochos S. Luciae et S. Stephani nullum procurasse suis ecclesiis melioramentum ex suppressorum beneficiorum reditibus, ecclesias speluncis similes esse, parochos ipsos subparochis omnia committentes, otia beata vivere.

www.jbtool.com.cn

Contendebat insuper reditus suppressorum beneficiorum pro quaque Ecclesia depressos nimis fuisse: ideoque opportunum sibi videri, ut suppressorum beneficiorum distincta haberetur administratio.

His *facti* argumentis aliud ex *iure* depromptum adiiciebat, scilicet clausulam *sub dependentia Ordinarii* appositam in Pontificio Rescripto, plenam secumferre subiectionem erga Episcopum. Quapropter nullam fieri posse expensam, quam Episcopus singulis in casibus non noverit antea atque approbaverit.

QUAE PAROCHI RESPONDEBANT. Redditionibus rationum ad acta exhibitis, parochi ostendebant: reditus integros beneficiorum suppressorum in sacris supellectilibus comparandis, et in reparandis propriis Ecclesiis adhibitos fuisse: immo eorum quemque in huiusmodi expensis summam maiorem reditibus ipsis in executoriali decreto anni 1870 praefixis erogasse, seque expensas a parocho fieri solitas substulisse.

Ostendebant etiam, difficile nimis esse reditus beneficiorum supressorum quotannis exacte constituere, eo fortius quia fundi indivisi sunt adhuc: quapropter cum nihil suadeat summas anno 1870 pro unaquaque ecclesia impositas veritati cohaerere, eas esse servandas.

Interpretationem inficiabantur ab Ordinario datam verbis pontificii rescripti - cum dependentia ab Ordinario - contendentes puerile nimis futurum si pro qualibet re, singulis vicibus, usque ad obolum deberet praeventiva expensa indicari Ordinario, ab eoque approbari.

Tandem ut evincerent reapse nihil se ex suppressione beneficiorum lucrifacere, se paratos esse protestabantur ad beneficia ipsa unita restituenda, ut personae sibi magis benevisae Episcopus ea traderet administranda.

Ab otii accusatione se purgabant pluribus Urbis S. testantibus sacerdotibus, parochos S. Luciae et S. Stephani vigilem ac assiduam pro ovibus sibi commissis curam exercere.

His hinc inde disputatis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. *An et quomodo adhibendi sint reditus Beneficiorum unitorum tribus paroeciis in casu?*

II. *An et quomodo excipiendi sint Episcopi S. questus et petitiones in casu?*

RESOLUTIO

Sacra Congregatio EE. et RR. die 13 Iulii in pleno coetu respondendum censuit.

Ad I. *Affirmative ad formam rescripti diei 20 Iulii 1870 et decreti exequutorialis.*

Ad II. *Affirmative iuxta modum, nempe per rescriptum, et decretum exequutoriale parochos exoneratos non fuisse a contributione, ex propriae praebendae reditibus, duarum ex tribus partibus expensarum ordinariarum. Detinendam esse certam quantitatem redituum beneficiorum unitorum iuxta taxationem factam in decreto exequutoriali, salvis hinc inde iuribus pro reductione vel augmento dictae quantitatatis ex novis documentis exhibendis. Unusquisque ex parochis singulis annis, infra mensem Novembris, exhibeant computum praeventivum expensarum pro anno subsequenti: quod computum, nisi idem Ordinarius censeat corrigendum seu reprobandum esse, retineat Parochus pro norma expensarum et expleto anno, intra mensem Ianuarii subsequentis, redditionem rationum eidem Ordinario subiiciat.*

Ex his colliges

I. Reditus cuiuslibet Beneficii suppressi aliisque uniti ratione Ecclesiae Parochialis in qua existebant, eiusdem Ecclesiae utilitati, animarumque bono cedere omnino debere.

II. Media omnia esse adhibenda ne parochus vel rector Ecclesiae ex unione lucrifaciat.

III. Clausulam in pontificiis rescriptis adiectam *sub dependentia Ordinarii* eo modo esse interpretandam, ut Ordinarius rerum omnium quae in rescripto comprehenduntur certior fiat: et veram realemque pervigilantiam exerceat.

IV. Hanc sed potestatem non eo usque esse extendendam, ut quaevis praepediatur subiectis ordinaria administratio.

V. Ideo in casu S. Congregationem decrevisse ut redituum ex unitis beneficiis derivantium annua erogatio, per computum praeventivum Ordinario approbanda subiiceretur a parochis quibus erogationis exequutio committitur.

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

www.libtool.com.cn

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Dives in misericordia Deus, qui Ecclesiae suae in hoc mundo militanti numquam defuit, at iuxta varias rerum ac temporum vicissitudines opportuna sapienter praesidia subministrat, cum saeculo XVI. christianas gentes in virga furoris sui visitaret, pluresque Europae provincias grassantium late haeresum tenebris obrui permitteret, haud volens plebem suam repellere, nova sanctorum virorum lumina provide excitavit, quorum splendore collustrati Ecclesiae filii in veritate confirmarentur, ipsique praevaricatores ad illius amorem suaviter reducerentur. E quorum clarissimorum hominum numero Franciscus Salesius Episcopus Genevensis, inclytae sanctitatis exemplar, et verae piaeque doctrinae magister extitit, qui, ne dum voce, sed et scriptis immortalibus insurgentium errorum monstra confodit, fidem asseruit, vitiis eversis mores emendavit, cunctis pervium coelum ostendit. Qua praecellenti sapientia eam laudem assecutus est, qua veteres illos ac praecipuos Ecclesiae Dei doctores praestitisse sa: mem: Bonifacius VIII. Praedecessor Noster declaravit (Cap. Un. de rel. et ven. Sanctorum in 6.); qui scilicet « per salutaria documenta illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, et moribus informarunt », quosque descripsit « quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in Domo Dei positas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Ecclesiae, tamquam sidus matutinum » irradiantes « scripturarum reserantes aenigmata, ac profundis et decoris sermonibus ipsius Ecclesiae fabricam, veluti gemmis vernantibus » illustrantes. Hoc sane elogium ad Genevensem Episcopum pertinere, vel eo adhuc vivente, maxime vero post eius obitum, fama percelebris testata est, et ipsa scriptorum ab eo relictorum singularis eminentia invicto plane argumento demonstrat. Enimvero magno in pretio Francisci doctrinam, dum in vivis ageret, habitam esse, vel ex eo colligere licet, quod e tot strenuis veritatis catholicae defensoribus, qui eo tempore florebant, unum Genevensem Praesulem sa: mem: Clemens VIII. Praedecessor Noster elegerit, quem adire iuberet Theodorum Bezam Calvinianae pestis propugnatorem acerrimum, et cum eo solo solum agere, ut, illa ove ad ovile Christi revocata, plures alias reduceret. Quod munus adeo eximie Franciscus, non sine vitae suae periculo, implevit, ut haereticus homo ex merito confutatus veritatem fassus sit, licet ex scelere, arcano Dei iudicio, indignus extiterit, qui ad Ecclesiae sinum rediret. Nec minori plane aestimatione sanctum Episcopum

gavisum fuisse exinde constat, quod sa: me: Paulus V. Praedecessor Noster; dum celebris disceptatio « de Auxiliis » Romae ageretur, sancti huius Praesulis sententiam ea super re exquiri voluerit, eiusque consilio obsecutus, subtilissimam, ac periculi plenam quaestionem diu acriusque exagitatam, indicto partibus silentio, consopiendam iudicaverit. Quin imo, si ipsae epistolae ab eo ad plurimos scriptae considerentur, cuique compertum erit, Franciscum ad instar gravissimorum inter veteres Ecclesiae Patres, a compluribus, de iis, quae ad Catholicam fidem explicandam, tuendamque, quaestiones ea de re enucleandas ac vitam ad Christianos mores componendam pertinerent, rogatum saepe fuisse, ipsumque, multa persecutum copiosissime ac docte, apud Romanos Pontifices, apud Principes, apud magistratus, apud sacerdotes cooperatores suos in sacro ministerio, adeo valuisse, ut eius studio, hortationibus, monitis, consilia saepe inita fuerint, quibus regiones ab haeretica lue purgarentur, Catholicus cultus restitueretur, religio amplificaretur. Haec praecellentis doctrinae opinio post illius obitum imminuta non est, imo vehementer aucta; virique ex omni ordine clarissimi, ipsique Summi Pontifices, eminentem illius scientiam magnis laudibus extulerunt. Equidem sa: me: Alexander VII. in Bulla Canonizationis (XIII. Kalendas Maias M D C L XV.) Franciscum Salesium, doctrina celebrem, sanctitate admirabilem praedicavit, aetatique suae contra haereses medicamen, praesidiumque; ita ut scriptorum illius documentis irrigata populorum ac virorum nobilium pectora affluentem evangelicae vitae messem peperisse affirmet. Quibus plane congruit, quod in Consistoriali allocutione ante Canonizationem habita, complexus est, Salesium scilicet « docendo omnes, tum doctrinae salubris verbo, tum vitae innocentis exemplo » multa in Ecclesiae bonum praestitisse, eiusque adhuc magnam partem superesse « ope monitorum, et evangelicae disciplinae documentorum, quae libris consignata, fidelium manibus terebantur ». Nec ab his aliena sunt, quae in literis datis ad Moniales Visitationis Monasterii Anneciensis V. Kalendas Augusti An: MDCLXVI aiebat, virtutem nimirum, ac sapientiam illius « Christianum Orbem universum late perfundere »; inclyta eius promerita « doctrinamque plane divinam » se admiratum, eum elegisse, quem « praecipuum vitae ducem, ac magistrum sequeretur ». Quod quidem magisterium sa: mem: Clementi IX. Praedecessori Nostro eiusmodi visum est, ut et antequam Pontifex esset, de Salesio asseruerit « praeclarissimis voluminibus pium quodammodo armamentarium animarum beneficio condidisse », et Pontificatum adeptus antiphonam in illius honorem probaverit, in ea verba, « Replevit Sanctum Franciscum Dominus Spiritu intelligentiae et ipse fluenta doctrinae ministravit populo Dei ». Suis vero antecessoribus concinens Benedictus XIV. sa: mem: libros Genevensis Praesulis scientia divinitus acquisita scriptos affirmare non dubitavit, illius auctoritate usus difficiles quaestiones solvit, « sapientissimum animarum rectorem » appellavit. (Const. « Pastoralis curae » V. Augusti MDCCXLI.) Itaque mirandum minime est plurimos qui ingenii, ac doctrinae laude florerent, academiarum doctores, oratores summos, iurisconsultos, theologos insignes, et vel ipsos principes virum hunc vere magnum ac doctissimum ad haec usque tempora praedicasse: multos vero, ut magistrum, fuisse secutos, atque ex eius libris plura in sua scripta derivasse. Porro haec universalis persuasio, de excellenti Salesii scientia, ex qualitate ipsa doctrinae ipsius exoritur, quae nimirum in sublimi sanctitatis culmine ita in eo supereminet, ut Doctoris Ecclesiae tota propria sit, virumque hunc inter praecipuos magistros sponsae suae a Christo Domino datos,

accensendum suadeat. Quamvis enim Sanctos Doctores, qui primis Ecclesiae saeculis floruerunt, antiquitas ipsa spectatos faciat, latinique aut graeci sermonis, quo libros ediderunt, in iis ornamentum accedat, id tamen potissimum, ac plane necessarium (quod supra monuimus) huic magisterio est, ut in scriptis diffusa ultra communem modum doctrina coelestis appareat, quae argumentorum copia, et varietate, splendoribus veluti circumamicta, totum Ecclesiae corpus nova luce perfundat, sitque fidelibus in salutem. Haec itaque laudum praeconia Genevensis Episcopi libris apprime conveniunt. Sive enim quae de rebus asceticis ad christianam vitam sancte, pieque ducendam, sive quae de controversiis ad fidem tuendam, et haereticos refutandos, sive quae de divini verbi praedicatione scripsit considerentur, nemo est qui non videat, quanta per sanctissimum virum emolumenta sint in Catholicum populum invecta. Equidem duodecim libris insignem, atque incomparabilem tractatum « de amore Dei » docte, subtiliter, dilucideque complexus est, qui tot praecones de suavitate sui auctoris habet, quot lectores. Maxime autem vivis coloribus virtutem, alio opere, quod « Philothea » inscribitur, pinxit; ac prava sternens in directa, et aspera in vias planas, universis Christifidelibus iter ad eam ita facile commonstravit, ut vera exinde pietas lucem suam ubique effunderet, iam sibi ad Regum solia, ad Ducum tentoria, ad iudiciorum forum, telonia, officinas, et ipsa oppidula pastorum aperiret. Enimvero iis scriptis ex sacra doctrina summa scientiae sanctorum principia eruit, et ita enucleat, ut insigne ipsius privilegium plane visum sit, quod ad omnes fidelium conditiones sapienter, leniterque eamdem accomodare noverit. Huc accedunt tractatus de rebus ad magisterium pietatis spectantibus, ipsaeque constitutiones, sapientia, discretione, ac suavitate conspicuae, quas pro Sanctimonialibus Ordinis Visitationis Beatae Mariae ab eo constituti scripsit. Uberrimam etiam rei asceticae segetem epistolae ipsius ad plurimos datae suppeditant, in quibus illud plane mirabile est, quod Spiritu Dei plenus, et ad ipsum suavitatis auctorem accedens, devoti cultus erga Sacratissimum Cor Iesu semina miserit, quem in hac nostra temporum acerbitate maximo pietatis incremento mirifice propagatum, summa cum animi Nostri exultatione conspicimus. Nec praetereundum est, in his lucubrationibus, ac praesertim in interpretatione Cantici Canticorum, plura scripturarum aenigmata, quae ad morales, et anagogicos sensus pertinent, reserari, enodari difficultates, obscura nova luce perfundi, quibus licet inferre, Deum, coelestis sui irrigui gratia influente, sancto huic viro sensum aperuisse, ut intelligeret scripturas, easque pervias doctis, indoctisque redderet. Porro ad retundendam haereticorum sui temporis pervicaciam, confirmandosque Catholicos, non minus feliciter, ac de asceticis rebus « Controversiarum » librum in quo plena Catholicae fidei demonstratio est, aliosque tractatus, concionesque de veritatibus fidei, itemque « Vexillum Crucis » conscripsit, quibus adeo strenue, pro Ecclesiae causa certavit, ut innumeram perditorum hominum multitudinem ad eius sinum reduxerit, fidem in tota Caballiacensium provincia, longe lateque, restituerit. Imprimis auctoritatem huius Apostolicae Sedis, ac Romani Pontificis Beati Petri successoris propugnavit, ac ipsius Primatus vim ac rationem, ea perspicuitate explicavit, ut Vaticani Oecumenici Concilii definitionibus feliciter praeluserit. Certe, quae de infallibilitate Romani Pontificis, in quadragesimo sermone « Controversiarum » asserit, cuius authographum, dum in Concilio res ageretur, detectum est, eiusmodi sunt, quae nonnullos Patres tunc ea super re adhuc ancipites, ad definitionem decernendam, veluti manu duxerint. Ex tanto Sancti Prae-

sulis in Ecclesiam amore, et eius defendendae studio, ea ratio enata est, quam in Divini verbi praeconio adhibuit, sive ad Christianam plebem in elementis fidei erudiendam, sive ad mores doctiorum informandos, sive ad fideles omnes ad perfectionis culmen deducendos. Etenim se debitorem agnoscens sapientibus, et insipientibus, omnibus omnia factus, simplices, et agrestes homines in simplicitate sermonis docere curavit, inter sapientes vero locutus est sapientiam. Qua super re, et prudentissima praecepta tradidit, idque assecutus est, ut sacrae eloquentiae dignitas temporum vitio collapsa, ad antiquum splendorem proposito Sanctorum Patrum exemplo revocaretur; atque ii disertissimi oratores ex hac schola prodierint, a quibus uberrimi fructus in universam Ecclesiam redundarunt. Itaque sacrae eloquentiae instaurator, ac magister ab omnibus habitus est. Denique coelestis eius doctrina, veluti aquae vivae flumen, irrigando Ecclesiae agro, adeo utiliter populo Dei fluxit ad salutem, ut verissima appareant, quae sa: mem: Clemens VIII. Praedecessor Noster, Salesio, cum ad Episcopalem dignitatem eveheretur, veluti divinans dixerat, iis proverbiorum verbis adhibitis: « Vade fili, et bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui; deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas tuas divide. » Has itaque salutis aquas haurientes cum gaudio fideles, eminentem Genevensis Episcopi scientiam suspexerunt, eumque magisterio Ecclesiae dignum ad haec usque tempora existimarunt. Enimvero his causis adducti, plurimi ex Vaticani Concilii Patribus, Nos, enixis votis, communi voce rogarunt, ut Sanctum Franciscum Salesium Doctoris titulo decoraremus. Quae quidem vota, et Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinales, et plures ex toto orbe Antistites, ingeminarunt; iis vero plura Canonicorum Collegia, magnorum Lycaeorum Doctores, scientiarum Academiae, augusti Principes, ac nobiles proceres, ingens denique fidelium multitudo suis supplicationibus accesserunt. Nos itaque tot tantisque precibus obsecundare lubenti animo volentes, gravissimum negotium, ut moris est, Congregationi Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium sacris Ritibus tuendis praepositorum examinandum remisimus. Iamvero dicta Venerabilium Fratrum Nostrorum Congregatio in ordinariis comitiis ad Nostras Vaticanas aedes die VII. Iulii labentis anni habitis, audita relatione Venerabilis Fratris Nostri Cardinalis Aloisii Bilio Episcopi Sabinensis, eiusque Sacrae Congregationis tunc Praefecti, et causae Ponentis, mature perpensis animadversionibus Laurentii Salvati Sanctae Fidei Promotoris, nec non Patroni causae responsis, post accuratissimum examen, unanimi consensu rescribendum censuit « Consulendum Sanctissimo pro concessione, seu declaratione, et extensione ad Universam Ecclesiam tituli Doctoris in honorem Sancti Francisci De Sales, cum officio, et Missa de communi Doctorum Pontificum, retenta oratione propria, et lectionibus secundi nocturni. » Quod Rescriptum, Nos, edito generali Decreto Urbis et Orbis die XIX mensis, et anni eiusdem, approbavimus. Item novis porrectis precibus, ut aliqua additio fieret, tum in Martyrologio Romano, tum in sexta lectione in festo S. Francisci Salesii, utque concessiones omnes hac super re factae Nostris Literis Apostolicis in forma Brevis confirmarentur; eadem Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregatio, in ordinariis Comitiis die XV Septembris anni eiusdem habitis, rescripsit « Pro gratia, ac supplicandum Sanctissimo pro expeditione Brevis. » Addi vero censuerunt ad elogium Martyrologii Romani post verba « Annesium translatum fuit » haec alia « Quem Pius IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto universalis Ecclesiae Doctorem declaravit »; ad le-

ctionem vero sextam post verba « Vigesima nona Ianuarii » adiungi sequentia « et a Summo Pontifice Pio IX. ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universalis Ecclesiae Doctor fuit declaratus. » Et hoc quoque Rescriptum memoratae Congregationis die XX. dicti mensis, et anni, ratum habuimus et confirmavimus, atque ut super concessionibus omnibus, hac de re factis, Apostolicae Literae expedirentur, mandavimus. Quae cum ita sint, supradictorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium, Antistitum, Collegiorum, Academiarum, ac fidelium votis obsecuti, deque consilio memoratae Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctae Ecclesiae Romanae Cardinalium Congregationis sacris Ritibus cognoscendis praepositae, Auctoritate Nostra Apostolica, tenore praesentium, titulum Doctoris in honorem Sancti Francisci Salesii Genevensis Episcopi ac Ordinis Sanctimonialium Beatae Mariae V. Visitationis Institutoris confirmamus, seu, quatenus opus sit, denuo ei tribuimus, impertimus, ita ut in universali Catholica Ecclesia, semper ipse Doctor habeatur, atque in die festo anniversario, cum a saeculari, tum a regulari Clero, celebrando Officium et Missam iuxta memoratum sacrorum Rituum Congregationis Decretum fiat. Praeterea eiusdem Doctoris libros, commentaria, opera denique omnia, ut aliorum Ecclesiae Doctorum, non modo privatim, sed et publice in Gymnasiis, Academiis, Scholis, Collegiis, lectionibus, disputationibus, interpretationibus, concionibus aliisque ecclesiasticis studiis, christianisque exercitationibus, citari, proferri, et prout res postulaverit adhiberi decernimus. Ut vero fidelium pietati in huius Doctoris die festo rite colendo, eiusque ope imploranda, excitamenta adiiciantur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui die festo eiusdem Sancti Doctoris, aut uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, uniuscuiusque Christifidelis arbitrio sibi deligendo, vere poenitentes, et confessi, Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et quamlibet ex Ecclesiis Ordinis Sanctimonialium Visitationis Beatae Mariae Virginis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, et Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quapropter universis venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, et dilectis filiis aliarum Ecclesiarum Praelatis, per Universum terrarum Orbem constitutis, per praesentes mandamus, ut quae superius sancita sunt, in suis Provinciis, Civitatibus, Ecclesiis, et Dioecesibus solemniter publicari, et ab omnibus personis Ecclesiasticis saecularibus, et quorumvis ordinum regularibus, ubique locorum et gentium, inviolabiliter, et perpetuo observari procurent. Haec praecipimus, et mandamus, non obstantibus Apostolicis, ac in Oecumenicis, Provincialibus, et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si fuerint exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XVI. Novembris MDCCCLXXVII. Pontificatus Nostri anno Trigesimosecundo.

F. CARD. ASQUINIUS

DECRETUM

AUGUSTANA in Pedemonte. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Vullermo de Leaval Parocho Moriacii beato nuncupato.

www.libtool.com.cn

In Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato per me subscriptum Cardinalem huius Causae Ponentem proposito Dubio - *An Sententia lata ab Augustensi Episcopo super Cultu immemorabili tempore praestito Servo Dei Vullermo de Leaval praefato, seu super casu excepto a Decretis sa: me: Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad affectum de quo agitur?*

Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 3 februarii 1877.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideliter relatis, Sanctitas sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die decima quinta februarii iisdem mense et anno.

A. Ep. SABINEN. Card. BILIO S. R. C. Praef.

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius

Loco ✠ Sigilli.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

www.libtool.com.cn

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVIII DECEMBRIS 1877.

Frequentia et conspectus vester iucundissimam Nobis opportunitatem affert quam vehementer optavimus, nempe ut Vobis singulis universis gratias habere possimus pro iis dilectionis officiis, quibus Nos hoc tempore adversa valetudine affectos perhumaniter prosecuti estis.

Hoc grati animi munus libentissime implemus hodie, Venerabiles Fratres, et gratulamur in Domino, quod sicut Vos fidissimos adiutores ad Apostolici Ministerii onus ferendum experimur, ita ex vestra virtute et constanti charitatis affectu dulcem consolationem habemus, qua multiplices acerbitates animi Nostri leniri sentimus.

Sed dum de vestra in Nos dilectione ac studio gaudemus, probe cognoscimus, Nos vestra ac omnium Venerabilium Fratrum et Fidelium cooperatione in dies magis indigere, ut praesens Dei auxilium in tantis nostris et Ecclesiae necessitatibus assequamur. Summopere igitur hortamur Vos, Venerabiles Fratres, ac eos praesertim ex Vobis, qui episcopale ministerium in Dioecesi sibi credita exercent, itemque singulos pastores, qui Dominico Gregi in toto catholico orbe praesident, ut assiduas preces pro Nobis et Ecclesia ad Divinam Clementiam effundant ac offerri curent ut Ea Nobis dum corpus affligitur, vires animi donet ad certamen quod fervet

strenue sustinendum, Ecclesiae autem respiciat labores et iniurias, ac demittens universa delicta nostra, det gloriam nomini suo, det bonae voluntatis munus cum fructu pacis illius, quam angelici chori nascente Domino hominibus annuntiarunt.

www.libtool.com.cn

SANCTISSIMUS HABITA BREVI ALLOCUTIONE SEQUENTES PROPOSUIT ECCLESIAS:

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM NAZIANZEN. in partibus infidelium vacan. per successionem R. P. D. Rogerii Bedae Vaughan ad Metropolitanam Sedem Sydneyensem; ad quam translatus fuit R. P. D. Angelus di Pietro, cuius qualitates ab Apostolica Sancta Sede adprobatae fuere cum de mense Iunio 1866 Nyssen. Ecclesiae praefectus fuit.

Nazianzum urbs Cappadociae, Caesareae et Sasimis finitima, patria Divi Gregorii, qui Nazianzenus cognominatur, ab infidelibus adhuc detinetur; quare miserrimus eius status silentio praeteritur.

ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM TEATIN. cum administratione Ecclesiae Vastensis per Apostolicas Literas « *In Apostolica omnium Ecclesiarum sollicitudine* » datas Decimo Kalendas Augusti 1853 ad Cathedralis honorem a SANCTITATE SUA erectae, et vacan. per obitum bo. me. Aloisii Mariae de Marinis ultimi illius Archipraesulis ac respective Administratoris extra romanam curiam defuncti; ad quam evectus est R. P. D. Aloisius Ruffo ex Principibus Scillae de legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Panormi progenitus et in octavo supra tricesimum aetatis suae anno constitutus. Presbyteratus ordine dudum donatus, ac in philosophica, et theologica facultate, nec non utroque in jure prolytae gradum assequutus, in ecclesiasticis functionibus obeundis naviter emicuit. Inter alumnos tum Pontificii seminarii romani, tum Academiae nobilium ecclesiasticorum Urbis adscitus, SANCTITATIS SUAE Domesticus Praelatus renunciatus est. Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Canonicatu hucusque cohonestatus, ac sive inter Protonotarios Apostolicos ad instar Participantium, sive inter Praelatos Sacrae Concilii Congregationis relationibus Ordinariorum super eorum Ecclesiarum statu examinandis praepositae connumeratus, Sanctae Romanae Ecclesiae Camerariatus Auditor adlectus est.

Teatea seu Teate Marrucinorum urbs et caput Aprutii citerioris, in

limite ulterioris ad agrum Neapolitanum, in monte aedificata conspicitur, quae in suo quatuor circiter milliarium ambitu bismille domos ac septemdecim pene mille continet incolas.

Archiepiscopalis Ecclesia S. Thomae Apostoli titulo gloriatur, nullumque habet suffraganeum Episcopum: Vastensis autem Ecclesia Sancti Iosephi gaudet invocatione.

Eius Capitulum Archidiaconi tantum recenset dignitatem, sexdecim Canonicos cum utraque praebenda, decem Hebdomadarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quae per alterum ex dictis Hebdomadariis, Curatum nuncupatum, exercetur ipsamet in Cathedrali.

Tres aliae praeterea reperiuntur Teate paroeciales Ecclesiae sine baptismalibus fontibus, quaedam insuper virorum et duo mulierum monasteria, quatuor conservatoria, nonnulla laicorum sodalitia, hospitale, mons pietatis et seminarium cum alumnis.

Valde ampla est archidioecesis et ultra centum sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM FANEN. vacan. per obitum bo. me. Philippi Vespasiani ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam evectus est R. D. Camillus Santori ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Romae progenitus et in quir quagesimo quinto aetatis suae anno constitutus. Presbyter dudum, atque sacrae theologiae Doctor renunciatus, in ecclesiasticis obeundis officiis navam impendit operam. Pontificii Seminarii Romani Rector, ibique theologiae dogmaticae Professor hucusque renunciatus, atque apud S. Mariam ad Martyres Canonicus adlectus, penes Pontificiam nobilium ecclesiasticorum Academiam in foederum publicorum scientia Professor emeritus effectus est. Penes Apostolicam Datariam Theologi, in Oecumenico Vaticano Concilio Sub-secretarii, romani cleri Examinatoris, apud Congregationem Romanae ac Universalis Inquisitionis Qualificatoris, ac penes alteram tum ecclesiasticis negotiis extraordinariis, tum christiano nomini orientalis ritus praepositam Consultoris perfunctus est muneribus.

Fani civitas, quae et Fanum Fortunae, in agro Urbinatensi ac Pisaurensi, hanc inter et Senogalliam urbes ad litus Adriaci maris plano in loco aedificata, unius circiter milliarii est ambitus, mille pene domos, atque decem fere mille complectitur incolas.

Cathedralis Ecclesia, pervetustae ac solidae structurae, Bmae Virginis Mariae in Coelum Assumptae titulo gloriatur, et Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, ex quibus post pontificalem maior Praepositura, duodecim

Canonicos cum theologo ac poenitentiario, sex Beneficiatos, quatuor Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

www.libtool.com.cn

Per Praepositum ipsum, cui Presbyter Curatus auxilium praestat, animarum cura exercetur eadem in Cathedrali.

Tredecim praeter Cathedralem enumerantur Fani paroeciales Ecclesiae, quarum tres baptismali fonte munitae, aliquot insuper virorum ac tria mulierum monasteria, triplex conservatorium, nonnullae laicorum sodalitates, orphanotrophium, brephotrophium, hospitale, mons pietatis, atque seminarium.

Ad triginta circiter milliaria dioecesis protenditur, unam Collegiatam, pluraque sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM TRICARICEN. vacan. per obitum bo. me. Simonis Spilotros ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam promotus est R. D. Camillus Siciliano e Marchionibus *di Rende* ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus, ac in tricesimo primo aetatis suae anno constitutus. Romae inter alumnos almi Collegii Capranicensis adscitus, studiisque philosophicis ac theologicis apud Gregorianam Universitatem perfectis, atque dudum sacro Presbyteratus ordine insignitus, in ecclesiasticis obeundis functionibus tum Dei verbum praedicando, tum utriusque sexus sacramentales confessiones excipiendo, naviter emicuit. Westmonasteriensi in archidicecesi parochi munere aliquando perfunctus, Neapoli penes Ecclesiam Sanctae Mariae de Victoria pro peregrinorum instructione, atque protestantium ad catholicam fidem conversione plurimum adlaboravit.

Tricaricum urbs Lucaniae in Basilicata partim in colle, partim in planitie aedificata, unius fere milliarii est ambitus, domos complectitur mille, eamque decem circiter mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia Bmae semperque Virginis Mariae ad coelum assumptae titulo gloriatur, atque Acheruntino et Matheranensi suffragatur Archiepiscopo.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, decem cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sex alios supranumerarios, undecim Beneficiatos - Insignitos, aliosque Presbyteros et Clericos divinae rei operam navantes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quae per alterum ex Canonicis specialiter electum ipsamet exercetur in Cathedrali.

Duae aliae reperiuntur Tricarici paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex pro viris et unum pro mulieribus monasterium quatuor laicorum sodalitates, et seminarium: hospitale autem et mons pietatis desiderantur.

Dioeceseos ambitus ad ultra

sexaginta milliaria protenditur et plura sub se continet loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM NICIEN. vacan. per dimissionenem a R. P. D. Petro Sola libere ac sponte in manibus SANCTITATIS SUAE peractam, ab EADEMQUE admissam; ad quam ecclesiam ad nominationem perillustris viri Mauritii de Mac-Mahon Ducis Magentae Gallicae Reipublicae Praesidis, evectus fuit R. P. Matthaeus Regis-Victor Belaïn ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in pago nuncupato *Saint Victor* dioeceseos Vivariensis progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus. Inter Oblatos Congregationis Beatae Mariae Virginis sine labe originali conceptae ab adolescentia adscitus, ibique dudum sacro presbyteratus ordine donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus sedulam impendit operam. Adiacensi in seminario sacrae theologiae Professor plures per annos renunciatus, et hucusque Foroiuliensi in seminario Superioris munere perfunctus est.

In ora mediterranei ad maritimas alpes secus flumen Varum Niciensis civitas aedificata, in suo quatuor fere milliarum ambitu quinquaginta circiter continet incolarum millia sub temporali dominio Gallico.

Cathedralis Ecclesia S. Reparatae Virginis et Martyris titulo gloriatur atque Aquensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum viginti duos recenset cum theologo ac poenitentiario Canonicos, quos inter prima dignitas Cantor, iisque nonnulli adiunguntur praebendati, aliique Presbyteri et Clerici rei divinae operam navantes.

Per alterum ex Canonicis animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali. Tres aliae recensentur Niciensi in urbe paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, una virorum ac mulierum religiosa domus, hospitale, mons pietatis, magnum ac parvum seminarium.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam maritimarum alpium, excepto territorio Grassensi, pluresque continet sub se paroecias, ac centum triginta incolarum millia.

EPISCOPALEM ECCLESIAM PELLEN. sub Archiepiscopo Scythopolitano in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Joannis Petri Dalmond ultimi illius Episcopi extra Romanam curiam defuncti; ad quam promotus atque in coadiutorem cum futura successione R. P. D Henrici Francisci Bracq Antistitis Gandavensis, qui ob suam provectam aetatem atque valetudinis incommoda alterius indiget ope ad pontificalia caeteraque pastoralia munia in illa civitate ac dioecesi salubriter ac fructuose in Domino obeunda, deputatus fuit R. D. Gustavus Leonardus de Battice ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Gandae progenitus, ac tricesimum octavum aetatis suae annum supergressus. Cathedralis Gandavensis cano-

www.libtool.com.cn

nonicus ad honores effectus et inter pro-Synodales Examinatores adscitus est.

Pella urbs Palestinae in Coelesyria et regione Decapolitana, trans Jordanem fluvium, proxima Gerasae adhuc ab infidelibus detinetur; quocirca miserrimus ejus status silentio praeteritur.

Ganda autem vel Gandavum urbs Belgii et caput Flandriae orientalis, amoena in planitie ad confluentem Schaldis et Lisiae posita, viginti duo mille continet domos, et a centum triginta circiter millibus inhabitabitur incolis, qui fere omnes catholicam religionem profitentur.

Cathedralis Ecclesia, gothicae ac solidissimae structurae, S. Bavonis titulo gloriatur, atque Archiepiscopo Mechliniensi suffragatur.

Eius Capitulum tres enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus, septem insuper cum utraque praebenda Canonicos, totidem Beneficiarios, seu Capellanos, aliosque Presbyteros et Clericos et solemnioribus festis seminarii etiam alumnos divinis inservientes.

Per parochum a tribus Presbyteris adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Sexdecim recensentur Gandavi paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, septem pro viris, et fere viginti pro mulieribus religiosae domus, plurimae laicorum sodalitates, duplex hospitale, mons pietatis, atque magnum ac parvum in dioecesi seminarium cum alumnis.

Dioeceseos ambitus satis late patet pluraque sub se complectitur loca et ultra octingenta ac decem animarum millia.

CATHEDRALEM ECCLESIAM ADRENN. vacan. per obitum bo. me. Emmanuelis Kaubeck ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam evectus fuit R. D. Ioannes Maria Berengo ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Venetiis progenitus et quinquagesimum septimum aetatis suae annum supergressus. Presbyteratus ordine ac tum in Sacra theologia, tum in iure canonico dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus sedulo incumbuit, in Patriarchali Veneto seminario theologiae dogmaticae, ecclesiasticae historiae ac patrologiae Professor adlectus, ipso in Capitulo Canonicus Theologus, eiusque Patriarchatus Examinator, ac Judex Synodalis nec non Vicarius in spiritualibus Generalis ad praesens usque renunciatus est. Illius ecclesiastici tribunalis et in ecclesiasticae censurae officio Praesidis, pro consultatione disciplinae Cleri praeposita Consiliarii, theologicis studiis Praefecti, in casuum moderamine Consultoris eademque Sede iam vacante Vicarii Capitularis perfunctus est.

Adria urbs Veneti in agro Policinii Padum inter et Athesim aedificata, et a flumine, cui vulgo nomen *Canal bianco* intersecta, duorum fere milliarum est ambitus,

mille et quingentas continet domos, eamque duodecim circiter mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, praegrandis ac pulcherrimae corinthiaci ordinis structurae, SS. Apostolorum Petri et Pauli titulo gloriatur, atque Venetiarum Patriarchae suffragatur.

Eius Capitulum unicam recenset Archipresbyteri dignitatem, undecim cum theologo ac poenitentiario Canonicos, sex Capellanos-Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum extat animarum cura, quam Archipresbyter ipsamet exercet in Cathedrali.

Alia praeterea reperitur Adriae paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, ac tres succursales, pauperum hospitium, duplex laicorum sodalitas, hospitale Episcopale, gymnasium, atque Rodigii seminarium mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet ac plura sub se complectitur loca.

CATHEDRALEM ECCLESIAM GERUNDEN. vacan. per obitum bo. me. Isidori Valls et Pascual ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam Ecclesiam, ad praesentationem Serenissimi Regis Catholici evectus fuit R. D. Thomas Sivilla et Gener ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco. quem *Calèlla* dicunt, dioeceseos Gerundensis progenitus et sexagesimum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine ac in iurisprudentia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus apprime emicuit, atque Capituli Barcinonensis Canonicus Doctoralis hactenus renunciatus est.

Gerunda urbs permunita Catalauniae in provincia ipsius nominis ad amnem Sambrocam, vulgo *Ter*, aedificata, ab ultra octo millibus inhabitatur incolis, sub temporali dominio praefati Serenissimi Regis Catholici.

Cathedralis Ecclesia, magnificae, gothicae ac graeco-romanae byzantinae structurae, Bmae Virginis Mariae in coelum assumptae titulo gloriatur, atque Tarraconensi Archiepiscopo suffragatur.

Ejus Capitulum, iuxta Apostolicas Literas « *Ad Vicariam* » datas nonis Septembris 1851 quinque adnumerat dignitates, quarum post pontificalem prima Decanatus, quatuor insuper cum theologo ac poenitentiario Canonicos *de officio*, septem *de gracia*, ac duodecim Beneficiatos.

Per Parochum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali.

Praeter Cathedralem, cui quinque adnexae sunt filiales Ecclesiae binae aliae recensentur Gerundae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, octo pro mulieribus monasteria, perpulchrum hospitium, quaedam alia loca pia, nonnulla hospitalia, atque seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Satis ampla est dioecesis tercen-

tum sexaginta sub se complectens oppida ac totidem paroecias.

EPISCOPALEM ECCLESIAM CALLIPOLITAN. sub Archiepiscopo deracleensi in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Joannis Remigii Bessieux ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; ad quam evectus fuit R.P. D. Rosarius Frungillo ex legitimis catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et octavum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus. Sacro Presbyteratus ordine ac in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, signanter Dei verbum praedicando, ac utriusque sexus sacramentales confessiones excipiendo, navam impendit operam. In universitate Neapolitana sacrae scripturae iam Antecessor, Ecclesiis Graecorum utriusque Siciliae Praefectus, inter SANCTITATIS SUAE Praelatos Domesticos adscitus, metropolitani Capituli Neapolitani Canonicus, illiusque sedis vacantis Vicarius Capitularis ad praesens usque renunciatus est.

Callipolis urbs Thraciae ad Propontidem, contra Lampsacum urbem Asiae, adhuc sub infidelium iacet potestate; quare miserrimus eius status nequit referri.

EPISCOPALEM ECCLESIAM MARTYROPOLITAN. sub Archiepiscopo Amidensi in partibus infidelium vacan. per obitum bo. me. Guglielmi Hendren ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti: ad quam Ecclesiam evectus atque in Auxiliarem R. P. D. Raphaelis Valentini Valdivieso Archipraesulis S. Jacobi de Chile ad pontificalia caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac lubito in illa civitate et archidioecesi obeunda, deputatus fuit R. D. Joachim Larrain Gandarillas ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe S. Jacobi de Chile progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus. Advocati officio cohonestatus et apud patriam universitatem in theologica facultate Decanus adlectus, archiepiscopatus S. Iacobi de Chile a Secretis, dein Vicarius in spiritualibus Generalis, in piis domibus congregationis Sacri Cordis Iesu ac Providentiae Superior, sodalitatis a S. Thoma Cantuariensi, et a S. Vincentio a Paulo nuncupatae Praeses pluresque per annos seminarii archidioecesani Rector effectus est.

Martyropolis urbs Armeniae maioris ad Nymphium fluvium in Mesopotamiae confinio, sub infidelium adhuc iacet potestate; quare miserrimus eius status silentio praeteritur.

Deinde eadem Sanctitas Sua dignata est creare et publicare Cardinales Sanctae Romanae Ecclesiae.

EX ORDINE PRESBYTERORUM.

www.libtool.com.cn

R. P. D. Vincentium Moretti Archiepiscopum Ravennae natum in civitate Urbiventi diei 14 Novembris 1815.

EX ORDINE DIACONORUM.

R. P. D. Antonium Pellegrini, Decanum Clericorum Reverendae Camerae Apostolicae.

Hinc S. Pallii postulatio facta est favore Ecclesiarum Teate et Baltimorae.

Die 31 Decembris 1877.

Sanctissimus hac mane tradidit Pileum rubrum Emis. Cardinalibus Vincentio Moretti Archiepiscopo Ravennae et Antonio Pellegrini, creatis atque publicatis die 28 huius mensis; nec non Emo Cardinali Renato Francisco Regnier Archiepiscopo Cameraci, creato et publicato die 22 Decembris 1873; Emo Cardinali Henrico Eduardo Manning, Archiepiscopo werstmonasteriensi, creato et publicato diei 15 Martii 1875; atque Emo Cardinali Gotifredo Brossais Saint Marc Archiepiscopo Rhedonensi creato et publicato die 19 Septembris 1875.

Deinde Sanctissimus, clauso ore Emis Moretti et Pellegrini, sequentes proposuit Ecclesias:

Ecclesiam Cathedralem Susien; ad quam promotus fuit R. D. Eduardus Rosaz, Presbyter Segusii, Canonicus illius Cathedralis, et Rector Seminarii eiusdem Dioecesis.

Publicatae etiam fuerunt sequentes Ecclesiae; quibus provisum fuit per Breve Apostolicum.

Ecclesia Cathedralis buscoducen: collata fuit R. D. Adriano Goldchak, iam auxiliari illius Episcopi.

Ecclesia Cathedralis Rossen, collata fuit R. D. Guglielmo Fitz Gerale olim Canonico Cloyne.

Ecclesia Episcopalis Antiedonen: *in part. infid.* quae collata fuit R. D. Ludovico Gay, Vicario Generali Pictaviensi, deputato auxiliari illius Episcopi.

Ecclesia Episcopalis Zoaren. *in part. infid.* quae collata fuit, R. D. Claudio Theodoro Obrè, Vicario Generali Bellovacensi, deputato auxiliari illius Episcopi.

Ecclesia Cathedralis Colophonien. *in part. infid;* quae collata fuit R. D. Fideli Dehm e Minoribus Conventualibus, Deputato visitatori Apostolico Moldaviae.

Ecclesia Episcopalis Evarien. *in part. infid,* quae collata fuit R. D. Paulo Quethals e Societate Iesu, constituto Vicario Apostolico Bengalae occidentalis.

Quibus peractis Sanctissimus assignavit titulum S. Sabinae Emo Cardinali Moretti et Diaconiam S. Mariae in Aquiro Emo Cardinali Pellegrini: quibus etiam os aperuit.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

SERVITII CHORALIS

Die 21 Aprilis et 19 Maii 1877.

Per summaria precum

Compendium facti. Prospiciens Ordinarius A. quod in sua Cathedrali Ecclesia aliquid fieret circa chorale servitium minime SS. Canonibus congruum S. Concilii Congregationem adiit atque eidem retulit:

Tempore quadragesimali horae canonicae, vesperis inclusis, mane recitantur; ita ut postridie tantum redeant Canonici in choro, Completorium omnino omittentes. Id peragere posse autumant ex consuetudine, cui Apostolicus Visitator acquieverit. An res veritati nitatur haud quaeram, ait Episcopus; pro certo tamen habeo ita posthabitum fuisse completorium, ut aliquando omitteretur omnino etiam in solemnitatibus; aliquando a Mansionario cum clerico in Choro psallentes, magna cum christifidelium admiratione, persolveretur, deficientibus quoque Ecclesiae clericis; aliquando a duobus recitaretur presbyteris fortuito ibi repertis.

Ordinario Sacra Concilii Congregatio illico rescripsit « *Ubi nullum proferri queat Apostolicae Sedis privilegium Capitulum teneri ad Completorium rite in Choro persolvendum non secus ac alias horas canonicas, idque notificetur Capitulo.* » Quod quum pernosceret Capitulum, scripto ostendere sategit se haud defuisse chorali servitio praestando ad modum, quo usque a tempore longaevo, praestitum fuit. Memoria tamen a Canonicis producta, pro suis tuendis iuribus, occasionem aliis dubiis porrexit, super quibus Ordinarius

EE. Cardinalium attentionem revocavit aiens: « *ad trutinam revocare dignetur S. C. Congregatio quod dicitur in supradicta memoria de hora Matutini, et de non assistentia Missae Feriae et Vigiliarum, nam Canonici non tantum absunt, sed aliquando satis sufficere putant si haec Missa ferialis extra chorum celebretur lecta ab aliquo Mansionario vel altero Sacerdote.* »

www.fbtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Iura Canonicorum. Haud exhibere datum nobis est, aiunt Canonici, integram choralis officiaturae historiam circa phases, quas, cursu temporum ista subierit; attamen ex indubiis documentis compertum est ante C. Tridentinum Canonicis Cathedralis A. tantum incubuisse Missae conventualis atque vesperarum onus; Completorium vero atque diei sequentis matutinum a Mansionariis tantummodo persolutum in choro fuisse.

Anno 1583 Visitator Apostolicus decrevit quod matutinum in posterum mane persolvi deberet. cui interesse canonici deberent; sed non matutino solummodo, verum etiam « *debere aeque ac coeteris horis omnibus et Missae maiori etiam Canonicos interesse.* »

Decem, post id, elapsis annis, illius temporis Ordinarius cupiit ut Matutinum primo mane recitaretur; ast acri exorta lite super id inter Ordinarium et Canonicos, conventum tandem inter eos est, quod matutini signum porrigeretur toto anni tempore hora ante meridiem octava. Et illo in adiuncto ne verbum quidem factum est de onere canonicis imponendo quoad secundam Missam praecipue in Quadragesima et quoad Completorii in Choro recitationem pro tempore quo a completorio vesperae seiunguntur. Pro certo habendum quod praxis istaec duplici fulcitur basi; deliberatione nempe capitulari diei 28 Iunii 1593, qua constitutum est: « *Quod omnes Canonici intervenientes ad Vesperas in diebus ferialibus, etiam intervenire et interesse debeant ad Completorium,*

videlicet in illis completoriis solitis dici et qui dicuntur immediate post Vesperas. » Alia huius praxeos basis in decreto S. C. Concilii anni 1596 invenitur, in quo deliberatio capitularis praecitata ad litteram escribitur et ex quo liquidum fit consuetudinem istam pene tercentos complecti annos.

www.libook.com.cn

Saeculo cum dimidio transacto, alius Ordinarius censuit canonum praescriptionibus haud convenire, inter alia, quod Capitulum completorio tempore quadragesimae non interesset. Verumtamen, concinnatâ, ad id, per Canonicos illius temporis memoriâ in huius consuetudinis tuitione, Episcopus satisfactus tacuit.

Alter sequioris aevi Episcopus s. visitationis tempore memoriae scripto tradidit; canonicos laudabiliter oneri chorali facere satis. et quotidie Missam conventualem pro benefactoribus litare.

Antecessori quoque actualis Ordinarii indecorum visum est tempore Quadragesimae perfici Completorium per tres Mansionarios tantum. Quin tamen Canonicos adesse iuberet, statuit ut adsisterent praedictis Mansionariis quatuor Clerici e Seminario onus habente Choro Cathedralis inserviendi.

Ideoque quum plurimae consuetudines serventur in dicta Cathedrali ex tempore quod Tridentinum praecessit, legum vel privilegiorum instar habendae sunt, et omnino servandae.

Ex officio autem adiectum fuit; sane per immemorabilem consuetudinem plura induci posse quoad officium Chori: ut puta quod soli capellani chorum officient, canant, atque officia exerceant, assistentibus tantum et audientibus Canonicis, Barbosa *ad Concil. Trident. Sess. 24 cap. 12 de Reformat. num. 118 et Canonic. cap. 34 num. 12.* Pariter aliquando consuetudo non improbatur, per quam Canonici diebus feriatis choro non adsistant horis nuncupatis minutis, sed tantum in festivis; praecipue si agatur de Cathedrali valde conspicua, in qua canonicatus conferri solent nobilibus et qualificatis, qui in quamplurimis pietatis

operibus occupati esse solent; adeo ut illorum exemptio in maius Ecclesiae servitium redundaret. Ac caeteroquin in eadem Ecclesia conspicuus haberetur numerus, per quos abunde impleretur onus recitandi integrum officium, Scarfanton. *lucubrat. canon. lib. 2 animadv. tit. 8* adhaerens auctoritati Card. de Luca *de Canon. disc. 11 n. 4 ad finem.* Indubium est enim quod consuetudo legitime introducta novum ius constituit ex *L. Sed ea ff. de legib. relata in canon. consuetudo Dist. 2* « ibi » *ea quae longa consuetudini comprobata sunt, non minus quam ea, quae scripta sunt iura servantur.* » *et cap. cum. Apostolica de his quae, fiunt a praelatis*, ait *Fagnanus* « *Possessio temporis immemorabilis est melior titulus de mundo.* » Itaque usus de quo in themate, utpote a diuturna consuetudine roboratus, reprobari nequit.

EA QUAE PROSTANT ADVERSUS CANONICOS QUOAD COMPLETORIUM. Sancitum est constanti Ecclesiae disciplina Canonicos, praesertim Cathedralium ad integrum quotidie divinum officium recitandum in choro teneri *Clement. prim. de celeb. Miss.* « *omni incuria et negligentia relegata, in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis Ecclesiis horis debitis devote psallatur.* » *Cap. Presbyter. eod. tit.* « *ibi* » *septies in die laudem dixi tibi, qui septenarius numerus a nobis impletur, si matutini* (in quo laudes complectuntur) *Primae, Tertiae, Sextae, Nonae, Vesperae et Completorii tempore nostrae servitutis officia persolvimus* ». Accedit Tridentinum *Sess. 24 de reform. cap. 12* statuens « *Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII decretum quod incipit: Consuetudinem, quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus. Omnes vero divina per se et non per alios substitutos compellantur obire officia. . . . . atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.*»(1). Idem

(1 Benedictus XIV in *Inst. 107. §. 5.* commentario explanat sententias monitionis quam iussu Clementis XI S. Congregatio E. et R. promulgavit quoad

a Benedicto XIV Instit. 107 n. 7 nec non praxi S. Congregationis confirmatur; quae eiusmodi constantem Ecclesiae disciplinam universaliter provocare atque eius fidelem sedulamque observantiam urgere omni in adiuncto curavit, ut videre quis potest in *Grossetan. 22 Novem. 1856, Hieracen. 12 Martii 1660, Burgen. anno 1573.*

www.libool.com.cn

Quapropter eiusmodi consuetudinem non persolvendi completorium, quamvis immemorabilem, haud esse servandam videretur; utpote quae potius censenda sit abusus et corruptela ecclesiasticae disciplinae. Scarfantonius enim ait Tom. I. pag. 149 n. 17 editio Lucae 1723 « *Non solum tenentur canonici vi sui muneris psallere in choro, sed etiam omnibus horis divini officii interesse, sub cuius nomine continentur septem horae. . . . ; ita ut non valeat consuetudo ut Canonici solum intersint horis maioribus, et pro reliquis non sint assignatae distributiones. Et hinc S. C. Concil. in Novariensi anno 1660 improbavit consuetudinem iamdiu receptam in Ecclesia Cathedrali Novariensi et canonizatam per Legatum Apostolicum, iuxta quam Canonici dictae Ecclesiae interessendo tantummodo matutino, laudibus, Missae et vesperis lucrabantur omnes distributiones.* »

Quoad quaestionem circa alteram Missam, quae in Feriis praeter Missam de Sancto iniungitur, et cui autumant Canonici sastisfacere, si ab aliquo mansionario extra chorum legatur, notare libet *Cap. cum Creatura de celeb. Miss.*

recitationem Divini officii recte persolvendam » Canonicis. Eamdem liceat nobis per singula verba canonicis meditandam proponere quoniam ipse Bened. XIV. nil commendabilius invenisse fatetur hac super re. « Jubet Sanctitas » Sua ut plurimum commendes Canonicis » Beneficiarii mansionariis, Capellanis, » Clericis, aliisque choro inservientibus, » tum in ipsa Cathedrali, tum in Collegiatis tuae Dioecesis, commendes » inquam gravissimum onus, quod illis » praescribitur, dum in chorum conveniunt, nempe ut modestiam et silentium decenter in eo loco praeseferant, » quemadmodum illos decet maxime qui » ante conspectum maiestatis Divinae » versantur; ut psallant magno pietatis » studio, vocibus apte comparatis, haud » festinanter, nullisque precisis vocabulis; ita ut pars chori haud cancre » incipiat, cum pars altera cantum nondum absolvit; ut hac ratione populus intelligat divinas laudes, et ad » pietatem, ac religionem ex ipsarum » cantu moveatur.»

praecipere omnibus Canonicis, quatenus nullum in eos torporem negligentiae obrepere permitterent, et pro *Anniversariis defunctorum et pro Festo vel Feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia conventualiter celebrarent.* » Pariter Missalis Romani rubricae in *tit. de Feria* et Vigilia praescribunt ut in Feriis Quadragesimae, aliisque per annum si festum aliquod occurrat, celebrentur in Cathedralibus et Collegiatis duae Missae cum cantu, una de festo post Tertiam et alia de feria post Nonam: has rubricas confirmavit S. Pius V. *Const. Quo primum*, et quia contraria consuetudine sensim obsoleverat, propterea Urbanus VIII. *Const. Si quid est* eas ad primaevam observantiam revocavit: et Bened. XIV *Const. Cum semper oblatas* §. *20* exacte observari praecipit, illarumque custodiam Ordinariis locorum commendavit his verbis. « Non modo Ecclesiis Patriarcalibus » Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis iniunctum re» peritur ut quotidie Missa Conventualis in iisdem canatur, » sed etiam in Rubricis generalibus, quarum exactissimam » Fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescri» bitur ut certis diebus non una, sed binae atque etiam ali» quando tres Missae Conventuales uno die celebrentur. » Imo S. C. Rituum renovando alias edita decreta ex oraculo S. Pontificis Rubricas Missalis Romani servari in omnibus et per omnia mandavit, non obstante quocumque praetextu et contraria consuetudine, quam abusum esse declarat. Fagnan. *in comment. ad cap. cum creatura de celeb. Miss.;* quam reiterationem Missarum solemnium eodem die esse de praecepto, neque omitti posse absque culpa peccati mortalis docet cum aliis Clericatus *de Sacrif. Missae decis. 3 n. 13.*

Verumtamen iuxta subeunte causa exempta esse Capitula ab hoc onere definivit *S. Cong. C. in Placentina 30 Iulii 1785 et in Setina Chori et Missae conventualis 21 Ianuarii 1786.* Iamvero eiusmodi legitimam causam in casu de quo agitur interfuisse praesumi potest, cum centenaria secumferat praesumptionem melioris tituli, ceu passim tradit S. Rota.

Quoad postulatum Episcopi circa matutini horam, quate-

nus nimis protracta videatur, memoria remeandum primis Ecclesiae saeculis consuevisse, christifideles quater in nocte surgere ad orationem peragendam. Quamvis nunc frigescente charitatis ardore id obtineri nequeat; non tamen a pristina Ecclesiae disciplina ita recedendum est, ut penitus ipsius memoria obliterata videatur, quum clarus sit in hac re textus *c. 1 de celeb. Miss.* qui sic se habet: *Presbyter mane matutinali officio expleto pensum servitutis suae videlicet primam, tertiam, sextam, nonam, vespera persolvit horis competentibus.* » *Clement.* vero prima *eod. tit. de cel. Miss.* sancitur ut ad quos pertinet, sollicitam curent adhibere diligentiam ut *omni incuria ac negligentia relegata, in Cathedralibus, Regularibus et Collegiatis Ecclesiae horis debitis psallatur.*» Quum vero eam partem noctis, quae ad auroram pertingit mediae noctis spatio contineri docuerit S. Thomas *in 3 part. quaest. 51 Art. 4 ad Secundam,* hinc hora debita matutini est summo mane, et quidem S. Carolus Borromaeus in Concilio primo Mediolanensi statuit « *Matutinum officium vel media nocte, vel saltem eo tempore instituatur ut sub ortum solis absolutum sit.* » Rationem harum Ecclesiae dispositionum reddit Schmalzgrueber *Tom. III part. V. Tit. 41 de Celeb. Miss.* his verbis: « quia alias » sequeretur manifesta indecentia, plura enim psalmorum, » hymnorum, et orationum verba mentionem faciunt certo- » rum temporum ex. gr. noctis, aurorae quae si alienis tem- » poribus usurpentur minus conveniunt. »

Haud vero obliterandum est pluries S. Congregationem disciplinae rigorem temperasse, et Episcoporum arbitrio reliquisse ut aliquando quoad horam recitationis Matutini dispensarent ob hyemis rigorem, aeris intemperiem, aut propter inolitam consuetudinem, vel ob aliam honestam causam. Braschius *in prompt. Syn. cap. 86 num. 18 et seq.* cui adhaesit Benedict. XIV *Const. 107 num. 22.* Et S. C. Concilii in *Asculana 16 Septembris 1606* decrevit Canonicos qui solebant cantare Matutinum una hora post ortum solis non esse cogendos ut illud ante ortum solis cantent. Qua-

propter in casu de quo agitur haud innovanda videretur hora matutino assignata ex conventione inita anno 1593 inter Ordinarium et Canonicos, usuque annorum fere tercentum roborata.

www.libtool.com.cn

Quibus in utramque partem deductis Eminentissimorum iudicio remissum fuit perpendere quonam responso preces Episcopi A. essent dimittendae.

Resolutio. Sacra C. Congr. sub die 19 Maii 1877. causa discussa, censuit respondere: *Quoad Completorium iuxta exposita Capitulum teneri; quoad praesentiam Missae de Vigilia vel Feria provisum per resolutionem* (1) *diei 17 Septembris 1814; quo vero ad horam recitandi matutinum nihil esse innovandum.*

Ex quibus colliges. I. Canonicos teneri vi sui muneris non solum in choro psallere, sed etiam omnibus divini officii horis, quae septem sunt, interesse.

II. Abusum censeri quamlibet consuetudinem, qua fieret, ut Canonici tantum adessent in choro aliquibus divini officii horis, cunctasque lucrarentur distributiones.

III. Nam scitum est Tridentinum *Sess. 24 cap. 12 de ref.* praestituisse, quod, non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, distributiones reciperentur tantum ab illis, qui statis horis interfuerint, reliqui eisdem distributionibus carere deberent, exclusa quavis collusione aut remissione.

IV. In themate igitur canonicos obstringi Completorio adesse etiam illis diebus, quibus ante meridiem vesperae persolvuntur; haud vero teneri ad praesentiam Missae de Vigilia vel Feria, neque ad horam matutini immutandam (2).

(1) Sub die 17 Septembris 1814 dubium proponebatur Sacrae C. Congregationi « *An Canonici Cathedralis A. exempti sint ab interventu Missis in diebus ferialibus ex rubrica post Missam Conventualem praescriptis in casu.* » Cui dubio S. C. C. respondit: *In casu de quo agitur non esse eximendos.*»

(2) Cito dabimus Appendicem quoad obligationem quam inducunt S. Congregationis Concilii resolutiones.

www.libtool.com.cn

Die 21 Aprilis et 25 Augusti 1877.

COMPENDIUM FACTI. Ioannes Z. qui iam annos expleverat 37 et Theresia F. quae annos nata erat 22, ambo e Dioecesi B. die 27 Novembris 1874 matrimonium inierunt nulla alia de causa quam mutuo amore compulsi.

Attamen rei uxoriae operam dare conantes, quum thalamum coniugalem ingressi fuerint, copula in irritum cessit. Haud animo deiecti a vanis primae noctis conaminibus, pluries, successivis diebus, carnalis coniunctio ab eisdem pertentata fuit. Omnes sed vero conatus semper frustrati sunt. Quare post integram hebdomadam a celebratis nuptiis, pater mulieris rem proprio Parocho detulit, qui ad Curiam Episcopalem recursum habuit exponens: Teresiam F. separationem perpetuam expostulare a Joanne Z. utpote qui ad debitum coniugale impotens esset.

Curia Episcopalis curavit ut per medicos ad id deputatos, inspectio fieret, praevio iuramento, super utriusque coniugis corpore, qui iurati die 10 Aprilis 1875 declararunt, Joannem Z. ineptum esse ad officia matrimonialia praestanda.

E domo paterna mulieris interea fuit vir expulsus, postquam inutiliter Parochus pertentaverit ut coniugum animi reconciliarentur. Tunc Curia Episcopalis sacr[illegible] adiit Poenitentiariae Tribunal; a quo, responso accepto *non spectare*, ad S. Concilii Congregationem recursum habuit.

Sacra haec Congregatio Ordinario demandavit ut non solum nomen et cognomen coniugum exprimerentur, verum etiam ut transmitteret formalem petitionem uxoris; simulque referret de antecedentibus, concomitantibus et consequentibus matrimonii celebrationem, et praesertim quanto tempore a

dicta celebratione mulier una cum viro cohabitaverit, nec non de aliis omnibus ad rem facientibus. Quibus rebus confectis, iussum fuit eidem Episcopo ut institueretur processus ad formam *Benedictinae Constitutionis*, ad S. C. dein transmittendus.

Ex confectis tabulis processualibus eruitur coniuges iurisiurandi religione declarasse, se numquam matrimonium consummasse ex impotentia viri; quod confirmarunt testes septimae manus (1) utrinque inducti. Coniugibus et testibus auditis, ad mulieris inspectionem deveniendum erat; sed retulit mulier sese ab alio amasio seductam et violatam fuisse post separationem a Ioanne factam. Hinc opus fuit relationem habere peritorum, qui eam extraiudicialiter, ordine Episcopi, uti innuimus, inspexerunt, quique retulerunt matrimonium haud consummatum fuisse; idque erui tum ex virili impotentia, tum quia genitales mulieris partes intactae repertae fuerint, tempore nempe quo nondum alius amasius eam amore prosequebatur.

Tres deinde deputati fuerunt periti ad inspectionem viri; quorum primus retulit: partes viri genitales integras esse, proinde ad coitum aptas, nullumque adesse signum absolutae impotentiae; ita ut *a priori* censeri possit aptum copulae esse, nisi adsint specialia adiuncta. Quapropter non obstantibus exili viri constitutione, atque magna hernia, quae copulam minus facilem reddere possunt, tamen perpetua impotentia omnino excluditur. Secundus peritus medicus admittit impotentiam transitoriam et temporaneam excludens tamen impotentiam absolutam. Tertius vero admittit partes viri genitales haud aliquam praeseferre laesionem, qua ad coitum impotens

(1) Ad evincendum impotentiae impedimentum, praeter coniugum iuratam depositionem, quaeritur etiam iurata depositio *septimae manus*, id est septem propinquorum ex utroque latere. Eiusmodi testes, qui simul collecti quatuordecim sunt, possunt esse respectivae parti sanguine vel affinitate coniuncti, aut etiam vicini bonae famae. Coniuges de veritate, hoc est de certa scientia iurare debent, propinqui de credulitate; se nimirum credere, quod coniuges bona fide et absque dolo matrimonium consummare decreverint, sed id facere ne quiverint.

declarari debeat. Hoc nonobstante, maximam adesse probabilitatem numquam ad coitum aptum fuisse. Completis itaque actis processualibus res Sacratissimo Principi delata fuit; qui attenta coniugum paupertate, mandavit ut causa oeconomice pertractaretur cum voto Theologi et Canonistae una cum animadversionibus Defensoris ex officio, quorum deductionum summam damus.

www.libtool.com.cn

Votum Canonistae. Priusquam quaestionem aggrederetur Canonista opportunum censuit observare quod amor intensus, quo sese invicem prosequebantur coniuges, defervescere coeperit, cum aliquis de viri impotentia rumor ad mulieris aures pervenerit. Et animi aegritudinem in mulierem cessavisse quum vir autumaverit eidem se matrimonii actum conficere posse. Famam eiusmodi ad Parochi aures quoque pervenisse; qui cum rescivisset viri impotentiam herniae morbo tribui, ulterius non processit, hoc nihili faciendum esse ducens. Praemisit quoque idem Canonista acta processualia in pluribus defecisse; et praecipue quia mulier praesente viro interrogata fuerit. (1) Tum quia nulla facta fuerit interrogatio patri mulieris de filiae querelis paucos post dies a celebrato connubio; tum quia nihil inquisitum circa reditum Ioannis, et cohabitationem per paucos dies in eadem domo post factum separationis. Imo nec Parochus loci vocatus ex

(1) Sacra Concilii Congregatio sub die 22 Augusti 1840 instructionem edidit pro confectione processus in causis matrimonialibus; quosque relata fuit Vol. I pag. 439 harum ephemeridum. Ex simplici enim lectura huius instructionis eruitur quod coniuges seorsim interrogandi sint, minime vero coniunctim. « Cum itaque (legitur in ea) advenerit statuta dies pars nullitatem » Matrimonii allegans comparebit, ut » supra dictum, coram Iudice, adstante » Defensore Matrimonii et Cancellario. » Iudex deferet parti examinandae iu» ramentum de veritate dicenda..... Expleto examine illius coniugis, qui au» ctor fuit in promovenda nullitatis » querela, sequitur examen alterius » coniugis, quod erit conficiendum iis» dem prorsus methodo ac lege quae » praescriptae fuerint in praecedenti» bus paragraphis, ac sub iisdem inter» rogatoriis actori propositis, vel aliis » additis, vel novis confectis, prout De» fensor Matrimonii in Domino censue» rit. » Hanc instructionem, quoad processus matrimoniales, praecesserat Constitutio Benedicti XIV, quae relata est Vol. IV. pag. 346 huius operis.

officio fuit, nullum verbum de usu balnei (1) in inspectione extraiudiciali super corpore mulieris; neque uti testis ex officio inductus vir, cum quo Theresia rem habuit, neque ulla investigatio de huius praesentia et tempore habitationis in domo mulieris.

www.hbtool.com.cn

His praemissis, sibi visum est questionem posse enodari tum sequutus viam *iustitiae* evincens matrimonii nullitatem, tum eligens viam *gratiae* idest dispensationem petens. Secundam praetulit viam, utpote faciliorem, duxitque consilium esse dandum SSmo: pro dispensatione matrimonii rati et non consummati. Quamobrem ut finem optatum securius pertingeret ostendere conatus est eiusmodi matrimonium ratum tantummodo fuisse et non consummatum; et causas adfuisse legitimas, quae gratiam esse concedendam suaderent.

Iudices, ait ille, opus habent ad recte iudicandum, morali certitudine; quae in eorum animis gigni potest, quoad non consummationem matrimonii, per coniugum iuramentum, et per iuratum *septimae manus* testimonium. *In cap. 1. de frigidis et malef.* habetur: *Si mulier post mensem aut duos ad Episcopum aut eius missum proclamaverit dicens volo esse mater, volo filios procreare, et ideo maritum accepi, sed vir quem accepi frigidae naturae est... si probari potest per rectum iudicium, separare potestis, et illa si vult nubat in Domino.* Quid significent illa verba *probari per*

(1) « Procedendum etiam erit (prosequitur Instructio citata) ad inspectionem corporis mulieris. Iudex, ut supra dictum est de Peritis, tres saltem Obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis uno Medico, et altero Chirurgo, ut supra seligendis, sedulo erunt instruendae de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. Statuta autem huius inspectionis die, mulier erit traducenda ad domum honestae matronae pariter a Iudice deputandae, pro infrascripta praestanda personali adsistentia, atque adstantibus semper tribus Obstetricibus, et Matrona, immergenda erit in balneo aquae tepentis a Peritis prius recognoscendo, quod sit aquae purae, quo in balneo per spatium saltem trium quadrantium horae unius permanere debebit; quo tempore transacto, astantibus semper et praesentibus Matrona et Obstetricibus, statim ne ullum spatium, aut momentum temporis mulieri detur, quo ad artandum vas ullo medicamento, aut aliqua fraude, uti queat, ad ipsius corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit, adstante semper et praesente matrona..... »

rectum iudicium explicat Glossa *verb. probari* « ibi » *nisi quod asserunt probaverint cum septima manu propinquorum*... Explicat Coelestinus III in *cap. 4 eod. tit.* « ibi » At vero si *quod numquam se invicem cognoverint ambo fateantur cum septima manu propinquorum vel viciniorum bonae famae (si propinqui defuerint) tactis sacrosanctis Evangeliis, uterque iureiurando dicat, quod numquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod valeant ad secundas nuptias convolare.* »

www.ibtool.com.cn

Neque obliviscendum SS. Congregationum consuetudinem canonum praescriptiones confirmare. Plura enim adsunt exempla, quibus ostenditur S. Poenitentiariam, sola iurata supplicantium depositione, elargitam esse dispensationem teste Corrado *in praxi dispensat. Apostol. lib. 8 cap. 7 num. 36.* Et in facto est quod S. Concilii C. dispensaverit, quamvis de integritate mulieris nec de viri potentia constaverit. Locum exempli tenet *Budigalen. dispensationis diei 26 Febr. 1822* in qua, etsi inspectio mulieris utiliter haberi nequiverit, quia cum extraneo rem habuerat, ab eoque liberos susceperat, attamen S. C. Congr. quae in prima causae propositione dispensationem denegaverat, propter viri reluctantiam ad examen subeundum; tandem habita viri nec non adulteri depositione, sub die 16 Aprilis 1825 rescripsit praevio recessu a decisis consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati. Iure meritoque id factum fuisse notat Sanchez *de matrimonio lib. 7 disp. 108 n. 16;* nam si secus esset viduis denegaretur hoc remedium atque moralis certitudo exurgeret a fallaci et periculoso probationum genere ex virginitatis signis exurgente, quae obstetricum et peritorum manus saepe fallunt ceu sacri canones aperte perhibent.

Praeter iuratam coniugum confessionem seorsim factam, et testimonium septimae manus iuramento roboratum, adsunt in casu alia adminicula, quae moralem pariunt certitudinem de non consummatione: prout sunt confessiones extraiudiciales a coniugibus emissae ante separationem duobus testibus; conclamationes mulieris paucos post dies a matrimonii celebra-

tione, et recursus ad Parochum; confessio viri eidem Parocho facta; malae suggestiones uxori a viro propositae ad vitam communem agendam (permiserat eidem ut aliquando etiam cum alio rem habere posset, dummodo separationem haud peteret); factum separationis ob viri ineptitudinem ad copulam; et eiusdem dispositio ad uxorem revertendi ceu rogatus affirmavit. Quae omnia attente ponderata duo revelant, idest nec matrimonium consummatum fuisse, nec coniugum collusionem extitisse.

www.libtool.com.cn

Haec sufficere possent ad inconsummationem matrimonii probandam; sed accedit quoque inspectio mulieris per viros peritos facta iussu Ordinarii post paucos dies a separatione coniugum; ex qua constitit nullum adfuisse dubium de copula non habita. Adest et hernia, a qua, ex viri confessione, magna parabatur eidem difficultas ad actum perficiendum. Dolor enim ab hernia partus in momento conatus copulae carnalis ita augebatur, ut vir ab eodem victus desistere cogeretur.

Insuper ex quinque peritis viris tres concordes perpetuam viri impotentiam admiserunt; ideoque haud probandum manet quod Theresia ab alio violata fuerit, dum vir ex impotentia eam cognoscere nequiverit. Neque officit quod vir in interrogatoriis 8 Martii 1876 retulerit se non longe ab habitatione mulieris moram traxisse duobus aut tribus mensibus; eo quod testes et Episcopus contrarium perhibent. Ideoque vel erravit aut omnibus ignotus vitam duxit in agris qui huc illuc dispersos complectuntur pagos. Ceterum quidquid sit, vir idem, cuius intererat matrimonium consummare, fassus est se numquam cum Theresia illud consummavisse.

Ad causas dispensationis transiens, ait Canonista, unam ex pluribus quae numerantur, sufficere ut Pontifex, ea qua pollet auctoritate, matrimonium ratum dirimere possit. Inter has causas impotentia cooptatur ne mulier invita ad coelibatum perpetuo servandum cogatur, quod ius non patitur, Ursaya *tom. 3 discept. 21 part. 2 n. 22.* Cum vero adstruitur impotentia viri pro causa gratiosae dispensationis, haud exigitur certa et concludens probatio, sed satis est quod

dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit et ad gratiam moveri Conscius *de separat. tori lib. 2 cap. 2 n. 386, Card. De Luca discept. 7 n. 7, de matrim. S. C. C. Neapolitana matrimonii 2 Martii 1871.*

Altera causa est timor atque periculum futuri scandali et fornicationis, et a fortiori iam existentis, cui ut occurratur, in matrimonio rato dispensari posse communis est Theologorum et Canonistarum sententia, unde Conscius *de separat. lib. 3 cap. 2 n. 107* « *Non est expectandum ut veniant scandala ad praestandum remedium: sed cum praevidentur sive timentur, ad paternum supremi Ecclesiae moderatoris officium spectat imminentibus malis opportune providere.* »

Ast agitur in themate de muliere in iuvenili aetate constituta; in qua. teste Ordinario, magna *pronitas* ad actus coniugales videtur, et ideo magnum periculum iterum in peccatum prolabendi. Quibus si addas separationem iamdiu inter coniuges expletam, nec non renuentiam uxoris ad suum virum revertendi, facile erues causas adstare ad dispensationem concedendam.

Votum Theologi. Etiam Theologus censuit ad definiendam eiusmodi quaestionem ineundam fuisse viam faciliorem, nempe ut peteretur a SSmo Patre solutio matrimonii rati et non consummati; aliam relinquens viam qua evinci posset matrimonii nullitas propter viri impotentiam. Quod autem in casu matrimonium haud consummatum fuerit, probat prius utriusque coniugis iurata confessio; quae a quavis collusione immunis videtur. Nam statim proclamata fuit a Theresia impotentia viri, et ambo coram Iudice ultro fassi sunt, quod ante exortam controversiam sese ad invicem mutua benevolentia et amore prosequuti fuerint. His adiungitur septimae manus propinquorum de non consummato matrimonio testimonium. Quae si non valerent ad peremptoriam impotentiae probationem, non consummationem tamen initi matrimonii satis demonstrare tradit ipse Sanchez de matrimonio *lib. VII*

Disp. 108 n. 6, 7 et ib. n. 22 ubi quae pridem disputaverat repetens inquit. « Quando fatetur uterque (coniux) impotentiam et transactum est triennium, satis est ad matrimonium dissolvendum, ut iurent coniuges cum septima propinquorum manu, nec opus est aspectu ». Et in Melevitana Dispensationis 7 Februarii 1789 « Iuramentum accedit coniugum, septimaque propinquorum manus quae in extraordinaria praesertim cognitione dispensationis a matrimonio rato et non consummato probant, » ut Perez *de matrim. Disp. 37 tit. 11 n. 7.*

Memoria etiam revocandum Medicos extraiudiciales deputatos retulisse integram fuisse repertam mulierem, et matrimonium nequivisse consummari ob viri impotentiam. Quae extraiudicialis depositio iurata, et rursus coram iudice confirmata ab eisdem sufficit ad ostendendam matrimonii non consummationem. Nam in Corduben. *dispensationis 20 Septembris 1760 n. 4. « Probationemque non consummationis leviorem exigi pro gratia dispensationis, quam pro nullitate per viam iustitiae declaranda; Ursaya discept. Eccles. tom. 3 part. 2 dispens. 20 n. 130; immo extraiudicialem requisitam fuisse in Ianuen. Dispensationis definita 27 Ianuarii 1720 lib. 70 Decret. pag. 23. »*

Adfuisse iustas causas ad dispensationem petendam edisseruit Theologus. Nam si ex Sanchez *de matrimonio lib. 2 Disp. 16 num. 6* iusta causa petendae a Romano Pontifice et concedendae dispensationis in matrimonio rato, est impotentia superveniens ante matrimonium consummatum, quia cessat tunc matrimonii finis, multo maior aut saltem aequa ratio aderit obtinendae dispensationis in casu impotentiae, quae ut in praesens matrimonium ipsum praecessit.

Alteram causam dispensationis conferendae Sanchez *l. c. n. 3* refert gravem timorem magni scandali futuri; ceu in casu evenire posset tum propter adversionem erga virum, tum propter Theresiae pronitatem ad actus coniugales.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII. Tertullianus refert, ait Defensor, quod talis fuerit antiquorum Romanorum

pudor, ut per quinque saecula nullum vidit Roma divortium. Neque christiana Societas, castis imbuta moribus per saecula duodecim divortium conspexit ullum, quamvis vitio absolutae atque perpetuae impotentiae infectus vir existeret. Nam Lucius III anno 1181 hac super re interrogatus in *Cap. 4 de frigid. et malef.* respondit: « *Consultationi tuae, qua nos consuluisti, utrum Foeminae clausae, impotentes commisceri maribus matrimonium possint contrahere? et si contraxerint, an debeant rescindi? taliter respondemus, quod licet incredibile videatur, quod aliquis cum talibus contrahat matrimonium, Romana tamen Ecclesia consuevit in consimilibus iudicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* »

Tanta adhuc erat puritas matrimonii, ut neque per iustum divortium intemerata ipsius indissolubilitatis sanctitas imminueretur. Attamen Honorius III anno 1220, urgentibus mulierum clamoribus, divortium permisit, plurimis praemissis cautelis ac praesertim nonnisi post triennium continuum maritalis cohabitationis, ne ullatenus dolus ac praesumptio mulieris insolesceret, *Cap. 7. de frig. et malef.* Unde per subsequens septem saeculorum spatium mulieres coercitae fuere Honorii cautelis. Praecipuam ex iis cautelis excutere nunc conantur mulieres hisce nostris temporibus; neque scriptores desunt qui vel malitia vel specie recti decepti triennalem cohabitationem omnino damnent: per quam Pontifices Romani per septem saecula intemeratam matrimonii indissolubilitatem conservare valuerunt. Ast nunc, quis crederet ex maioribus nostris? *septem diebus* post initum matrimonium, mulier coram Parocho clamat: Vir meus impotentiae vitio laborat, peto igitur divortium!

Quam mulieris pervicaciam, si uti decet et uti prudentia vestra solet, ponderabitis EE. PP. petitionem eiusdem omnino esse reiiciendam a Vobis iudicium proferetur. Nam excusso experimento triennalis cohabitationis, septimae propinquorum manus credulitas semper ex se paucam habuit vim, in casu nullam omnino habet. Quia haec Propinquorum manus veluti

passerum agmen coram Iudice sistit: qui in multis defecit dum tabulas processuales conficeret. Dum e contra sacri canones multas innuant esse adhibendas cautelas ne coniuges inconsummationes *confiterentur in fraudem*. Ast quam meretur fidem mulier ista, quae effrons paucos post dies a sequuto matrimonio virum impotentiae accusat! Neque Ioannis confessio prodest aliquid; nam si confessio ipsius vim habere posset ad excludendam Matrimonii consummationem, multo magis vim habere deberet eiusdem confessio; qua ante matrimonium professus est se aptum esse ad matrimonii opus perficiendum.

Quidquid autem fuerit, ait Defensor, manifestam adesse coniugum collusionem quisquis videt; nam frustra querelas eorum audire contenderes, cum uterque in unum pacifice conspiret, ut scilicet matrimonium dissolvatur. Quam sane collusionem luculentius ostendunt inspectiones plurium in arte peritorum, qui potentia coeundi praeditum unanimiter Ioannem conclamant, excepto uno qui falsae narrationi Ioannis nimis indulsit.

Concludens ideo dici potest; in muliere virginitas deest; in homine coeundi facultas agnoscitur; ergo quomodo sine corporis integritate dispensationem a matrimonio praetenso rato et non consummato petit mulier, cum vir iam potentia coeundi polleat, ac pluries simul opus coniugii expleverit? Quapropter si ianua iudiciorum aperiatur tantummodo ad disquirendas eiusmodi petitiones, de ipsa matrimonii sanctitate actum esset. Ideoque EE. PP. reiicite, enixe adprecor, mulieris petitionem: quum neque basim offerat ad iudicium initiandum, carens iam integritate corporis.

Praeterea, addebat Defensor, etiam causas dispensationis omnino deesse. Nam Iudex super eiusmodi causis neque mulierem neque virum, neque septimam manum requisivit. Qua de re impossibile est quod causa disquiratur aut definiatur dum acta processualia ita in substantialibus deficiant ut nec umbram processus exhibeant.

Quibus hinc inde notatis dirimenda proposita fuere

Dubia

An constet de nullitate matrimonii in casu.

Et quatenus negative

www.libtool.com.cn

An consulendum SSmo: pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

Resolutio. Sacra Concilii Congr. causam disceptavit sub die 21 Aprilis 1877, atque respondere censuit.

Ad primum providebitur in secundo.

Ad secundum: praevia sanatione actorum, affirmative.

Causae prosequutio. Novo posthac indicto experimento, dum restauranda discussio aggrederetur Ordinarius B. per litteras edocuit; quod mulier gravida effecta esset ex illo iuvene cum quo ipsa carnale commercium habuerat post separationem a marito, atque exinde ipsius Pater, ne in periculum eadem versaretur fore ab illo deserendam, dum ipse in Galliam artis suae operam exerciturus proficiscebatur, matrimonium, quod aiunt civile, die 26 Novembris anni 1876 ab iisdem contrahi studuit (1).

Novae animadversiones defensoris matrimonii. Votis Canonistae et Theologi bene perpensis, necnon si probe explorentur acta processualia, non aliam, aiebat defensor, reperire dissolutionis causam datum est, quam viri impotentiam. Quid vero si istiusmodi impotentia in una dumtaxat ac simplici coeundi difficultate, alioquin facile reparabili, cohibeatur? Iam ferme contrariae petitionis excutitur fundamentum. Non est quidem in reconditis naturae legibus, quod impotentiae, quae Ioanni obiicitur, perquirenda sit origo, cum ex eiusdem confessione, atque ex peritorum iudicio ab omni procul dubitatione evincatur eiusmodi iuvenem a coitu fuisse praepeditum ob relaxationem herniae, qua laborat. Eidem consonant periti phisici; nam or-

(1) Per S. C. Congregationem mox demandatum fuit Episcopo ut eosdem, de more, seiungere curaret; qui respondit quod iuvenis eo ipso tempore Galliam petierat, non inde reversurus nisi cum aliis operariis hyemali, ut assolent, adveniente tempore.

ganica imperfectio, qua vere Ioannes ob herniam laborat, non adeo perniciosae ac malignae indolis est ut et eumdem reddat absolute impotentem ad copulam, et momentaneum impedimentum, quod ex eodem consurgit, salutaris artis remedii omnino faciat rebelle. E contra post accuratam trium Medicorum inspectionem in eiusdem corpore initam, potentia illius ad consummationem matrimonii ex physica eiusdem constitutione invicte comprobatur. Quapropter, ceu innuimus, huiusce impotentiae causa praecognita est. Non est tamen incurabilis, non perpetua, cum ex relaxatione herniae atque ex consequenti acerbitate doloris dependeat. Verbis explicatis eamdem adaperuit Ioannes quum Iudici interroganti sub iuramenti fide respondisset: quum herniae cincturam tollere mihi opus esset ad actum coniugalem perficiendum, intestina in scrotum descendebant, doloremque talem mihi afferebant, ut continuare nequirem. Aliam insuper causam ex hac ipsa imperfectione derivatam idem Ioannes manifestavit medico, verecundiam nimirum et confusionem, qua afficiebatur in actu copulae. Est igitur hernia quae principaliter copulae obstitit; ex ea provenit impotentia, quae impatienti mulieri praetextum suppeditat ad inviolabile matrimonii vinculum confringendum.

Scriptores medicinae forensis passim docent quod eiusmodi incommodum, quod aliunde frequentissimum est, tunc cum opportunis ligamentis continetur, nullatenus impedire queat carnalem copulam.

Ast neque praetereundum quod hoc ipsum obstaculum maxima ex parte ex facto et culpa mulieris reddebatur magis arduum, ceu colligitur ex depositione unius ex medicis deputatis, qui nedum physicam Ioannis constitutionem, sed et morales etiam causas carnali copulae obsistentes intime studuit perscrutari. Erudite de hoc Zacchias *quaest. medic. legal. lib. 3 tit. 1 qu. 1 n. 17.* » ibi « *Potest insuper mulier in causa esse ut vir minime coire possit si tetrum odorem spiret, si munditiis minus studeat, si maritus sentiat se ab ea contemni, et ipsam ab eo averso esse animo. Et hae sunt omnes aut insigniores saltem causae, quae coitus im-*

potentiam in viro excitare possunt, quarum omnium idcirco hic meminisse operae pretium est, ut sciamus quaenam amoveri aliquo modo possint, quae non. Hoc enim plurimi iurisconsulti interest scire, cum ubi impotentia coitus ope medica reparari possit, matrimonium non dirimatur. »

www.libtool.com.cn

Ex hucusque ergo demonstratis impotentia coeundi in Ioanne penitus explosa est, et nullo alio quam temporaneo ac reparabili impedimento detecto, tametsi nullam huiusque matrimonii intercessisse consummationem admittatur, istud nihilominus semper integrum, atque certissimum ius permanet in favorem Ioannis, quod congruum tempus eidem tribuatur, ut transitoriae ineptitudinis medelam suppeditet, et carnalis copulae novam ineat experientiam. Hoc profecto sacramenti religio suadet, hoc matrimonialis contractus exigit natura, hoc sacrorum canonum inculcat auctoritas.

Adeo religiose atque firmiter S. Mater Ecclesia inviolabilitatem matrimonii, utut tantummodo rati, semper custodivit, ut quantumvis aliquando post per experimentum consummationis multos per annos inutiliter pertentatum, accedente etiam iuramento coniugum et propinquorum inconsummationem affirmantium, divortii sententia fuisset prolata, ac coniux potens ad secunda vota pertransisset, nihilominus si ex commixtione cum alio viro foemina deinceps potens apparuerit, ad *priora connubia* uterque coniux redire cogebatur ; ita Textus in *cap. laudabilem 5, atque in cap. fraternitatis de frigid. et malefic.*

Inviolabilitati matrimonii, quatenus est sacramentum, adiungitur etiam ius ex eodem matrimonio, tamquam ex contracta, Ioanni in casu quaesitum ad propriam idoneitatem iuxta canonicas sanctiones atque Ecclesiae disciplinam experiendam. Coniugalis societas, suapte natura, ad eum tendit finem, ut pro conservatione generis humani procreetur soboles ; unde divina ordinatio per Apostolum Paulum expressa in *Ep. 1. Cor. cap. 7.* » ibi « *mulier sui corporis potestatem non habet sed vir. Similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet sed mulier.* » Est nimirum *dominium*, quod uterque con-

iux in alterum acquirit; est ius petendi atque obligatio reddendi debitum coniugale tamquam de re sua, ad invicem assurgens. Sanchez de matrim. *lib 9 disp. 2 n. 8* » ibi « Vinculum coniugale suapte natura eo tendit, ut proles generetur speciesque conservetur, quod obtineri nequit absque » iure petendi et obligatione reddendi debitum. Sicut enim in » executione minime potest esse proles absque actuali copula, » ita nec in vinculo coniugali potest esse ordo efficax ad talem generationem sine iure petendi, obligationemque reddendi. Insuper quia matrimonium transfert *dominium mutuum corporum coniugum; ex dominio autem consurgit » ius utendi de re sua, et obligatio ipsam reddendi domino » petenti.* »

www.libtool.com.cn

Ast dominium, ius utendi de re sua, ius repetendi debitum coniugale concipi nequit sine iure ac facultate illa omnia media adhibendi, quae ad eumdem finem perducunt; concipi nequit sine iure et facultate obstacula omnia removendi, quae eiusdem finis assecutioni adversantur; concipi tandem nequit sine iurium omnium ac facultatum subsidio, quibus et lex naturae, et ecclesiasticae sanctiones contractum et Sacramentum matrimonii pro respectivis finibus consequendis corroborant. Hinc porro cohabitatio, condormitio, tectum, mensa communis, perpetua vitae consuetudo, hinc verbo, una atque individua Familia, in qua alter alterius infirmitates et onera supportat.

Etenim neque ex iure ecclesiastico, neque ex iure naturali infirmitas seu impotentia temporanea obsistit, quominus coniuges potestatem sui corporis ad invicem tradant, utcumque non immediate, sed tractu temporis sequatur effectus, Scmalzgrueber *iur. can. p. tit. 15 n. 38.* » ibi « Etiamsi » impotentia temporanea sit ignorata ab altero contrahente, » adhuc minime obstat valori matrimonii, quum nullum ius » valorem eidem tollat; non ecclesiasticum, quia hoc potius » eidem favet *cap. fraternitatis de frig.* ubi indistincte de- » ciditur per impotentiam temporaneam matrimonium non irri- » tari; non naturale, quia huiusmodi impotentia temporanea

» non tollit simpliciter finem matrimonii, sed secundum quid, » scilicet pro aliquo tempore, ac proinde non efficit involun- » tarium simpliciter, sed secundum quid ad instar erroris in » qualitate. »

www.libtool.com.cn

Inter iura quae coniugalem contractum consequuntur, est etiam ius propriam idoneitatem pertentandi ad experientiam nempe copulae carnalis ineundam, cum in primis carnalibus congressibus infelicem exitum habuerit periculum. Et hanc experientiam ad exemplum Imp. Iustiniani usque ad triennium produxerat Oelestinus III. in *cap. Laudabilem 5 de frigid. et malefic.*

Attamen quaeram, data ne fuit Ioanni copia haec experientiae carnalis copulae per triennium? minime sed vix sexies aut septies ad mulierem idem valuit accedere. Et mulier praestitit ne quantum per se potuit, ut facilior via ad consummationem redderetur marito? Atque e contra vix uno aut altero experimento pertentato, iratis atque acerbis conviciis confusionem et impotentiam illius adaugebat.

Quibus noviter deductis Defensoris animadversionibus, de more, causa supposita novae disceptationi fuit; simulque propositum est dirimendum

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

RESOLUTIO.

Eadem S. C. Concilii die 25 Augusti 1877, causa iterum discussa, respondere credidit:

In decisis.

EX QUIBUS COLLIGES. I. Certum est solam impotentiam perpetuam et antecedentem, sive naturalis sit sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, sive ante matrimonium contrahentibus nota fuerit, sive ignota, matrimonium dirimere utroque iure tum naturali, cum ecclesiastico, quatenus tamen certo probata fuerit.

II. Potentiam enim perfectae copulae habendae pertinere ad essentiam matrimonii; quia per matrimonium datur utrique coniugi potestas in corpore alterius respectu ad carnalem copulam; quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii.

www.libook.com.cn

III. Utcumque in themate directe viri impotentia haud probata fuerit, ut ex hoc capite nullum declararetur matrimonium, indirecte tamen probata fuit eo consilio ut facilius adstrueretur idem matrimonium non fuisse consummatum.

IV. Matrimonii inconsummationem probari, ex iure canonico, per iuratam coniugum atque *septimae manus* depositionem; ex quo exurgere possit in iudicum animis moralis certitudo, quae sufficit ad prudenter recteque iudicandum.

V. Eiusmodi moralem certitudinem haud defuisse in themate videri; ex quo factum est ut inconsummatum censeretur matrimonium, atque super eodem dispensatio peteretur a SSmo Patre.

VI. Inter causas quibus dispensatio concedi solet super matrimonio rato et non consummato, adesse et impotentiam viri: ne uxor invito cogatur ad coelibatum perpetuo servandum; quod contra ius esset.

VII. Viri impotentiam, si eadem adstruatur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non exigere ex DD. sententia certam et concludentem probationem; sed sufficere eamdem esse probabilem, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, et ad gratiam moveri.

VII. Ex communi Canonistarum et Theologorum sententia accenseri, inter causas pro dispensatione matrimonii rati, timorem et periculum futuri scandali et fornicationis.

LEGATI

www.libtool.com.cn

Die 3 Martii et 21 Aprilis 1877.

Compendium facti. Comes Ioannes T. ultimo, quo decessit elogio, quippe qui solers esset paterfamilias, praevidit Religiosorum Institutorum suppressionem. Et medelam afferre studens malo, quod huiusce proscriptionis causa filiabus monasticam vitam agentibus, foret obventurum, eisdem legavit usumfructum respectivae portionis haereditariae liberae, vita naturali durante; pro casu in quo Religiosi Ordines, quibus nomen dedissent supprimi deberent.

Vita functo testatore, Caietanus haeres curavit ut patris communis voluntas penitus adimpleretur. Quapropter Moniales sorores una cum fratre Caietano solemni conventione in publicos codices relata, Tabellionis opera die 27 Septembris 1860 decrevere *art. 3.* quod haeres, eveniente suppressione, loco naturalis usufructus praefatis Sororibus pensitare deberet foenus ad rationem quincuncem super valore partis quae unicuique obveniret ex patris haereditate; quae usurae quincunces, iuxta conventionem decurrere inciperent ex die in qua praefatae sorores ad religiosas Domus haud amplius pertinerent usque dum viverent. Quod testator praevidit impletum est lege 7 Iulii 1866, quae Ordines Religiosos impie perculsit. Teresia et Iulia sorores moniales non dubitarunt cessisse et venisse conditionem legati usufructus: hinc petierunt a fratre ut legatum, ac proinde annuam pensionem praestaret. Verum iste acriter obstitit, neque amico foedere rem componere cum eodem valuerunt. Tunc Teresia aere alieno op-

pressa, praestationem conventam per laicum Tribunal petiit, et victrix ex arena iudiciali discessit.

Caietanus interea ad R. Pontificem confugit exposcens ut definire dignaretur nondum purificatam esse conditionem, sororibusque Iuliae et Teresiae nullum competere ius ad paternam successionem.

www.ielool.com.cn

Iulia enim in Ordine professa est cuius membra vocantur Ancillae Charitatis in Civitate Cremae. Vi tractatus Tigurini Ordines regionis Longobardicae haud subiecti fuerunt expropriationi, sed proprietas transiit in dominium singulorum individuorum. Ideoque moniales in eadem degunt domo, sub iisdem regulis, et cum eisdem reditibus. Ergo suppressio nomine tenus eventa, nullum secum tulit ex effectibus quos praevideri a testatore debuerant. Neque multum ab hoc differt casus Teresiae, quamvis in provincia moretur, quae in praedicto tractatu non comprehenditur.

Testamentum enim haud loquitur de suppressione ecclesiastica aut civili entis moralis, sed de *dissolutione* Ordinum. Successio est casus qui in lege fundamentum habet. Dissolutio vero est res *facti;* quod si factum non verificetur, implementum conditionis deest.

Ast liquidum est Teresiam cum consororibus vitam degere in eadem domo, et loco amissorum redituum *pensionem* recipere. Certum est enim locum non habuisse conditionem a Sororibus eisdem interpretatam quod nempe ad eorum Conventum pertinere desierint. Praeterea si testator noluit deesse filiabus necessarium victum, Teresia, praeter victum, cuius non indiget, uti novis legibus vellet, ad meliorem reddendam propriam conditionem in detrimentum parvi patrimonii fraterni.

Reverendissimus Ordinarius, rogatus a S. C. Concilii retulit vires haereditatis tales esse quod accipi possent oppositae sororum monialium exceptiones. Et sibi videri quod conditio a testatore posita, iam purificata sit; ita ut in haerede obligatio incoeperit, et ius correlativum in sororibus eius religiosis.

Disceptatio synoptica.

www.libtool.com.cn

Iura Caietani. Huius patronus defensionem suam dispescit bifariam; loquens in primo capite de aequitate, in posteriori de iustitia petitionis. Et quoad primum caput contendit aequitatem, quam monasteria nomine monialium invocant, annuae praestationis tuendae causa, non pati ut ipsamet absque necessitate locupletiora fiant cum pauperis familiae iactura. Quod ut rite conficiat, quaerit imprimis, cuinam succurrendum dicitur? Si monialibas dicitur, egregie decipimur; quia utraque soror adhuc in suo monasterio vitam cum aliis monialibus communem agit. Atqui explorati iuris est, in coenobii consortio moniales nihil proprium, ne in usu quidem et in reditu habere posse, et quidquid iis acquiritur, monasterio acquiri, quod singulis iuxta necessitatem impertitur. Unde concludit quod non agatur de monialium emolumento, sed de lucro monasterii, atque idcirco aequitatis argumentum evanescit, sive quia in paterni testamenti interpretatione studium prolis praesumitur, non monasterii; sive quia liberalitas in multos divisa singulis fere nihil prodest, et filio damnum irrogatur sine filiarum utilitate. Evanescere pariter, ait, calculum a Monialibus exhibitum, quae bona a se et a fratre accepta aestimant, seque inopes, fratrem divitem demonstrant; itaque ad monialium argumentum undique evertendum, comparationem instituit inter clientem eiusque sorores. Et primum calculi errorem deprehendit ex parte monialium; ita ut si nova pensio imponeretur clienti, qui familiam alere tenetur, et nobilitatis gradum decenter perferre, is in egestatem coniicieretur, quin sorores tanta iactura locupletentur; quidquid enim ab eo solveretur, monasteriis accresceret. Contendit autem orator quod pro patrimonii viribus congrua videtur fuisse pars quae iam sororibus obvenit *legitimae titulo*. Et sane de Teresia, reditibus diligenti calculo compositis, concludit illam frui summa mensili libellarum 119, Iuliam autem 102; qui reditus satis sunt pro alendis monialibus quae

communem degant vitam. Obiectioni autem peractae quod Iulia particularis eget curae pro sua infirmitate respondetur primo quod menstrua pensio viginti aureorum satis superque habetur ut pia quaelibet mulier in asceterio recipiatur, et honestam sustentationem etiam in infirmitate accipiat. In casu vero de moniali res est, quam monasterium etsi quolibet auxilio destitutam alere et curare tenetur, praesertim cum monasterii patrimonium communi naufragio non fuerit absumptum, multo magis si monialis satis amplam dotem contulerit.

Ad alterum orationis suae caput descendens, examen primo in Iuliae causa instituit. De Iulia itaque loquens meminit Orator reversionem usufructus a fratre ad Iuliam a conditione pendere. Iam vero ea est conditionis natura, ut futurus et incertus eventus expectetur. Iustinianus *in Instit. lib. 3 tit. 16 §. 4, Vinnius loc. cit.* Idcirco quaelibet conditio rerum mutationem implicat; et contra, rebus in eodem statu manentibus, nunquam conditionem evenisse dici poterit. Atqui in Iuliae monasterio, in statu mulieris, in illius vita, omnia manent qualia erant testamenti tempore. Quare cum pro Monasterio ob tractatum Tigurini mutata haud fuerit conditio, quae vigebat tempore testamenti, dici non potest casum a testatore praevisum evenisse per generalem dissolutionem quae in illa provincia quoad regulare patrimonium effectum non habuit.

Neque rerum mutatio pro Iulia saltem privato nomine allegari potest. Unum vero novum contigit, specietenus, non in veritate, in iure, non in facto; immo ne in iure quidem Ecclesiae, sed violenta saecularis legis definitione; quod scilicet hodie Monasteria iuridicam personam non habent. Hoc tamen ad legis fictionem pertinet, minime vero ad rei veritatem. Utcumque enim longobardicae regionis monasteria Collegium iure civili non constituant et iuridica persona destituantur; bona tamen in singulas personas dispertita habent; hinc concludit Iuliae casum conditioni a testatore positae non convenire; atque idcirco ususfructus reversioni locum non esse.

Quoad Teresiam, ait Orator, huiusce intentionem iudicandam esse sive ex testamento sive ex contractu postea inito.

Testamenti illis verbis « *pro casu quo Ordines religiosi dissolvi debeant* » contendit testatorem casum previdere voluisse, quo filiae propter monasterii eversionem indigerent. Quod Teresia indigeat nec praesumi potest nec probari, quia moniales undeviginti numero in eodem monasterio, ut antea degunt, eademque disciplina vitaeque ratione utuntur. Nec legatum in hodierna rerum conditione illi utile futurum est; Teresia enim solemnia vota edidit in Carmelitarum monasterio. At neminem praeterit monialem post haec vota nihil proprium vel privatum habere posse, *Cap. non dicatis, cons. 12 qu. 1, Cap. Cum ad monasterium de statu Monachor. in 6.* Nec partem usufructus vel annuam pensionem monialis subsidio addictam *S. Congr. apud Ursayam tom. 3, part. 2 disc. 1 num. 24;* hinc infert casum in quo monialis versatur ad paternam dispositionem aptari nullo modo posse.

Advocatus tandem probat veram conditionis indolem desumi posse ex solemni conventione inter fratrem et sorores moniales inita. In ea constituerunt quod frater sororibus praestaret summam conventam cum Ordines regulares supprimerentur, et ipsae ad eosdem pertinere cessarent. Itaque placuit Caietano et sororibus solam domorum regularium suppressionem non sufficere ut conditionem evenisse admitteretur, sed praeterea requiri ut Moniales cessarent ad eosdem pertinere. Haec igitur interpretatio partibus perspecta fuit, eamque illae hodie sequi debent.

Neque testamentum amplius sequi licet; tum quia contrahentes non testamentum quale erat exequi voluerunt, sed *novationem* inducere. Pro qua novatione placuit, quod eveniente conditione. non usumfructum a patre legatum, sed pecunia numerata subrogaretur sive usurae quincunces. Praeterea utraque soror coram civili magistratu et coram S. C. Concilii non ex testamento egit, sed ex contractu, ideoque iuxta conventionem iudicari debet; atqui Teresiae eiusque monasterii status toto coelo abest a conditione in contractu posita. Ideoque

cum Teresia ad suum monasterium pertinere nec iure nec facto desierit, probe conditio deest.

Iura monialium Teresiae et Iuliae. Cum istarum monialium legatum ab una pendeat conditione, nempe a *suppressione* Monasterii, iure meritoque legatum usufructus istae petere videntur: quia conditio eiusmodi omnino absoluta mansit. Etenim lex illa infausta diei 7 Iulii 1866 sic se habet « iubetur *suppressio* Ordinum religiosorum » Quare nihil certius atque iustius est quam quod comes Caietanus praestare teneatur suis sororibus Monialibus legatum usufructus. Patula enim est iuris censura qua cavetur diem legati cedere statim ac conditio existat, sub qua relictum est, *Leg. si post diem 5 ff. quando dies legat. cedat.* §. *Sed si* « ibi » *Sed si sub conditione sit legatum relictum, non prius dies legati cedit, quam conditio fuerit impleta - Leg. 26 ff. de cond. instit.* « ibi » *Si pupillus sub conditione haeres institutus fuerit, conditioni etiam sine tutoris auctoritate parere potest. Idemque* (est) *et si legatum ei sub conditione relictum fuerit, quia conditione expleta, pro eo est, quasi pure ei haereditas vel legatum relictum sit.* » *Leg. Si quis fundum ff. de contr. empt.* « ibi » *Si quis fundum iure haereditario sibi delatum ita vendidisset, erit tibi emptus* (tanti) *quanti a testatore emptus est, mox inveniatur non emptus, sed donatus testatoris videtur quasi sine pretio ; ideoque similis erit sub conditione factae venditioni, quae nulla est si conditio defecerit.* » Sic censuit S. Rota Romana *in Beneventana immissionis 7 Maii 1819 cor. Marco, in Ferentina executionis sententiae 5 Iunii 1820 cor. Tiberi* et alibi. Ex quo colligitur quod cum apposita conditio cesserit et venerit, nemo inficiabitur factum esse locum executioni.

Nihilque valet quidquid obiicitur nempe conditionem a testatore impositam supponere quod Moniales, ob suppressionem, cessarent ad dissolutam communitatem pertinere, victum et habitationem ut antea inibi recipere, ita ut necesse esset eisdem alimenta praebere. Scitum est enim in conditionibus nudum factum attendi absque ulla voluntatis interpretatione

www.libtool.com.cn

5. *Rota in Ravennaten. Reintegrationis 29 Aprilis 1853 coram Devitten.* Factum a testatore panditum est eversio Monasterii; quod factum unice est attendendum. Et re quidem vera ex qua testamenti commate colligi potest admissionem sororum ad legatum ususfructus fuisse dilatum reiectumque ad diem, qua Moniales, suppressionis causa, cessarent ad dissolutam Communitatem pertinere, et habitationem, victum alimentaque recipere. Ex verbis testatoris una est conditio, a qua legatum pendet, eversio videlicet Monasterii. Hanc autem conditionem a Testatore praestitutam favore filiarum in Christo Domino nubentium, ipsum tribunal laicum confessum est, vires suas exeruisse. Aiebat enim expressio *dissolutionis* qua testator usus fuit applicationem recipit in casu practico; cum enim singulae moniales in exercitio iuridicae personalitatis redierint, et coram lege civili communitatis repraesentatio cessaverit, ista existimari nequit nisi dissoluta. Ideo patet conditionem a testatore adiectam purificatam fuisse. Praeterea in facto est quod nulla ambiguitas appareat in verbis legati; et ideo iuxta Aristotelis scitum in *2 Rhetor. de Teodect. c. 22 Verba quando sunt clara, tunc ea declarare nihil atiud est quam nugas agere.* Cum ergo testatoris lex in themate sit clara, scilicet ut Cajetanus haeres, Monasterio everso sororibus monasticam vitam agentibus teneatur usumfructum praestare non est ulterius quaerendum. Agitur praeterea de legato alimentorum, haerede annuente, quae materia pia atque favorabilis censentur, text. in h. Mela, ibi pietatis *intuitu, et ibi* hoc notant *gl. Bar. et alii ff. de alim. et cibar. Leg. 1. sancimus, C. de Sacros. Eccles.* §. *aliud. in Auth. ut cum de Appel. cogn. l. cum hi.* Et merito quia ad piam causam iudicatur, quod relinquitur pro sublevando animato corpore; at corpus animatum non potest aliter relevari, quam per alimenta ut inquit *glos. in l. Si cui annum ff. de annu. legat;* hinc decet magis legatariis Monialibus faveri quam Haeredi *Menoch. conf. 474 num. 46, Gratian. discept. 601 n. 36 et seq. Rota dec. 239 n. 6 part. 7 adornat. Card. De Luca lib. 9*

vol. 3 Dec. 25 n. 13. Quibus consonat Tribunal laicum aiens: eiusmodi testamentaria dispositione pater consulere voluit filiarum necessitatibus quas maiores esse, post suppressionem, facile quivis noscit.

www.libtool.com.cn

Praeterea Monialium Procurator adiecit etiam iuxta haeredis sententiam, testatoris dispositionem quoad filias esse omnino aeconomicam, directam ad sublevandas filiarum necessitates neque respicere filiarum sistema moralis vitae. Ideoque in mente testatoris *dissolutio* aequivalet dissolutioni domus religiosae ob defectum mediorum suae existentiae necessariorum et sustineri rationaliter posset quod si infortunium quodlibet, minime vero leges civiles, deficientiam mediorum causaverit dissolutio a testatore praevisa verificaretur, quia filiae moniales egerent alimentorum. Quod autem veritati nitatur moniales istas dissolutioni subiectas fuisse mediorum deficientiâ facile creditur, animadvertendo Monasterium alterius monialis bonis omnibus despoliatum, assignata pensione quotidiana unius libellae pro qualibet moniali; Monasterio autem alterius monialis onus tale impositum fuisse a quo etiam deterior fiat eius conditio.

Neque opponere iuvat partem istarum monialium aequam esse patrimonii viribus; quia eisdem pater usumfructum reliquit. Atqui in usufructu alimenta continentur ex *l. Imperator ff. ad Trebell. et penultima ff. de alimen. et cibor. leg., Surdi quaest. 23 tit. 7 n. 7.* Alimenta autem omnino solvi debere ab haerede deprehenditur ex eo quod *iure actionis* debentur dum ex testamento proficiscantur. Ast alimenta quae debentur iure actionis, diviti quoque praestanda sunt, *Rota in civit. Plebis Donat. super alimentis 7 Maii 1802 §. 3 coram clar. mem. Card. Gardogni* « ibi » *ut in praesenti iure actionis ex legato praedicto resultantis in foro contentioso petuntur, tunc enim subministranda sunt etiam habenti unde vivere possit.* » *Bald. cons. 481 n. 5. lib. 4,*

Quapropter liquidum fit Haeredi onus perpetuo inesse ut legatum ususfructus Monialibus praestet, sive istae in bonis habeant, sive reditibus careant. Attamen observandum est

quod hi reditus monialibus alendis impares sunt, quia utroque soror curis singularibus indigent suae valetudinis gratiâ.

Haud pariter licet haereditatis tenuitatem opponere, constat enim eamdem amplam esse, a qua percipit haeres magnum lucrum. Et ideo omni iure tenetur iste solvere legatum a patre relictum eo vel fortius quia onus vitalitium est quod brevem habet durationem, et post illius cessationem maius expectat haeres emolumentum..

Neque utiliter subsumeretur quod testamentum non sit attendendum, eo quod partes conventionis ope novationem inducere voluerint; nam novatio non censetur inducta, nisi aperta contrahentium voluntas ostendatur, *Text. in l. ultim. cod. de novat. Vinn. Instit. tib. 3. tit. 30* §. *3*. In casu nullus apparet animus certus ad novationem inducendam; solummodo enim partibus placuit, conditione eveniente, quam testator posuerat, non usumfructum a patre legatum ab haerede debere, sed pecuniam numeratam: ex quo clarum fit partes nil aliud fecisse quam cohibere legatum ususfructus ad legatum annuae praestationis. Atqui legatum annuae praestationis simile est legato ususfructus ut monet Iurisconsultus in *leg. 8 ff. de ann. legat.*, Rota Ferrarien. *consignationis legati 10 Maii 1850* §. *2. coram Alberghini*. Ergo omnis novatio evanuit. Post enim notissimam Imperatoris Iustiniani *legem ultim. Cod. de Novat.* resecatis veteribus Iuris ambiguitatis, quae antea super ipsius novationis existentia promovebantur, praescriptum fuit quod amplius dici non possent novatae antiquae obligationes nisi simul contendentes, actum seu contractum iniverint cum primo dissonum ac prorsus incompatibile, *Instit. quib. mod. toll. oblig.* §. *3 Vinn. com. ment. eod. tit.*.

Caeterum etiam conventione rimata, ius Monialium stat, quandoquidem partes hac in conventione plene se referunt ad testamentum; et ideo quamdiu in suo robore stabit testamentum, tamdiu manebit conventio, quae ex illo effluxit. Cum enim vis et efficacia testamenti maneat, manet etiam conventio; atqui ex conventione certum est haeredem sororibus spopon-

disse, eveniente suppressione, se fore soluturum usuras quincunces. Ast iamdiu Monasteria eversa sunt, ideo actio Monialium ad creditum condicendum expedita est, docente Caio *in leg. 11. §. 1. qui pot. in pignor.* « ibi » *Cum enim semel conditio existit, res perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Et in *leg. 13 de pignor. §. 5.* « ibi » *Si sub conditione debiti nomine, obligata sit hypotheca, dicendum est, ante conditionem non recte agi, cum nihil interim debeatur; sed si sub conditione debiti conditio venerit, rursus agere poterit.* » Cui consonat Ulpianus in *leg. 18 ff. de Reg. Iuris,* aliique. Ergo nonnisi quam iniuria haeres conditioni nuncium mittere valet; eo quod voluntatis sit obligationem suscipere, necessitatis vero eamdem servare. Et Imperator in *leg. 25 Cod. ad Sc. Velleian. infin. ait: quod ab initio sponte scriptum aut in pollicitationem deductum est, hoc vel ab invitis postea compleatur.* » *Tua enim cuique conventio atque promissio lex est, quam sponte sua unusquisque sibi dicit, quandoquidem contractus ex conventione legem accipiunt,* prout sancitum *in leg. 1 §. 6 ff.* depositi ac proinde ad unguem servanda atque colenda iuxta monitum Iurisconsulti in *leg. 23 ff. de Reg. Iuris.* hoc servabitur quod initio convenit, legem enim contractui dedit.

Praeterea haud est captiose ariolandum super verbis contractus, quando constat quid placuerit deducere in conventione. Ast placuit Monialibus, eveniente suppressione, sibimetipsis pecuniae quantitatem parare, vitae ducendae causa. Ergo quaerendum haud est utrum pertinere nec ne ad proprium asceterium desierint.

Nec obiiciatur Moniales pecuniae conventae quantitatem retinere incapaces esse, obsistente paupertatis voto. Agitur enim in themate de annuis praestationibus, quae « livelli » dici solent; atqui compertum est annuas praestationes paupertatis votum nullatenus laedere ex *Card.* De Luca in *annot. ad cons. discur. 34 n. 4* « ibi » distinguendo itaque moniales » a viris regularibus. Quatenus ad moniales pertinet, ex ge-

» nerali cousuetudine ab Ecclesia tolerata quoties alicuius » monasterii particulare institutum aliter non suadeat, mo- » nialibus assignari solet ex obligatione vel benevolentia a » coniunctis vel benevolis, annua vel menstrua vitalia prae- » statio, ad earum liberam dispositionom, pro extraordinariis » indigentiis, vel honestis usibus, absque eo quod Superiores » se ingerant; neque illa servetur communis depositi forma, » quae in regularibus viris servari solet. . . adeo ut nimium » rari sint casus, in quibus Superiores huiusmodi assignatio- » nis usum, vel administrationem impediant. Nisi quoties im- » prudentia monialis ita cogat, quia nempe abutatur, atque » convertat in usus parum honestos, seu statui religioso pa- » rum congruos. . . . Quin adversetur S. Concilii dispositio » *Sess. 25 de Regular. cap. 2* praecipientis quod regulares » peculium habere non possent. Sacra enim Synodus quoad » hoc novum ius inducere noluit, sed tantum sacrorum cano- » num sanctiones renovare intellexit; unde sicuti ipsius iuris » communis determinatio per consuetudinem leniri optime vo- » luit, ita et post Concilium, mediante eadem consuetudine, » livellorum reténtio Sanctimonialibus licita esse potest, ut » punctualiter eiusdem Concilii censura perpendendo tenue- » runt Perez in *regul. S. Bened. cap. 33 n. 25* Sanchez » *lib. 7 cap. 12 n. 11.* Rodriguez *quaest. regul. tom. 2* » *quaest. 125 art. 4,* aliique plures. »

Hisce animadversis, propositum fuit dirimendum.

Dubium

An et quomodo sit locus annuae praestationi pro monialibus Iulia ac Teresia contra fratrem Caietanum in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii, causa ponderata, sub die 21 Aprilis 1877 respondere censuit: *Pro nunc affirmative quoad Teresiam tantum.*

Ex inde colliges

I. Legatum sub conditione relictum perinde haberi ac pure, idest sine ulla conditione relictum fuerit, statim ac conditio apposita, expleta vel purificata sit.

II. In conditionibus alicui legato appositis attendi debere nudum factum, omnem posthabendo voluntatis interpretationem, praecipue cum in legati verbis nulla appareat ambiguitas.

III. In themate unicam fuisse conditionem a qua legatum pendebat, nempe monasteriorum eversionem: quod autem conditio huiusmodi vires suas exeruerit (praecipue quoad Monasteria extra longobardicam regionem posita;) nemo non videt qui miserrimas italici Regularis cleri conditiones noverit (1).

IV. Subtilizare ubi res clara sit nihil aliud esse quam perniciose errare; vel ut Aristotelis ait: « *verba quando sunt clara, tunc ea declarare, nihil aliud est quam nugas agere.* »

V. In iure alimentorum materiam piam atque favorabilem haberi, quia ad piam causam iudicatur quidquid relinquitur pro sublevando animato corpore.

VI. *Ex lege ultim. C. de novat.* dici non posse novatas fuisse antiquas obligationes, nisi simul contrahentes actum seu contractum iniverint cum primo dissonum ac prorsus incompatibile.

(1) Moniales nonnullae relictae fuere ex particulari concessione apud proprias religiosas domus. Verum dici ne poterit ob eam rem ordines religiosos, adhuc subsistere apud easdem domus? Moniales istae nil aliud efformant quam aggregationes fortuitas, materiales, precarias, privatas, mediis, iuribus, obligationibusque expertes; uniones, uno verbo, sunt, quibus abnuitur etiam associationis ius, quo praecipue leges vigentes extolluntur, quodque haud denegatur vilioris famae civibus: dum religiosam professionem vitam nefas sit alios sibi adsciscere socios. Hodie ergo vitâ frui queunt ex exhibitis alienae charitatis mediis; quod in crastina nequeunt die; hodie toleratur ab Italiae dominis in originariis easdem permanere asceteriis; cras ab eisdem eiiciuntur profliganturque. Fas ne erit ergo istas habere uniones ceu ordinatam societatem, aut religiosam domum, vel Monasterium mediis iuribusque pro sua subsistentia praeditam? Minime gentium!

MATRIMONII

www.libtool.com.cn

Die 27 Ianuarii, 28 Iulii, 22 Septembris 1877.

Compendium facti. Franciscus N. anno 1873 cum puella Aemilia S. iuxta suae regionis et Ecclesiae catholicae leges matrimonium contraxit. Sed integro nondum elapso anno a male auspicatis nuptiis, venia habita ab Ecclesiastica auctoritate, divortii iudicium instituit, laico coram tribunali, pollicitus se nunquam ad alias nuptias concessurum, nisi prius celebratum matrimonium Ecclesia dissolverit. Civile tribunal oblatum a Francisco libellum favorabiliter excepit, atque admisso, *mulierem essentialia matrimonii officia semper denegasse* divortii sententiam protulit. Qua habita, vir de dissolutione matrimonii coram Ecclesia agere cogitavit. Ea propter curiam adiit Episcopalem, et haec eius nomine Apostolicae Sedi supplicem porrexit libellum a Vicario Generali exaratum, petens ut dispensationem super matrimonio rato et non consummato Francisco concederet.

S. Concilii Congregatio, cui eiusmodi preces remissae fuerant, commisit Episcopo, ut processum conficeret *tam super asserta non secuta matrimonii consummatione, quam super causis canonicis dispensationis servata forma constitutionis S. M. Benedicti XIV quae incipit* « Dei miseratione » *cum facultate etiam subdelegandi, servatis servandis. pro examine partium et testium quatenus extra Dioecesim* morarentur.

Episcopus suum Vicarium Generalem subdelegavit, atque deputato matrimonii defensore, tabulas processuales institui iussit. Hinc vir et uxor ad examen vocati; an vero suas attestationes iuramento firmaverint ex actis minime apparet. Examini pariter subiecta fuit, tum viri, tum mulieris septima manus: praetermissa tamen physica corporis mulieris inspectio, quia utiliter institui non poterat, nam Aemilia post sententiam civilis tribunalis separata a marito, vivens suam virginitatem alteri fruendam concesserat. Hisce expletis tabulae processuales transmissae fuerunt ad S. Congregationem, quae suetum edidit decretum « *Ponatur in folio citata parte et defensore matrimonii ex officio.* »

Tunc Franciscus patronum sibi adlegit in urbe qui coram S. Congregatione adstaret, verum uxor, nec per se nec per procuratorem comparere sategit. Quapropter instante Francisci patrono, scriptum fuit rursus Episcopo « *ut per apparitorem Curiae Episcopalis vel alio modo sibi magis beneviso* » mulieri intimaret, causam disceptandam esse in plenario EE. PP. consessu, *eique praefigeret congruum terminum ad comparendum coram S. Congregatione vel per se vel per suum procuratorem.* » Omnia rite perfecit Episcopus sed retulit, Aemiliam, praefixo elapso termine, nullum responsum dedisse, nec sperari posse ullo modo Romae esse comparituram.

Ex actibus enarrati processus constat Franciscum et Aemiliam, inito vix matrimonio, nuptiarum iter suscepisse, quo perdurante talia aversionis signa uxor marito manifestavit ut nullam spem reliquerit consummandi matrimonii. Scilicet cum in publicis tabernis commorari cogebantur, mulier duo cubicula, aut saltem duo cubilia in eodem cubiculo exposcebat; quod si aliquando in eodem lecto dormire coacta fuit, *tota nocte stetit vigilans,* virumque monuit *sese gentem vocaturam si eam tangeret.* Nec huiusmodi animus mulieris immutatus est postquam coniuges in patriam reversi sunt. Nihil intentatum reliquit Franciscus ut uxorem ad sua vota flecteret, sed frustra; conatus est etiam copulam implere, sed

incassum. Hinc quaerimoniae ex parte viri, iactationes ex parte mulieris, se adhuc virginem esse; hinc crevit animi adversio, iurgia et odia sunt secuta, quae eo pervenerunt ut mulier declarare non dubitaverit, se nunquam cum Francisco rem matrimonialem acturam, licet centum annorum vita suppeteret, imo tanto odio eum prosequi, ut ipsi venenum propinare minime abhorreret.

www.libtool.com.cn

Interrogati de more testes utrum crederent coniuges vera dixisse quum asseruerunt matrimonium non consummasse, et an ulla spes adesset reconciliationis; unanimiter reposuerunt, veras credere confessiones coniugum, tum ob probitatem Francisci qui semper vir fuit honestissimus, tum ob characterem Aemiliae, quae quamvis quamdam fatuitatem redoleat tamen a mendacio maxime abhorret, tum demum quia quae deposuerant apprime congruunt cum iis quae iam per publicam famam fuerant aliquo modo evulgata. Demum confirmarunt se certissimos esse de non sequuta matrimonii consummatione, ob invincibilem repugnantiam mulieris habendi rem maritalem cum Francisco. Quo vero ad reconciliationem, omnes uno ore tradiderunt, eam esse impossibilem ob aversionem Aemiliae atque ob sententiam divortii quae a civili tribunali prolata fuerit.

Haec est summa facti, quae tamen in aliquibus fusius reperitur narrata in sequenti defensorum disceptatione.

Disceptatio synoptica.

Defensio viri pro matrimonii dispensatione. Patronus Francisci ait ad dispensationem obtinendam in huiusmodi causis, duo tantum requiri, scilicet, demonstrationem inconsummationis matrimonii, et legitimas dispensationis causas.

Incipiens a causis advertit adesse et gravissimas, atque inter primas recenset sententiam divortii, quae in regione ubi commorantur coniuges, impedit quominus conturbenium amplius instaurari valeat; hinc haec unio, licet renovari posset, non uti legitima sed uti turpis concubinatus coram lege ci-

vili haberetur, quod intolerabile esset Francisco, qui innocens in tota hac agendi ratione existit.

Hisce praeiactis Orator contendit dispensationem exigi ab aeterna salute utriusque coniugis, nam cum maritalis vinculi instauratio sit omnino impossibilis ob discordias et aversionem animorum, ac etiam ob civilis divortii proclamationem, si dispensatio negetur, isti in perpetua castitate vivere deberent, quod non sine maximo animarum discrimine fieri posset; praesertim cum vir viginti quinque, mulier vero viginti duos annos non attigerit; eo vel magis quod mulier virginitatis iacturam fecerit. Iamvero ad mentem Cosci, si adsit aeternae salutis periculum, dispensatio est omnino concedenda. Haec enim scribit « *De separ. Tori conj. Lib. 3. cap. 2 num. 99.* « Inter causas pro obtinenda dispensatione generaliter ea est et adduci potest quae respicit animarum incolumitatem. . . . eamque satis esse ad petendam et concedendam dispensationem. . . . egregie explicant Dec. Imolen. Perez, Clericat. Rota etc. ita ut ad hoc Apostolica dispensatio concedi debeat » Eadem advertit in *lib. 1. cap. 16 n. 254* ubi ait « Ad Papam spectat occurrere scandalis, praesertim si nulla spes affulgeat futurae reconciliationis et concordiae ac simultaneae cohabitationis voluntariae et nunquam cogendae, ne forte deterius inde contingat » Quod tradidit etiam Pignattellus *Consult. Canon. Tom. 1 cons. 148 n. 9.*

Insuper vitae coniugalis instaurationem impossibilem reddere subdit, rationem vitae at Aemilia susceptam postquam a viro recessit. Ipsa enim virginitatem amississe cuidam mulieri quacum maxima utebatur familiaritate, fassa est; domum et parentes deseruit, infamis mulieris amicitiam et documenta secuuta. Ex quo factum est, recusantibus parentibus ipsam domum recipere, ut huc illuc vagetur, quin *ullibi fixum et vix ulli notum habeat domicilium* ceu testatur Episcopus. Quapropter impossibile esset Francisco individuam vitae consuetudinem cum Aemilia instaurare, quin infamiae notam incurreret. Ac proinde cum nulla spes recon-

ciliationis affulgeat, imo odium et aversio animorum maxime foveatur ex huiusmodi tenore vitae ab Aemilia instituto, nihil aliud superest, quam ut dispensatio concedatur iuxta ea quae docet praefatus Coscius *op. cit. Lib. 1. cap. 16 n. 269.* scribens « solus timor vel suspicio adulterii tantam parit odii occas- » sionem, ut iustam ob id praebeat causam dissolvendi ma- » trimonium prout testatur Menochius *De praesum. lib. 2.* » *praef. 10 n. 42.* » Quae omnia multo magis in casu valere subdit defensor, eo quia uterque coniux pari consilio dispensationem postulat, ad tradita per eumdem Coscium *Lib. 3. cap. 2 num. 96.* op. citati.

Sic absoluto capite de causis dispensationis gradum facit defensor ad ostendendum matrimonium minime consummatum fuisse. Quoad hoc fatetur quod si corporis inspectio fieri potuisset, plenior evasisset probatio, verum alias subdit suppetere vias ad inconsummationem probandam, nempe coniugum iusiurandum et testimonia septimae propinquorum manus. Haec aliquando esse satis docet Ursaya *Discept. Eccl. tom. 3 disc. 21 n. 138*, scribens: « In cap. *Laudabilem* » » *De frig. et malef.* ad probandam virginitatem. . . . non » praescribitur copulative septima propinquorum manus et » recognitio facienda per obstetrices, sed aperte statuitur » sufficere solam confessionem coniugum cum septima manu » propinquorum. » Huic concinit Coscius *op. cit. Lib. 3 cap. 2 n. 126* aliique. Imo Coscium docere urget aliquando inspectionem nullo modo esse faciendam ex: gr: quando mulier inspectioni paratam se non exibeat, utroque coniuge inconsummationem asserente.

Neque obiici posse putat hisce in casibus talia adiuncta concurrere debere ut omnem prorsus dubitationem excludant, nam auctores iam citati, insuper Menochius, De-Luca, Sanchez non rigidissimas exigunt probationes, sed eas quae certitudinem inducant moralem et prudentissimos homines persuadeant, quamvis cum possibilitate de contrario optime componi possent. « Haec *(certitudo moralis)* ait Sanchez *Lib. 2* » *Disp. 45 n. 4 De matrim.* quum iure definita non sit,

» nulla certior regula praescribi potest quam ut sit ea quae » virum prudentem, attentis circumstantiis recurrentibus certum redderet. Sic Silv. *Matrim. 49. 9. dist. 3.* Navarr. » *Sum. c. 22 Hisp. n. 77 Lat. n. 79 v. 3* Cavar. *4* » *dec. 2 p. c. 2. n. 4.* Petr. de Ledesma *De matr. quaes. 45* » *4. fin.* et constat ex omnibus doctoribus citandis corall. seq. » ob coniecturas enim probabiles concedunt prudentis arbitrio » facultatem alii nubendi. »

www.libtool.com.cn

Hanc vero moralem certitudinem in casu haberi, ostendere conatur defensor ex omnibus rerum adiunctis. In primis enim minime explicaretur tam cita animorum aversio si in iuventutis fervore legitima voluptas quae ex unione coniugali consequitur praecessisset. Magno quoque in pretio habenda concors coniugum confessio, praesertim cum Franciscus pius et religiosissimus ab unguiculis semper fuerit; et Aemilia laude sinceritatis maxime commendetur. Iam vero interrogatus vir, an certus esset de non secuta consummatione matrimonii, respondit: *sum certissimus*. Idem asseruit mulier. Neque satis: omnes testes, *quos nedum idoneos sed et religione conspicuos* dicit Episcopus, tradunt Aemiliam semper abhoruisse a copula maritali cum Francisco habenda, hunc semper reiecisse ac virginem se iactasse. Ex quibus omnibus certitudinem moralem de non consummatione matrimonii maximo in gradu haberi concludit defensor, atque proinde dispensationem esse concedendam, eo vel magis quod secus insons vir, muliebris obstinationis et depravationis immeritus poenam lueret.

Defensio vinculi matrimonialis. Contra huc usque recensita obstitit matrimonii defensor, ac ad quaestionis statum determinandum tria in tuto ponenda sategit – 1. Matrimonium rite ac valide coram Ecclesia contractum fuisse; 2. Coniuges per annum in una eademque domo, ac per quatuor vel quinque menses in una eodemque cubiculo vel lecto condormisse; 3. Hinc praesumptionem iuris et de iure oriri de consummatione matrimonii, quae excludi non potest nisi per plenissimas probationes quae omne dubium removeant.

His praeiactis tum ab extrinseco, tum ab intrinseco di

spensationem impugnat. Ab extrinseco animadvertit non constare de actoris persona, quandoquidem supplex libellus oblatus Summo Pontifici subscriptionem tantum Vicarii Generalis praesefert, qui non est pars neque procurator, cum nullum mandatum a parte vel exaratum vel subscriptum exhibeat. Neque obstare putat factum, quod coniuges in Curia examinati fuerint, namque nullimode examinati sunt an vellent dispensationem petere. Quid quod Aemilia nolebat examini se subiicere? Quod si postea apparuit in Curia nihil habetur ex quo doceatur, se conformasse petitioni a Vicario Generali factae.

www.libtool.com.cn

Alterum insuper adnotat graviorem defectum nempe defectum citationis, quo deficiente nullum iudicium excogitari potest.

Tertio quoque defectu laborare processum clamat, scilicet iuramenti defectu, tum a coniugibus, tum a septima eorum manu praestandi. Quod vero huiusmodi iuramentum praestitum fuerit non ex relatione aut aliquo indicio constare debere, sed oportere ut ex actis resultet. Iam vero, si tabulas processuales a prima ad ultimam ceram percurras in casu, nec vola nec vestigium reperies huius iuramenti, quod a sacris canonibus veluti essentiale requiritur.

Ex his omnibus concludit matrimonii defensor omnia huiusmodi acta nullius esse valoris, atque procedi non posse cum deficiat persona actoris, citatio rei, ac partium et testium iuramentum quae omnia iudicii basim constituunt.

Hisce ab extrinseco adnotatis pergit Orator intimam quaestionis naturam scrutans, atque edicit, matrimonium vel consummatum fuisse vel saltem inconsummationem non probari; quod satis est ut dispensatio denegari debeat. Matrimonium consummatum fuisse suadent, mutuus amor praecedens nuptias, testimonium mulieris quae paucos post dies ab inito coniugio edixit optime se habere in novo vitae statu; tempus quo coniuges simul cohabitarunt vel condormierunt, conatus ad copulam, in quo adeo processum est, ut mulier viro suaserit matrimonium consummatum fuisse. Ac demum instituta vitae ratio ab Aemilia,

quam, credibile non est abstinuisse a maritalibus amplexibus. dum adeo prona existit ad voluptates carnales, ut ignominiosam vitam ducere minime pudeat.

www.libtool.com.cn

Verum non solum peractam matrimonii consummationem subdit vel saltem non probatam inconsummationem, sed etiam defectum causarum concurrere ad dispensationem denegandam. Profecto unica affertur ratio dispensationis, nempe divortium sequutum et dissociatio animorum. Sed tale divortium nullam habet vim quoad leges Ecclesiae et religiosissimos coniuges declararunt sese paratos ad Ecclesiae iudicium subeundum:nec omnis spes deponenda reconciliationis cum uxor dixerit, quod si divortium petitum non fuisset, ipsa amplius non peteret: quod certo certius ostendit odium non esse implacabile: atque ideo dispensatio deneganda, praesertim si advertatur solam animorum aversionem non fuisse reputatam idoneam dispensationis causam in *Romana Matrimonii an. 1699, Eystetten 1716, 1717.*

Tandem matrimonii defensor disiicere conatur, quae adversus patronus cumulavit ad dispensationem obtinendam,et observat primo loco minime demonstrari inconsummationem ab argumentis quae afferuntur; atque distinctionem inter materialem et moralem certitudinem ab ipso inductam confusionem et obscuritatem gignere, et non dissolvere difficultatem et praesumptionem consummationis quae inducitur ex cohabitatione et condormitione coniugum per plures menses.

Male vero in medium afferri auctoritatem Ursayae in Capit. *Laudabilem De frig. et mal.* siquidem casus illius capitis est toto coelo diversus a praesenti. Inibi nempe agebatur de frigiditate ab ipso viro cum iuramento admissa, hic vero de iuvene potenti et volenti matrimonium consummare qui cum uxore nedum diversatus est, sed et condormivit. Quod si nunc, muliere corrupta, eius integritas amplius probari non potest, non sequitur dispensationem concedi debere; et hunc casum similem esse ait illius, qui perdita syngrapha praetendit sibi persolvi debitum, cum illud probare non possit.

Perperam vero adduci Cosci auctoritatem, qui videtur ex-

plorationem corporis excludere, nam clarissimus auctor loquitur de casu quo nunquam vir et uxor simul convenerint: ast posito contubernio; posita condormitione, praesumptio iuris et de iure exurgit de consummatione, quae reiici non potest nisi per explorationem. Eo vel magis quia agitur de muliere flagitiosa, cuius assertioni non facile standum, praesertim cum contraditionibus implicetur nunc asserens se nunquam officia coniugalia praestare voluisse; nunc se tantum apparenter praestitisse, ita ut falso suaserit viro matrimonium consummatum fuisse. Ex his omnibus matrimonii vindex concludit extrema deficere ad dispensationem concedendam.

Hisce ab utraque parte disputatis causa proposita fuit in generalibus S. Congregationis Concilii comitiis habitis die 28 Ianuarii 1877, sed Emi Patres, dilata resolutione, iusserunt Episcopum supplere acta processus iuxta sequentem instructionem, nempe 1. *Ut ab auctore* Francisco. . . *supplex libellus pro dispensatione matrimonii exararetur manu propria vel subscriberetur, cum ratihabitione omnium actorum.* 2. *Ut citaretur Aemilia* ad tramites decreti *Ponatur in folio* supra relati; 3. *Ut ex actibus processualibus* constare faceret *iuramentum praestitum fuisse a coniugibus ac testibus;* quod si fieri non posset curaret, *ut coniuges ac testes omnes et singulas eorum depositiones iureiurando confirment, scriptisque tabulis de praestito iuramento testimonium* exhiberetur.

Episcopus quoad primum articulum omnibus expletis, transmisit supplicem libellum cum omnium actorum ratihabitione a Francisco exaratum. Quoad secundum schedulam subscriptam ab Aemilia, indicantem receptionem alicuius rei a publico literarum distributore; quae res scribit Episcopus, nihil aliud fuit quam libellus citationis. Quoad tertium denique transmisit testimonium Vicarii Generalis, vindicis matrimonii et tabellarii Curiae Episcopalis, qui testantur, tum a coniugibus, tum a testibus iuramentum praestitum fuisse.

Eiusmodi declarationibus se minime satisfactum ostendit defensor vinculi matrimonialis, atque observabat 1. Schedu-

lam ab Aemilia subscriptam minime indicare ipsam recepisse citationem; 2. Posito etiam quod Curiae fides sit adhibenda, manet semper substantialis defectus, nam citatio cum notum est domicilium non per publicum literarum distributorem, sed *ad personam* vel *ad domum* ministerio publici apparitoris est facienda, ceu docet Reiffenstuel *Iur. Can. lib. II. tit. 3. §. 2. n. 50.* 3. Deesse relationem a cursore faciendam de traditione libelli citatorii.

www.libtool.com.cn

Post haec propositum fuit

Dubium.

An sit consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

Resolutio. S. Congr. Concilii re discussa sub die 28 Iulii 1877, censuit respondendum *Affirmative.*

Causae prosequutio. Ab hac resolutione appellationem interposuit vinculi matrimonialis defensor acrius contendens dispensationem esse denegandam, quia concludenter, prout necesse est, inconsummatio minime probatur. Recoluit cohabitationem et condormitionem coniugum, depositionem Aemiliae fatentis pluries Franciscum tentasse matrimonium consummare, sese aliquando passive habuisse, ita ut in virum fidem induceret de consummatione matrimonii. Memorat dignitatem sacramenti matrimonii non resolvendi, nisi omnibus servatis maxima scrupulositate, praesertim quae a constitutione s. m. Benedicti XIV et ab instructione S. Congregationis Concilii 20 Augusti 1840, constito evidentissime de eiusdem inconsummatione, ac concurrentibus gravissimis causis.

Iterum igitur re disceptata, propositum fuit

Dubium

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Resolutio. S. Cong. Concilii sub die 22 Septembris 1877 respondere duxit: *In decisis.*

Ex quibus colliges.

I. Semper firmum immotumque servari principium, quod ad dispensandum matrimonium, duo concurrere debent scilicet matrimonium consummatum non fuisse, et adesse legitimas dispensationis causas, quibus rite probatis Summus Pontifex dispensationem indulget.

www.libtool.com.cn

II. In conficiendis processibus matrimonialibus rigide servanda esse ea omnia quae praescripta habentur a sacris canonibus, praesertim vero a Constitutione s. m. Benedicti XIV *Dei miseratione* ac ab instructione S. Congregationis Concilii diei 20 Augusti 1840, secus, si nempe aliqua solemnitas negligatur, processualia acta nullitatis accusari posse.

III. Aliquando tamen Apostolicam Sedem super huiusmodi solemnitatibus dispensare, dummodo tamen gravissimae adsint causae, atque defectus in processu occurrentes eiusmodi non sint, ut veritatem aliquo modo possint impedire.

IV. In themate dispensasse super defectu inspectionis corporis mulieris quae ad id instituta est, ut, meliori quo fieri potest modo, physica certitudo eius integritatis habeatur, atque ideo ad dispensationem indulgendam reputasse sufficientem moralem certitudinem, quae nempe prudentissimos suadere solet, quamvis possibilitatem de contrario minime excludat.

V. Dispensasse pariter super ceteris minoris momenti defectibus, ex: gr: super citatione non rite praesentata, super iuramento, quatenus scripto exaratum non fuerat in serie actorum processualium, prout in saepe citata constitutione dispositum reperitur.

VI. Noluisse tamen dispensare super praestatione iuramenti tum coniugum tum testium, de qua praestatione saltem per testes voluit certitudinem consequi.

VII. Hinc concludi Apostolicam Sedem, gravissimis occurrentibus causis, ac praesertim si aliter fieri non possit, dispensare ab iis solemnitatibus processus matrimonialibus quae rei substantiam minime afficiunt, ac dummodo alio pacto de rei veritate indubitanter constare possit.

IURIS REVOCANDI DIOECESANUM

www.libtool.com.cn

Diebus 16 Decembris 1876 et 28 Iulii 1877.

Compendium facti, Victorius F. quum nullam praeberet aptitudinem in escolendis studiis, dimissus fuit a servitio cuiusdam Oratorii, cui se mancipaverat. Verumtamen Archiepiscopus T. haud renuit ut ille se examini subiiceret, eo consilio ut saltem reciperetur in Seminario Dioecesano: a quo examine plenis fere suffragiis reiectus fuit.

Patriam derelinquere infelix iuvenis ob eam rem constituit, atque in proximam Dioecesim P. sese transtulit; ubi eidem concessum fuit clericales induere vestes; et philosophicis studiis operam navare.

Aeris insalubritas tamen, quae eiusdem sanitatem in discrimen adducebat, coegit iuvenem illinc abire, qui cum facultate Episcopi P. in Dioecesim E. se contulit studiorum causâ. Hoc in loco quum plena uteretur valetudine, enixe adprecatus est ut clero adscriberetur. Quamobrem anno 1874 vertente, Vicarius Capitularis P. remisit iuvenem, inscio Archiepiscopo T. ad Dioecesim E. ibique moram duxit, studiis vacans. Quod aegre ferens Archiepiscopus T. utpote qui erat, quoad illum iuvenem, Episcopus originis, plures dedit litteras Episcopo E. ut vellet sibi iuvenem restituere. Operam perdere quum prospiceret hoc espostulans, S. C. Congregationem adiit atque supplici libello adprecatus est, ut eius iussu dictus iuvenis sibi restitueretur.

Quum S. Congregatio supplicem accepisset libellum, Epi-

scopo E. litteras dedit iubens ut ad rem facientes rationes exhiberet. Respondit hic Victorium F. Curiae suae remissum fuisse regularibus litteris Vicarii Capitularis P. quin unquam Rmus Archiepiscopus T. iuvenem reclamaret.

www.libtool.com.cn

Communicato huiusmodi epistolio Archiepiscopo T. statim reposuit: sese nunquam dicto iuveni dedisse excardinationis litteras, et totam huius rei implicationem ex quodam errore Vicarii Capitularis P. ut ipsemet fatetur, contigisse, ex quo nullum suffragium capi posse indubium est (1).

Res amice componi nequiverunt; ideoque partes monitae fuerunt causam esse disceptandam plenis comitiis.

Disceptatio synoptica.

Iura Episcopi E. Ab ipso limine iudicii esse reiiciendam petitionem Archiepiscopi T. asseruit Episcopus E. dum iste in suam recepisset Dioecesim praedictum clericum Victorium F. ex litteris remissorialibus Curiae P. quarum hic erat tenor: « Cum de licentia Exmi ac Rmi Archiepiscopi T. . . . cleri » candidatus Victorius F. filius equitis Petri, natus die 17 » Iulii 1851 huic Dioecesi cleri fuerit adscriptus, atque vale- » tudinis causa ob aeris inclementiam in hac civitate morari » nequeat, ipsius precibus benigne annuentes ut studiorum » causa in Dioecesi E. obtenta ab Illmo ac Rmo Episcopo » facultate, ad annum manere queat opportunam licentiam in » Domino concedimus. »

Cum aeris dulcedo maxime faveret iuveni clerico in mea Dioecesi, ait Episcopus E ab eodem clerico una cum eius Patre enixe rogatus sum, ut clero meae Dioecesis eumdem adscribere vellem. Oratorum precibus annui, visis atque examinatis litteris remissoriis Ordinarii sui, quae ita sese habebant. « Dilecto Cleri candidato Victorio F. . . . Cum iuxta

(1) Ex littera ipsius Vicarii Capitularis ad S. C. C. quae existit penes acta, satis patet litterae excardinationis praedicto iuveni concessas fuisse a Curia Ordinarii T. quamvis postea deperditas. Ideoque nullo amplius, gaudet iure super iuvene illo Archiepiscopus T. quocumque modo res inspici possit.

» canonicas institutiones huic Dioecesi P. adscriptus fueris, » tuis precibus benigne annuentes et declarantes te bonis mo- » ribus praeditum Illmo, et Rmo DD. Episcopo E. remittimus » omnemque iurisdictionem quam in te habemus, in ipsum » conferimus, ita ut in posterum tamquam ipsius filius sis » habendus. Datum P. quarto nonas Martii 1874.

www.libtool.com.cn

Quapropter, prosequutus est Episcopus E. cum excardinationis negocium inter me et Curiam P. totum intercesserit, haud prospicio quaenam actio Archiepiscopo F. suppetere possit ad restitutionem dicti iuvenis a me expetendam.

Neque ullus titulus, ex Constitutione *Speculatores domus Israel* patrocinatur Archiepiscopo T. ut ex eo valeat a mea subtrahere iurisdictione iuvenem clericum.

Sane haud *ordinationis* titulus suffragatur, quia nedum ordines, sed ne tonsuram quidem ab eo recepisse videtur; neque titulus *originis et domicilii* quia tritum in iure est neminì interdictum eligendi ubi velit domicilium, ceu prae caeteris monet lex *31 ff. ad Municipal.* « ibi » *Nihil est impedimento quominus quis ubi velit habeat domicilium, quod ei interdictum non sit.* » Imo ne filio quidem familias domicilii acquisitio interdicta est ex Ulpiani responso in *leg. Placet. 3 et leg. 4 ff. ad Municip.* « ibi » *Placet etiam filios familias domicilium habere posse non utique ibi, ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituerit.* » Quod etiam probasse videtur S. Congr. Concilii in *Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis 14 Novembris 1733.* Multoque minus ei patrocinari posse videtur titulus *familiaritatis* trium annorum, cum nulla umquam intercesserit. Proinde patet nullo Archiepiscopus T. iure frui posse ut a mea subiectione revocare Victorium F. valeat.

Verumtamen, his praetermissis, in facto est, adiecit Episcopus E. Curiam Archiepiscopalem T. litteras excardinationis, seu remissionis praefato iuveni dedisse ut Dioecesi P. inscribi posset, ceu clarum fit per litteras ad meam Curiam missas per Vicarium Capitularem P. Quae litterae cum deperditae fuerint, earum existentia ex depositione duorum testium,

fide digniorum, evincitur: qui referunt se eas legisse et nonnulla verba in ipsis existentia adhuc meminisse.

Ex nunc adductis tum in iure cum in facto conclusit Episcopus E, nulla facultate pollere Archiepiscopum T. super praefato iuvene, ideoque ut primum innuimus, eius preces esse omnino reiiciendas.

www.libtool.com.cn

Iura Archiepiscopi T. Enixe adductis rationibus sese Ordinarius iste opposuit; edisserens quod Victorius F. omnino ad eum titulo *originis* et domicilii pertineret. Nam dubitari nequit quod quilibet illius fiat Episcopi subditus in cuius Dioecesi, nisi per accidens, natus fuerit. Ad rem probe facit Constitutio Innocentii XII, cuius initium *Speculatores domus Israel* « ibi » *Caeterum subditus ratione originis is tantum sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Dioecesi, in qua ad ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, mercaturae, vel cuiusvis alterius temporalis morae, seu permanentiae eius patris in illo loco: quo casu non eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum et naturalis patris origo erit attendenda.* »

Insuper subditus Episcopi quis fit ratione *domicilii* quando aliquo in loco vel per decennium, vel per notabile tempus cum instructis aedibus, et translatione maioris partis bonorum habitaverit, et pro utroque casu iuramentum de animo vere ibi perpetuo manendi emiserit. Ad rem praecitata Constitutio « ibi » *Subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censetur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, vel per decennium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bonorum suorum, partem cum instructis aedibus in locum huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis, superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihilo minus in utroque casu se vere et realiter animum huiusmodi habere iureiurando affirmat.* » Iamvero prosequutus est Archiepiscopus; dubitari nequit Victorium F. ortum esse

in mea Dioecesi, ubi etiam nunc ille eiusque pater domicilium retinent; ergo subtrahi a mea subiectione nequit. Et insuper palam fit, me a quocumque et ubicumque vindicare eumdem posse ut quilibet ex iure rem suam ubicumque et a quocumque vindicat. Quapropter a veritate abest, id quod innuit Episcopus E, mihi nempe haud competere actionem, ex citata Constitutione ad repetendum iuvenem.

www.libtool.com.cn

Praetensae vero excardinationis litterae haud adversae parti prosunt donec exhibeantur; ex quo fit quod ius meum immobile super iuvene maneat, saltem donec suus canonicae iurisprudentiae honos relinquatur.

Neque testimonia quoad litteras dimissorias aliquid valent; tum quia hoc in puncto facile sit errorem irrepere, tum quia praesumi nequeat testes tot post annos clare atque dilucide de re meminisse.

Quum itaque liquidum sit ius meum, ait Ordinarius iste, in iuvene, ideo conclusit sibi eumdem fuisse restituendum.

Quae relata sunt exposita fuere ad iura utriusque partis protuenda; atque insuper enodandum propositum fuit EE. Cardinalibus

Dubium.

An et quomodo precibus Rmi Archiepiscopi T. sit annuendum in casu?

Resolutio. Sacra Concilii Congr. re discussâ sub die 16 Decembris 1876 responsum dedit:

Iuxta ea quae deducuntur negative.

Causae prosequutio. Ad novum iudicium causa submissa fuit, proponendo sequens

Dubium.

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Cui S. Congregatio sub die 28 Iulii 1877 respondit: *In decisis et amplius,*

Ex quibus colliges.

I. Cum iure optimo Dioeceses distinctae et unicuique proprii attributi fuerint Pastores; ideo exurgit ullum Episcopum nequire alterius Dioecesanum, ne iurisdictio alteretur, ad ordines promovere.

II. Qua de causa Tridentinum *Sess. 23 c. 8* statuisse: *quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus ei permittitur, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio* (1) *commendentur. Si secus fiat Ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, sit suspensus.* »

III. *Ex cap. Cum nullus de tempore ordinat. lib. 6 et ex Constit. Innoc. XII Speculatores,* colligi Episcopum dici proprium alicuius clerici ratione *originis, beneficii* vel *domicilii.*

IV. Ex S. C. C. *Larinen. 30 Augusti 1732,* posse Episcopum proprium, etiam sub poena, prohibere, quominus Ecclesiasticus ullus, etsi in minoribus constitutus, a sua Dioecesi absque licentia discedat.

V. Ex differentia inter clericum et laicum exurgere quod dum nequit Clericus alicui Ecclesiae adscriptus aut beneficium possidens quod residentiam requireret ad aliam Dioecesim transire absque Ordinarii licentia, liceat tamen laico etiam filiofamilias, quocumque abire et domicilium constituere etiam in loco quo suum domicilium Pater non habet.

VI. In themate non clericum (nequidem in minoribus constitutum) sed iuvenem laicum deseruisse Archidioecesim T. patrisque domicilium, ut proprium poneret domicilium in Dioecesi P. ubi adscriptus fuit albo illius Cleri, vestesque induit clericales, evadens ex tunc, quoad ordinationes, subditus Episcopi istius.

(1) Quilibet videt hoc in casu Episcopum proprium Victorii F. esse Episcopum P. qui de probitate et moribus testimonium praebet, et valetudinis causâ remissoriales litteras concessit, ut in Dioecesi E. studiis incumbere posset; in qua Dioecesi tandem mansit, et illius clero adscriptus fuit, evadens ob hoc subditus Episcopi istius.

DECRETUM

LUTHENEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Guillelmae Aemiliae de Rodat Institutricis Congregationis Sororum a Sancta Familia Nuncupatarum.

Quum decimoquinto kalendas Aprilis 1875 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne indulserit, ut de Fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere Ven. Servae Dei Guillelmae Aemiliae de Rodat praedictae ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, ad instantiam Rmi D. Ioannis Iosephi Rousseille, Procuratoris Generalis Seminarii Parisiensis Missionum ad Exteros, et huius Causae Postulatoris constituti, Emus et Rmus Dominus Cardinalis Carolus Sacconi, eiusdem Causae Ponens, sequens dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis; nimirum " *An constet de validitate et relevantia Processus Apostolica Auctoritate constructi super Fama Sanctitatis vitae, virtutum et miraculorum in genere dictae Ven. Servae Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* „ Emi et Rmi Patres Sacris tuendis ritibus praepositi, omnibus mature perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, respondendum censuerunt " *Affirmative* „ Die 15 Septembris 1877. Quibus per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. Sanctitas Sua rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit ac confirmavit. Die 20 iisdem mense et anno.

A. Ep. Sabinen Card. BILIO S. R. C. Praef.

Loco ✠ Sigilli

Placidus Ralli S. R. C. Secretarius.

EX AEDIBUS VATICANIS

www.libtool.com.cn

LITTERAE PROTESTATIONIS AD DIPLOMATICUM GUBERNIORUM COETUM, DATAE OCCASIONE QUA, DEMORTUO VICTORIO EMMANUELE, FILIUS EIUS PRIMOGENITUS REGIS ITALIAE NOMEN ASSUMPSIT.

Dal Palazzo del Vaticano, 17 gennaio 1878

Ricordandosi del sacro dovere che gl'incombe di tutelare i diritti imprescrittibili della Santa Sede il Sommo Pontefice ha sempre avuto cura di reclamare contro le imprese sagrileghe, che sono state successivamente consumate dal governo subalpino a detrimento del potere temporale di questa stessa Santa Sede.

In mezzo a reclami d'ogni genere bisogna specialmente ricordare, in vista delle circostanze che li provocarono, la

---

Ex aedibus Vaticanis 17 Ianuarii 1878

Versio. *Onus memoriâ retinens, quo SSmus. Pater impraescriptibilia Sedis Apostolicae iura protuendi obstringitur, omni studio incessanterque haud inclamare abstinuit adversus eas, quas in eiusdem S. Sedis Ditionis civilis discrimen sagrilegas perfecit direptiones Gubernium Subalpinum.*

Verumtamen multiplices inter eiusmodi reclamationes, in mentem praecipue revocandae sunt, ob adiuncta quae

nota diretta per ordine di SUA SANTITÀ al corpo diplomatico, il 24 Marzo 1860, contro l'annessione delle Romagne al Piemonte, il 18 e 24 Settembre dello stesso anno nell' occasione della violenta invasione delle Marche e dell' Umbria, il 15 Aprile 1861 quando il fu Re Vittorio Emanuele prese il titolo di Re d'Italia, infine il 20 settembre 1870, data della nefasta occupazione di Roma.

www.hotool.com.cn

Queste solenni proteste rimangono sempre in pieno vigore ed il corso degli anni lungi dall'attenuare la forza, ne ha al contrario confermata tutta la giustizia e la necessità, atteso che una triste esperienza ha manifestato quanti ostacoli il S. Padre ha incontrati nell'Esercizio del suo Ministero apostolico, dal momento in cui è stato spogliato dei suoi Stati.

Esposto ciò, e poichè ora alla morte del nominato re, il suo figlio primogenito, assumendo il titolo di re d'Italia con un manifesto solenne e pubblico ha preteso sanzionare la spo-

---

eisdem causam porrexerunt, Litterae protestationis, quas ad Diplomaticum Guberniorum coetum SSmus. Pater dedit die 24 Martii anni 1860 contra Aemiliae annexionem Pedemontis Gubernio peractam, die 18 et 24 Septembris eiusdem anni occasione violentae occupationis Piceni atque Umbriae, die 15 Aprilis 1861, quum Regis Italiae nomen Victorius Emmanuel assumeret, et tandem die 20 Septembris 1870; quo die violenter Urbs Romae capta fuit.

Plenoque in suo robore huiusmodi manent protestationes; labentiaque tempora, quin vim auferant, earumdem potius iustitiam asserunt atque necessitatem; tristis enim in propatulo posuit experientia omnigena, quibus SSmus. Pater obviam ierit obstacula in sui Apostolici ministerii exercitio, ex quo civili Principatu despoliatus mansit.

Hisce praehabitis, quoniam dictus rex mortem oppetiit, eiusdemque primogenitus filius regis Italiae titulum carpens, publica solemnique declaratione emissâ, consum-

gliazione già consumata, non è possibile per la Santa Sede mantenere un silenzio, da cui alcuno potrebbe forse trarre false deduzioni ed un improprio significato.

Per questi motivi ed anche per richiamare di nuovo l'attenzione delle potenze sulle dure condizioni, nelle quali la Chiesa continua a trovarsi, Sua Santità ha ordinato al sottoscritto Cardinale Segretario di Stato di protestare e di reclamare nuovamente allo scopo di mantenere intatto contro l' iniqua spogliazione il diritto della Chiesa sopra i suoi antichissimi dominii, destinati dalla divina Provvidenza ad assicurare l'indipendenza dei romani Pontefici, la piena libertà del loro ministero Apostolico, la pace e la tranquillità dei cattolici sparsi in tutto il mondo.

Perciò il sottoscritto eseguendo gli ordini di Sua Santità emette le più alte e formali proteste contro il fatto suddetto

---

matae direptioni sanctionem apponere praesumpsit, silere haud Apostolica Sedes diutius potuit, ne erroneas quis traheret ex huiusmodi silentio deductiones, impropriumque sensum.

His de causis, atque eo consilio ut iterum Guberniorum quoad tristem, quo adhuc Ecclesia utitur, statum, attentionem revocaret, SSmus. Pater infrascriptum Cardinalem Status Secretarium iussit denuo protestari et reclamare infandam adversus despoliationem, ut sarta tectaque Ecclesiae iura servarentur super civili suo Principatu: quem Divina Providentia ad Romanorum Pontificum independentiam protuendam, ad plenam Eorumdem ministerii Apostolici libertatem servandam, nec non ad catholicorum per universum orbem degentium pacem et quietem protegendam constituit.

Summi Pontificis proinde infrascriptus Secretarius iussis inhaerens, amplissimas contra praefatum factum adversusque

e contro le conferme che con questo fatto s'intende dare alle usurpazioni già commesse a detrimento della S. Sede.

Pregando Vostra Eccellenza il far conoscere queste proteste al suo governo, il sottoscritto ecc.

Firmato

GIOVANNI CARD. SIMEONI

---

robur, quod consummatis latrociniis dari praesumitur, protestationes elicit.

Ac dum te, Excellentissime Domine, enixe infrascriptus adprecatur, ut tuum Gubernium de huiusmodi protestationibus certiorem reddere cures, peculiares erga temetipsum aestimationis sensus profitetur.

IOANNES CARD. SIMEONI
SECRETARIUS STATUS.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

ADSCRIPTIONIS SEU INCARDINATIONIS

Die 25 Augusti 1877.

COMPENDIUM FACTI. Ioannes Bertoldi e Dioecesi T. sub exitu anni 1875 Summum Pontificem, quo sospite laetamur, adivit supplici libello, quae sequuntur exponens. Episcopum E. paratum fuisse recipere eumdem in Sua Dioecesi, quatenus Sanctitas Pii IX eidem indulsisset ut in albo Clericorum illius Dioecesis adscribi posset et ad ordines sacros inibi promoveri. Quam gratiam instanter petiit, eo consilio ut, ait ille, animarum bono, facilius incumberet. Supplicem libellum quum S. C. C. recepisset, sententiam Archiepiscopi T. nec non Episcopi E. hac super re sollicita expoposcit. Mandatis morem gerens Archiepiscopus T. retulit, quae in compendium subnectuntur. Iuvenis de quo agitur, ait Ordinarius anno 1873, habitum induit clericalem; dein meum Seminarium ingressus philosophiae studio incubuit; sed male se gessit tum quoad studium tum quoad virtutes clericales. Quas ita posthabuit, ut Rector, et spiritualis director, haud bene de eo sperarent futurum talem, qui Ecclesiae Christi prodesset. Quinimo ait Rector, iterum de hoc rogatus, sese pro certo habere iuvenem verae vocationis ad statum Ecclesiasticum omnino expertem fuisse, satiusque agere si vestes exueret sacras, arti profanae sese mancipando.

Verumtamen minis lacessitus a Clerici patre litteras eidem testimoniales concessit Rector; in quibus ne verbum quidem neque de moribus, neque de vera vocatione ad ecclesiasticam militiam fecit.

Quae sequuntur autem, hoc super negocio, retulit Episcopus E. « Hic (Ioannes Bertoldi) exeunte mense Aprili » u. p. una cum suo genitore se sistit Rectori mei Seminarii » Clericorum expostulans locum sibi fieri inter eiusdem alu- » mnos.... Exhibuit deinde attestationem Rectoris Seminarii » Archidioecesis T. de moribus et vita illuc ducta. Testi- » moniales insuper adduxit proprii Parochi et Sindaci, qui » unanimiter bona et laudabilia de ipso testificabantur. Paro- » chi finitimi et Sacerdotes sui domicilii data occasione con- » fabulandi cum Ecclesiasticis meis, bonum quoque de eodem » testimonium protulerunt: atque in Solemni Consecratione » novae Ecclesiae Parochialis.... compositum, promptum ac » devotum eum vidi in sacris caeremoniis. Archipresbyter.... » cuius sacris functionibus inservit, eum quoque litteris te- » stimonialibus commendavit. Tandem a Superioribus mei » Dioecesani Seminarii per biduum scriptis et verbis de phi- » losophicis disciplinis examinatus satisfecit, probavitque se » in Theologicis institutionibus proficere posse.... Propterea » in opinionem veni hunc Ioannem Bertoldi, bonum clericum » et Sacerdotem evadere posse, ac meae Dioecesi utilem, et » si a Dioecesi suae originis excardinaretur ipsum libenter » exciperem. »

In hac praelatorum contradictione sub die 8 Ianuarii 1876 commissum fuit Archiepiscopo T. ut *magis precise referret, quibus de causis orator dimissus fuerit a Seminario et ex albo clericorum.* Peculiares rationes tunc ipse deduxit, quae mox erunt enucleandae; iisdemque perspectis, sub die 14 subsequentis Februarii ita fuit Oratori responsum: *Recurrat ad proprium Archiepiscopum et stet eiusdem mandatis, idque notificetur ipsimet Archiepiscopo.*

Attamen mense Novembris eiusdem anni 1876 retulit Archiepiscopus T. Clericum Bertoldi nedum habitum clericalem dimisisse, sed studiis theologicis operam navare, eidem ansam praebente Episcopo E. qui eiusmodi studiorum experimenta a suis examinatoribus excipi consentiebat.

Disceptatio synoptica.

Archiepiscopi T. defensio. Ordinarius iste ut rationem porrigeret quoad iuvenis Bertoldi expulsionem a Seminario, exquisita prius relatione a Directore Spirituali, et a nonnullis Convictoribus, haec retulit. Iuvenem Bertoldi, quamdiu in Seminario vitam deguit, sese exhibuisse Superioribus et condiscipulis despoliatum omnino pietatis spiritu, docilitate et reverentiâ erga superiores eosdem, quorum monita modo visibili aspernabatur. Ad studium nullam praetulisse propensionem, in verbis licentiosum sese exhibuisse, gulaeque vitio ita indulsisse ut saepe alios etiam excitaret ad hoc vitium, repetens, quod olim de grege Epicuri Poeta amicis cecinit «*post mortem nulla voluptas*». Spiritu ecclesiastico caruisse, et ipsis condiscipulis ita gravem fuisse ut omnes de eius expulsione gauderent. Retulit etiam idem Ordinarius parentes ad Sacerdotium adigere iuvenem invitum ut nobilitatem et lucrum propriae familiae captarent. Alio epistolio S. Congregationem exoravit ut prudentiae Ordinariorum relinqueret iudicium ferre quinam promovendi, quique ab Ecclesia arcendi. Vilesceret enim Episcoporum dignitas quatenus facili modo indociles clericos recipi iuberet S. Congregatio in aliena Dioecesi. Nam Tridentinum reliquisse videtur Ordinariis ultimum ferre iudicium his in adiunctis *Sess. 23 cap. 18 de ref. discolos et incorregibiles et malorum morum seminatores acriter puniat*, (Episcopus) *eos etiam si opus fuerit, expellendo*. Quod si expulsi reciperentur in alia Dioecesi, et ad ordines promoverentur, ecclesiastica disciplina eluderetur; ut saepe accidit. Nam crebro indociles iuvenes ab una expulsos et ab alia exceptos Dioecesi, post S. Ordinationem domum paternam repetentes, Ordinarius, qui indignos censuerat, tolerare cogitur ne maius eveniat malum.

Episcopi E. defensio. Suam iste dum propugnaret agendi rationem, causam Clerici protuitus insimul est. Iniuria, ait, interciperetur iuveni via ad sese ecclesiae ministerio manci-

pandum; eoquod mores eius laudabiles, et necessaria dispositio ad statum ecclesiasticum amplectendum per testimonios fide dignos satis probati fuerint. Rector enim Seminarii a quo iuvenis expulsus fuerat, testificavit: toto tempore quo in Seminario mansit numquam occasionem porrexisse querimoniis quoad bonos mores; dum sese exhibuisset qualiter iuvenem decet honestum. Rector alter protulit quoad studium; eumdem clericum philosophiae primum annum implevisse, et suffragia tulisse quae satis fuerunt ut ad secundum promoveretur annum; in quo regulariter scholis adfuit.

Parochus eiusdem asseruit quod per totum vacationum autumnalium tempus numquam causam dederit ut aliqua in re obiurgaretur.

Adstitit ecclesiasticis functionibus, et spem intulit dignum fore ecclesiasticum. Religiosus Capuccinus insuper obtestatus est iuvenem clericum unius anni spatio ad Sacramentum poenitentiae semel in mense accessisse. Et antecessor Seminarii Dioecesis E. autumavit se reperiisse in iuvene clerico attentam sedulitatem, profectum et sufficientem capacitatem pro duobus vicibus, quibus examini subiectus fuit quoad disciplinas Theologicas.

Quapropter, prosequebatur Episcopus, quum omnis via interciperetur eidem iuveni in propria Dioecesi, haud absonum visum est ut pater filii desiderium obsecundaret dando operam ut ille et studium theologicum coleret, et in aliena Dioecesi servitio Ecclesiae incumberet. Et dum id pater praestaret neque Archiepiscopo, neque Ecclesiae legibus irrogavit iniuriam: quia tam adscriptio filii in clerum, quam illius promotio ad sacros Ordines, non ab eorum voluntate dependent, sed a potestate Ordinarii, in cuius Dioecesi foret recipiendus. Caeterum neque mirandum quod adhuc clericalem habitum deferat Ioannes Bertoldi, quia pendente recursu ad Summum Pontificem nihil est in rerum statu innovandum ex *Cap. dilectus 5 de appellat.*

Praeterea opus inutile aggredi videtur Archiepiscopus dum contendere nititur ne Ioannes in aliena Dioecesi reci-

piatur, postquam e proprio Seminario, absque ulla spe, eumdem repulit. Non est enim in sua facultate praepedire quod iuvenis etiam independenter a propria familia, domicilium alio transferat « *nihil est impedimento* (*ait l. 31. ff. ad municipal.*) *quominus quis ubi velit habeat domicilium, quod ei interdictum non sit* -; atque in *leg. placet 3. et leg. 4. ff. eod. tit.* « ibi » *placet etiam filium familias domicilium habere posse, non utique ibi. ubi pater habuit, sed ubicumque ipse domicilium constituerit.* »

Probe insuper a Canonistis traditur quod ne clericus quidem Episcopi licentia indiget ut domicilium alibi transferat Barbosa *de Officio et Potestate Episcopi p. 2 all. 4 n. 41, Passerinus in 6 decretat, de temp. ordinat. art. 2 n. 31* — *hoc primo statuendum est, nullius licentiam per se esse necessariam ad mutandum domicilium; unde est quod clericus non indiget sui Episcopi licentia ad hoc ut ad aliam Dioecesim se transferat; et sic clericus pro sua libertate vere et valide acquirit domicilium in aliena Dioecesi, ad quam se transtulit.* »

Ideo quum clericus Ioannes iam voluntatem pandidisset de suo domicilio in Dioecesi E. traducendo, inutiliter Archiepiscopus obstat quominus S. C. C. excardinationem concedat. Eo quod domicilium mutando sponte sua et ex ipsa dispositione legis fit subditus illius Episcopi in cuius Dioecesi domicilium constituit. Scitum enim in iure est domicilium ex animi declaratione mox acquiri in alieno loco in quem quisquam se transtulit; Passerinus *cit. tit. de tempor. ordin. art. 2 n. 29* « ibi » *quum domicilium acquiratur animo et libertate acquirentis, hinc statim ac in istanti, in quo quis se confert ad aliquem locum animo perpetuo ibi manendi, acquiritur ibi domicilium* — unde etiam post legitime contractum domicilium licite potest ab ordinario loci in sacram adscribi militiam, ceu idem auctor subsequenti num. 31 concludit « ibi » *nulla est limitatio per se et formaliter admittenda, quod Episcopus ratione domicilii potest clericum quemcumque ordinare, et non prohibetur id facere ex*

lege prohibente ordinare alienum subditum, quia clericus quicumque ratione domicilii acquisiti in Dioecesi fit subditus eius Episcopi.

www.hfbook.com.cn

Archiepiscopi querelam basi destitutam, iniustam atque arbitrariam esse ait Episcopus E. Quoad primam notam asseruit iste nec clericum Ioannem se requisivisse ut in suum clerum adscriberet: nec eumdem excipere promisit, nisi post legitimam excardinationem, nec inobedientiam eius confovit, quia iam Bertoldus ad S. Sedem confugerat. Quoad secundam notam contendit a iure communi haud esse vetitum, laicos ad clericatum assumere etsi non dioecesanos, dummodo sint *regulariter liberi* et ecclesiae necessitas id postulet. Quoad tertiam notam denique eamdem ex hoc desumpsit quod nequeat Episcopus obsistere, quominus suus Dioecesanus studiis etiam sacris incumbat; et quominus, postquam ex sua diligentia et studio laudabilia morum et peritiae in sacris disciplinis retulit testimonia, a clementia summi Pontificis imploret in aliena Dioecesi adscisci ut ad ordines promoveatur, dum a propria repellitur.

Sic expositis rationum momentis ab utroque Ordinario in supposita quaestione adductis, propositum fuit enodandum

Dubium

An et quomodo annuendum sit precibus Oratoris Bertoldi in casu.

Resolutio. Sacra C. Concilii sub die 25 Augusti 1877, re ponderata, censuit respondere:

Affirmative, exhibita prius ab Oratore in Cancellaria Curiae E. probatione se transtulisse domicilium in eadem Dioecesi E. ac facta promissione iurata se in eadem Dioecesi permansurum (1).

(1) Iuvat recolere quod huic affinis sit causa, quae superiori mense Iulio agitata fuit inter eosdem Praesules; quae relata fuit pag. 474 huius ephemeridis.

EX QUIBUS COLLIGES

I. Ut quis vere acquisivisse domicilium dici possit, animum pandere debere se perpetuo mansurum illo in loco in quò actualiter suum transtulerit domicilium

www.libtool.com.cn

II. Ideoque in themathe S. C. Congregationem imposuisse (ad hoc ut animum perpetuo manendi in Dioecesi E. clare pateret) quod clericus probationen exhiberet de translato domicilio , et iureiurando adpromitteret se perpetuo mansurum in illa Dioecesi, ceu iubet *Constit. speculatores*.

III. Quapropter domicilium huiusmodi ab eo non acquiri qui licet ad alium locum se transtulerit cum tota familia atque suppellectili ibique maiorem bonorum suorum partem habeat et per longissimum tempus inhabitet; animum tamen ibi perpetuo manendi non pandiderit.

IV. Etiam clericum, absque sui Episcopi licentia, posse proprium domicilium, *valide* constituere in aliena Dioecesi, quamvis *illicite* id ageret praecipue si in prima Dioecesi ordinatus fuisset titulo beneficii residentiam quaerentis, aut alicui Ecclesiae vel loco pio adscriptus inserviret.

V. Ideoque posse Episcopum quemlibet ordinare clericum ratione domicilii, neque per se et formaliter prohiberi ex lege prohibente ordinare aliorum subditum: quia clericus quicumque ratione domicilii acquisiti in Dioecesi fit subditus eius Episcopi, et ad ordines promoveri queit. (1).

(1) Convenit Barbosa et Passerinus posse Clericum, pro sua libertate, acquirere valide domicilium in aliena Dioecesi, absque licentia Episcopi sui: ast Ordinario eidem remanet ius agendi et revocandi clericum istum, quatenus praeditus fuit beneficio residentiae. Nam quamvis *valide* agat qui domicilium mutat, dum alicubi ex lege alicuius virtutis habitare tenetur, *illicite* id perageret. Sicut illicite ageret Episcopus qui ratione domicilii, recenter acquisiti, clericum ordinaret sibi antea ignotum; quin testimonium prius quaereret de istius vita, moribus, natalibus et de eiusdem sufficientia. Ex iure tandem potest Episcopus Ordinator interdicere sacrorum exercitium clericis ecclesiae adscriptis, eo inscio recedentibus, aiente Tridentino *Sess. 23 cap. 16.* « *Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit* (clericus adscriptus) *ei Sacrorum exercitium interdicatur.* »

APPENDIX III.

QUOAD FACULTATES, QUIBUS POLLET S. CONGREGATIO CONCILII, ET QUOAD VIM OBLIGANDI QUAM EIUSDEM CONGREGATIONIS RESOLUTIONES HABENT. (1)

www.libtool.com.cn

Ut eâ reverentiâ illoque obsequio, quibus convenit, *resolutiones* s. Congregationis Concilii, quarum pars magna per ephemerides nostras publici fit iuris, a fidelibus in orbe catholico excipiantur, duo esse nobis disserenda proposuimus.

1. Quaenam sint facultates, quibus Romani Pontifices eandem Congregationem ditaverint.

2. An eiusdem Congregationis resolutiones super exhibitis quaestionibus vim legis generalis habeant ; ita ut quis posthabere eas nequeat quin gravi innodetur culpa.

Primamque partem aggrediendo haud absonum praemonere visum est, quod alias forte innuimus, praeclaram huiusmodi Congregationem, etsi non prouti nunc est, originem primaevam habuisse immediate post Trident. Synodi celebrationem. Neque praetereundum quod Pius IV, eâdem Constitutione, qua Tridentinum confirmaverat , prohibuerit ne ad commentaria huius novi Ecclesiae Universalis Codicis quis manus apponeret; prouti olim Iustinianus egerat, quoad Civilem Codicem eius operâ concinnatum. Idque sagaciter egisse R. Pontificem nemo dubitat, ad vitandam perversionem et confusionem quae oriri possent, quatenus unicuique liceret in decreta C. Tridentini commentaria et interpretationes privatas edere. Atque difficultates et controversias quae ex his decretis exorirentur, sibi et Sedi Apostolicae declarandas et resolvendas reservavit R. Pontifex ille.

Verumtamen paulo post idem Pontifex octo Cardinalibus, qui Tridentino interfuerant, quique illius sensum probe noverant, commisit (et sic initium habuit S. C. Congregatio) ut decreta eiusdem Synodi, per officiales servanda, curarent; et si quod dubium aut difficultas in executione occurrerent, ad R. Pontificem referrent. Ideoque patet quod s. Congregatio ab initio praeposita fuit non *interpretandis*, sed dumtaxat *exequendis* Concilii Tridentini decretis.

Cursu temporis accidit quod, ob hanc prohibitionem a Pio IV datam, aliquando dubitaretur an octo Cardinalium Congregatio facultatem haberet pro responsis in multis con-

(1) Pluries, per lectores huius ephemeridis, a nobis quaesitum est an *resolutiones* S. Concilii Congregationis essent interpretationes legis *doctrinales* vel *authenticae*. Eiusmodi quaesitis ut responsum aliquod praeberemus praesentem perficere appendicem constituimus.

sultationibus datis super rebus dubiis, ad intelligentiam tamen Tridentinae Synodi pertinentibus. Quapropter indulsit primum eidem congregationi S. Pius V ut casus resolvere posset quos censeret claros, dubiis ad R. Pontificem remissis. Dein Pontifex idem Congregationi eidem concessit facultatem decidendi causas et controversias, interpretationem Concilii Tridentini respicientes.

Postea Sixtus V in Bulla, cuius initium « *Immensa aeterni Dei* » reservavit sibi Apostolicaeque Sedi facultatem interpretandi ea decreta quae ad Fidei dogmata pertinent: deditque Cardinalibus executioni et interpretationi Tridentini praepositis, facultatem interpretandi, Summo Pontifice consulto, si dubietas aut difficultas emerserit (1) in his, quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione et ecclesiasticis iudiciis, aliisque huiusmodi statuta sunt. Eidem Congregationi tribuit etiam facultatem in usum inducendi Provinciales et Dioecesanas Synodos; item Provincialia Concilia expediendi et recognoscendi; Praelatorum limina visitantium postulata audiendi, et ex his postulatis expediendi ea quae per se posset, relatis ad Pontificem rebus gravioribus. Tandem, ut alias praeteream facultates, Gregorius XIV per litteras in forma Brevis eidem Congregationi impertitus est auctoritatem scribendi nomine Papae.

Ex quibus documentis extra controversiam nobis positum esse videtur quod auctoritate Apostolicâ s. Congregatio Concilii constituta fuerit ad exequenda et interpretanda Synodi Tridentinae decreta; et quod eidem competat, ex nomine et auctoritate R. Pontificis facultas huiusmodi faciendi interpretationes seu declarationes.

Ad secundam partem transeuntes diximus nobis esse quaerendum, an declarationes seu decisiones Congregationis Concilii vim et auctoritatem legis universalis habeant, ita ut totam obligent Ecclesiam; seu potius sint doctrinales tantum, et ad summum obligent in casu particulari, atque eas personas pro quibus eduntur.

Praemittendum est, ut ordo servetur, inter declarationes s. Concilii Congregationis nonnullas esse decreto Pontificio confirmatas, et promulgatas, alias autem illâ destitui pontificiâ promulgatione. Quoad priores nullum adest dubium, neque inter Canonistas lis est: cuique enim compertum est Apostolica illa decreta vim legis universalis habere veluti caeterae Pontificiae Constitutiones.

(1) *Cardinalibus vero praefectis interpretationi et executioni Concilii Tridentini, si quando in his, quae de morum reformatione, disciplina ac moderatione, et ecclesiasticis iudiciis, aliisque huiusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, Nobis tamen consultis impertimur.* » Sunt verba citatae Bullae.

Et ideo quaestio tantum versatur circa ordinarias illas s. Congregationis declarationes, quae occasione casuum particularium definiunt Tridentinarum legum sensum, et remanent absque promulgatione.

Neque omittendum quod S. C. Concilii per suas declarationes non iudicat de veritate facti in casu expositi, sed tantum de iure: veritas facti relinquitur ordinariis iudicibus discutienda. Congregatio autem supposito, prout narratur, facto, determinat quid sit de iure ex Decretis Tridentinae Synodi: et sic declarat quo sensu haec decreta sint intelligenda. Unde occasione facti et postulationis particularis, et licet non respondeat nisi propter casum illum particularem, in re tamen Congregatio determinat quisnam sit in se sensus Decreti Tridentini, seu quodnam sit ius pro quolibet simili casu.

Praecipua ergo huius controversiae difficultas in hoc posita esse videtur, quod ex recepta communiter doctrina, leges humanae promulgandae sint ut obligare incipiant; ideoque ante promulgationem ne eos quidem qui illas noverint obligent. Aliunde legis dubiae interpretatio seu declaratio principis auctoritate facta, novae legi prorsus aequivalere videtur; ita ut et ipsa ad obligandum promulgatione indigere censenda sit.

Hoc animadverso, non desunt auctores, nedum gallicani, aliique ex variis erroribus suspecti; sed etiam graves et probati Doctores, qui s. Congregationis Concilii declarationibus omnem negant legis universalis vim. Isti enim autumant easdem declarationes esse mere *doctrinales* obligandi vi destitutas nisi pontificiâ auctoritate promulgentur; vel saltem eas esse obligatorias tantum in casu particulari proposito, et quoad personas, quae casum proposuerunt. Bonacina, qui inter ultimos recensetur ait in suo tractatu de legibus *Disp. 1. quaest. 1. puncto 8 n. 4* « Dubium est quam » vim habeant declarationes illustrissimorum Cardinalium: utrum videlicet vim legis habeant et obligent tamquam leges; an potius » censeantur tantummodo interpretationes, et probent solum tamquam opiniones sapientissimorum » patrum et doctorum. Respondent » aliqui doctores declarationes illustrissimorum Cardinalium vim legis habere. . . . Ego vero. . . . » censeo vim legis non habere, antequam sufficienter proponantur et » publicentur. »

Etiam S. Ligorius, nunc Ecclesiae Doctor, ait *Lib. 1. n. 106.* « An declarationes s. Congregationis Cardinalium vim legis habeant? » Nulli dubium, quod pro casibus » particularibus, pro quibus fiunt, » obligant ut leges. . . . Dubium » est an obligent pro casibus similibus? Duplex est sententia utraque probabilis, ut recte dicunt » Salmaticenses. . . . Prima sententia asserit quod tales declaratio-

» nes si sint munitae sigillo et sub-
» scriptione Emi. Cardinalis Prae-
» fecti, robur habent obligandi
» omnes. . . . Nec obstat non esse
» promulgatas. . . . Secunda vero
» sententia dicit, quod licet tales
» declarationes magni sint ponderis,
» non obligant tamen universe, nisi
» non solum Papa consulto et man-
» dante editae, sed etiam eius man
» dato speciali solemniter promul-
» gatae pro tota Ecclesia, ita prae-
» cipiat Pontifex ab omnibus illas
» observari (1). »

Ad evincendam improbabilem opinionem illam quae vim legis universalis denegat declarationibus S. C. C. promulgatione carentibus duplici uti possumus argumento.

1. Demonstrando nempe promulgationem ad legis essentiam non pertinere.

2. Legum dubiarum declarationes improprie dici novas leges, quae ut obligent promulgationis minime indigent.

Et relate ad primam demonstrationem etsi adsint auctores, ut Suarez *de Legibus lib. 1 cap. n.1. et 3*, qui autumant ad legis essentiam pertinere promulgationem; non desunt alii qui contrarium retinent. Ast si promulgatio ad essentiam legis stricte pertineret, res non esset inter auctores controversa. Nam quidquid ad essentiam alicuius rei pertinet semper est necessarium ad hoc, ut res illa existat; Fagnanus *ad Caput. Quoniam de Constitutionibus n. 51* quoad legis publicationem ait « ibi » Nova Con-
» stitutio quamvis ante publicatio-
» nem non liget ignorantes, saltem
» respectu poenae, valet tamen et
» ligat eos qui illius habent noti-
» tiam; ut videtur textus in *capi-*
» *te 1 de concessione praebendae, libro 6*. Et videtur *communis tra-*
» *ditio*, ut patet ex allegatis per
» Felinum. . . . Quandoquidem se-
» cundum Federicum de Senis. . ,
» ne nova quidem lex seu Consti-
» tutio requirit ad *sui essentiam*
» publicationem; sed tantum ad ef-
» fectum ut liget ignorantes: et se-
» quitur Abbas, Consilio 5, in prin-
» cipio libri 2. »

Sedes Apostolica hanc opinionem aperte suam facit. Idque evenit quoad illas pontificias Constitutiones, quae *regulae Cancellariae* vocantur; quas edit, aliquid immutando vel addendo, unusquisque Pontifex, proximo die post assumptum Summum Pontificatum, ad suum usque obitum duraturas. Vehementer ab antiquis Canonistis disputatum fuit, an ante promulga-

(1) Sanctus Ligorius adhuc recensendus foret inter scriptores qui utramque sententiam habent tamquam probabilem, nisi in elencho quaestionum reformatarum serie secunda sic scripta: *addantur aliae recentes retractationes opinionum, quae in praecedente editione recensentur* sanctus Doctor sic se correxisset: *Addendum tamen est quod huiusmodi declarationes, quae iam in Ecclesia universaliter divulgatae, et facto sic promulgatae fuerint usu plurium, vel relatione auctorum communiter ipsas referentium, hae satis omnes fideles adstringunt.*

tionem, et a quo tempore obligare incipiant. « Alii dixerunt a di» publicationis; (*Riganti ad proe»mium n. 37 et 38*) alii a die ea» rum editionis seu compositionis; » alii vero a die assumptionis ad » Pontificatum. . . . Hodie vero. . . » *certum est*, quod regulae statim » usque a crastino assumptionis ad » Pontificatus apicem ligare inci» piunt, *licet non sint adhuc pro» mulgatae.*» Quae voces *licet nondum publicatae* additae fuerunt primum ab Urbano VIII ad praedictam tollendam controversiam. Regulae Cancellariae aequiparantur veris legibus; nam, excepta circumstantia, quod cessent per mortem Pontificis, in reliquis eamdem habent efficaciam, ac caeterae leges, patentibus omnibus cum Riganti ad *proemium n. 26* quod « *Huiusmodi constitutiones et regulae vim legis habent* » et in particulari certum est eas esse *universaliter obligatorias*. Quapropter si promulgatio esset necessaria et de essentia, ut leges obligent, necessaria quoque foret ut regulae Cancellariae obligarent.

Relate ad secundam demonstrationem dicimus concedi non posse quod declaratio legis dubiae, stricte loquendo, nova sit lex. Etenim lex nil aliud esse deprehenditur quam actus praecipiendi, seu actus voluntatis; quo superior vult ut subditi sui taliter agere teneantur sub culpa vel saltem sub poena. Sed qui legem declarat dubiam, sit idem ipse legislator vel alius, nullimode actum praecipiendi elicit. Nam legislator qui suam declarat legem dubiam, emittit testimonium de sensu in quo ipse verba legis intellexit: quod testimonium omnino praeceptum dici nequit. Quando autem alius quilibet dubiam declarat legem, elicit merum actum intellectus, quo iudicat talem esse verum verborum sensum, quae in aliqua lege dubia reperiuntur.

His non obstantibus concedi potest legis dubiae declarationes appellari novas leges in sensu lato tamen et improprio; idest in eo sensu quod declarationes istae ignorantiam tollant, qua excusabantur subditi a legis dubiae observatione. Quippe lex, utpote dubia non obligat sub culpa, quia ignorabatur an revera in tali sensu existeret. Ideoque declaratio dicitur vim legis habere, non quatenus sit nova lex, sed quia facit ut lex dubia, cuius efficacia, ex parte suspendebatur, iam totam suam exerat efficaciam. Ergo legis dubiae declarationes proprio sensu novae leges dici nequeunt.

Quod autem declarationes huiusmodi obligent absque promulgatione, facile evincitur. Exigit enim bonum commune et recta communitatis gubernatio ut legislator legum dubiarum sensum declarare possit, quia, ait Suarez, *Interpretatio haec saepe est necessaria ad bonum commune;* et eiusmodi declarationes illico reddere obligatorias. Quod dubiae leges declarari debeant innuit Suarex *de legibus lib. 6, cap. 1.n.5.*

» ibi » Nam haec est humana con-
» ditio ut vix possit homo tam per-
» spicuis verbis sensum suum ex-
» plicare, quin ambiguitates et du-
» bia nascantur; praesertim quia lex
» humana loquitur breviter et in
» generali; et in applicatione ad
» varios casus in particulari oriun-
» tur frequenter dubia. » Sed lex dubia neque ad poenam neque ad culpam obligat; ideoque continuo controverteretur an actus gesti contra eamdem legem validi vel irriti fuerint: ex quo etiam perpetuae lites recurrerent.

Quod autem legislator habeat a Deo et a iure naturali potestatem reddendi obligatorias huiusmodi declarationes, absque promulgatione, colligi potest ex detrimentis et incommodis, quae communitati obvenirent contrarium admittendo. Ex dictis enim lex dubia declarari debet; ast si legislator eiusmodi declarationes reddere universaliter obligatorias nequiret, nisi per promulgationem, obstringeretur tot Constitutiones solemniter promulgare ad diluenda illa dubia, quot essent leges interpretatione indigentes. Et onus importabile fieret, si Romani Pontifices deberent omnes legum dubiarum interpretationes, per totitem Pontificias Bullas solemniter publicare. Perpendatur tantummodo quot intervenerint declarationes quoad Tridentina decreta recte intelligenda; et ingentem difficultatem quivis videbit in regimine ecclesiae orituram.

Verumtamen admissâ hypothesi quod legislator legum dubiarum declarationes reddere valeat obligatorias, absque promulgatione, omnibus incommodis facile occurritur. Etiam antiqui Imperatores coetum iuris peritorum constituerunt, ceu R. Pontifices coetum Cardinalium S. C. Congregationem constituentium deputaverunt. Et *responsa prudentum* seu iurisconsultorum, quos ad declarandum legum sensum constituerant, vim legis universalis habebant, quoniam iudicibus ab eisdem recedere vetitum erat; et tamen non promulgabantur; sed eorum notitia paulatim acquirebatur; quae divulgatio sufficiens erat ad tollendas lites et determinandum legum sensum.

Hunc effectum obtinent hodie S. C. Congregationis resolutiones; quamvis non promulgatae: has enim paulatim cognoscunt canonistae et theologi; et in suis libris referunt. Et iam innumerae sunt dubitationes et lites quae iamdudum moveri desierunt, eo quod a S. C. C. decisae fuerunt; et eiusmodi decisiones per scripta et citationes doctorum fide dignorum, fuerunt ita divulgatae, ut de earum authenticitate rationabiliter dubitari nequeat. Et sic Summus Pontifex intentum finem sufficienter attingit, removendi nempe dubia et lites circa ecclesiasticarum legum sensum.

Refutata ergo contraria sententia, nobis, candide fatemur, semper arrisit opinio illa, quae tuetur Sa-

crae Congregationis Concilii declarationibus, etsi non promulgatis, inesse vim legis universalis, dummodo constet eas esse authenticas (1). Et re quidem vera relatum iam est quod S. Pius V Sedi Apostolicae reservaverit facultatem interpretandi Concilium Tridentinum; quam deinde facultatem per Sixtum V eidem Congregationi impertitam fuisse constat. Ex qua re fit quod Congregatio haec non suâ, sed Pontificiâ utatur auctoritate in his decretis interpretandis.

In *l. 1. Cod. de veter. iur. enucl.* formalis prostat textus, qui ad rem nobis facere videtur, nostramque firmare sententiam ex comparatione legis Ecclesiae cum civili lege. In ea Iustinianus prohibet ne ad suum Codicem edantur commentaria; ceu Pius IV ea facere prohibuit ad Tridentini decreta. Imperator autem dicit prudentibus iurisperitis interpretandarum legum auctoritatem sacratissimos Principes tribuisse; quemadmodum illam auctoritatem tradidit S. C. Congregationi Sixtus V. Demum declarat Imperator prudentum (2) interpretationes habere legis auctoritatem, tamquam si eorum studia ex principalibus Constitutionibus profecta et a nostro divino fuerint ore perfusa: quia merito *omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur*. Pariter cum Pontifex sit origo et causa auctoritatis S. Congregationis, quae eius nomine agit, debet etiam esse causa interpretationum ab ea editarum.

Neque obliviscendum praeterea Sixtum V. Congregationi Concilii facultatem concedere Tridentinum interpretandi, adiectis verbis, *Nobis tamen consultis*. Quae verba non recurrunt cum magistri aut iudices interpretantur canones. Ergo dicendum manet: ideo R. Pontificem voluisse prius se consuli a Congregatione ut illius declarationes maiorem acciperent firmitatem ex Pontificiâ consultatione, et ius constituerent quod omnes obligaret.

Ex ipsa pluries citata constitu-

(1) Ad probandam authenticitatem declarationum quaerunt nonnulli easdem produci deberi cum subscriptione Secretarii et consueto sigillo; sed sufficere videtur, ex opinione plurium, pro certioranda eiusmodi authenticitate, si auctores plures et omnino fide digni testentur se eas excripsisse ex regesto authentico, nec ullae adsint circumstantiae quae illas suspectas reddant. Quapropter Fagnanus ad *Caput Quoniam de Constitutionibus n. 59* ait: *Quinimo, ut inquit Salas... recte facit Iudex, qui declarationes S. Congregationis, quas invenerit apud aliquem probatum auctorem, ut veras habuerit et sequatur, etiamsi nec a parte allegentur nec producantur, adiiciens in foro conscientiae teneri unumquemque eas sequi si de illis sufficientem notitiam habuerit...*

(2) *Responsa prudentum sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere. Nam antiquitus constitutum erat ut essent qui iura publice interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui iuris consulti appellabantur; quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenebant, ut iudici recedere a responsis eorum non liceret, ut est constitutum. Institutionum l. 1. tit. 2 §. 8.*

tione aliud colligitur argumentum favore opinionis, quam sequimur. Namque in eadem loquitur Pontifex primo de auctoritate interpretandi dubia quoad fidei dogmata, quam sibi reservat; agit deinde de auctoritate interpretandi dubia, quae respiciunt morum reformationem, disciplinam et ecclesiastica iudicia: Et hanc auctoritatem S. Congregationi concessit; ast auctoritas quam in primo casu Pontifex sibi reservavit est Apostolica et ius constituit quoad omnes. Ergo etiam auctoritas interpretandi, quam in secundo casu Papa tribuit S. Congregationi, est Apostolica, et ius constituere debet quod omnes obstringat. Idque magis roboratur animadvertendo quod exceptio Apostolicae auctoritatis interpretandi dubia ad fidem pertinentia, quam Pontifex sibi reservat, declarat regulam secundae auctoritatis interpretandi dubia ad reformationem spectantia, quam tribuit Congregationi, esse similiter intelligendam de Auctoritate Apostolica. Nam ad naturam exceptionis pertinet ut eximat se a genere, et declaret praedicta generis esse debere eiusdem qualitatis cum exceptione; alias exceptio non esset de regula, et esset illusoria. Observandum quoque venit quod tum in Constitutione Sixti V tum in aliis Apostolicis litteris S. C. Congregatio dicitur praeposita decretis Tridentini interpretandis et exequendis. Ast auctoritas exequendi concipi nequit absque necessitate parendi quoad omnes; quod colligitur etiam ex Constitutione Pii IV a qua tribuitur Congregationi, pro Concilii executione, amplissima auctoritas procedendi poenis et censuris ecclesiasticis etiam usque ad officiorum privationem. Ergo etiam auctoritas interpretandi inducere debet quoad omnes necessitatem parendi; quia utrumque ius tum interpretandi, tum exequendi ab eodem fonte Apostolicae potestatis manavit: et quia quae procedunt a pari potentia et virtute sunt unius effectus.

Insuper quod Cardinalium auctoritas censeri debeat Apostolica in dubiis et causis decidendis, deduci potest tum ex veteri, tum novo testamento ut ait Innocentius in *cap. Per venerabilem:* exponens verba illa Deuteronomii: « *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum intra portas tuas videris verba variari, venies ad Sacerdotes Levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore; qui iudicabunt tibi iudicii veritatem, et facies quaecumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Dominus. . . . sequerisque eorum sententiam:* sic ait: Sunt autem Sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis iure Levitico in executione Sacerdotalis officii coadiutores existunt. Quae verba intelligenda esse de Cardinalium minime vero de Episcoporum auctoritate

praeter Canonistas quamplures, erui quoque ex Epistola decretali Eugenii IV ad Archiepiscopum Cantuariensem.

Tunc enim verificantur simultanea illa verba Deuteronomii: Ipsi, idest Summus Pontifex, et eius fratres Cardinales, seu Cardinales ab ipso auctoritatem habentes, iudicabunt tibi iudicii veritatem. Eorum autem decisioni necessario parendum esse aperte demonstrant verba sequentia: et facies quaecumque dixerint, sequerisque eorum sententiam etc. Ideoque Congregationes Cardinalium, quas Summi Pontifices, et praesertim Sixtus V. instituerunt ad causarum difficultates ipsius Pontificis auctoritate cognoscendas et definiendas, sunt tamquam filiae consistorii ab eo veluti fonte promanantes (1).

Animadversione quoque dignum videtur quod declaratio legis ab eo facta, qui a principe seu legis conditore ius habet legem interpretandi, essentialiter non differt a lege declarata. Ergo eandem auctoritatem et obligandi vim habet quam ipsa lex. Nam qui declarat novum ius non inducit, sed tantum detegit, quod prius latebat (2).

Ex litteris citatis Gregorii XIV, s. Congr. Concilii auctoritatem habet scribendi nomine Pontificis; ergo dubitari nequit quod eius rescripta censeantur Papalia et Apostolica. Et confirmat constans praxis assertum: nam teste Garcia *de Beneficiis, tomo 1. in praefatione,* S. C. Congregatio sic rescripsit cuidam Abbatissae Messanensi: *eadem ratio habenda est in his quae scribuntur a Cardinalibus S. C. Concilii Tridentini, nomine ipsius Congregationis, ac si a Papa scripta essent.*

Argumentis adductis consonat, quod s. Congregationis rescripta appellari consueverunt declarationes, resolutiones, decisiones.

Declarare autem nihil aliud est, quam aperire seu manifestare super aliqua lege seu constitutione intellectum sive sensum, quem habuit Princeps tempore editionis legis, quando scilicet lex est obscura vel erratur in eius intellectu.

Similiter resolvere nihil aliud est quam ambiguitatem explicare, seu enodare; unde legis obscuritas appellatur nodosa, idest involuta.

Idem decidere cum proprie idem sit ac abscindere, seu succidere per translationem significat rem dubiam

(1) Et sicuti sol non solum ipse lucet, verum etiam stellis impertitur lumen; quo et coelum ornant et illuminant universum orbem; sic Summum Pontificem non suis decretis tantummodo Ecclesiam per seipsum docere et moderari; verum etiam ita Cardinales sua tum auctoritate fulcire; tum potestate augere ut sociatis laboribus facile omnes difficultatum nodos dissolvant.

(2) Similitudo, qua Iurisconsulti utuntur ad exprimendam declarationis naturam, rem confirmat nostram. Eiusmodi similitudinem deducunt a *nucleo*, qui in nuce clauditur, eaque confracta enucleatur. Enucleare ergo est quasi nucleum alicuius rei eruere: et quia lex cum explicatur, eius perplexitas et dubietas instar nucis frangitur, enucleari dicitur.

dirimere; nam cum lex declaratur, quasi certum a dubio secernitur, et obscurum subiicitur.

Eruitur ergo ex relatis rescribendi formulis declarationes s. Congregationis Concilii, auctoritate Apostolicâ editas, nil aliud esse essentialiter, quam decreta ipsa Tridentini ex se obscura ac dubia, male ab aliquibus intellecta, explicatione dilucidata et clarificata; hinc necessario sequitur ut obligandi vim habeant decreta ipsa declarata.

Advertunt tamen auctores nonnulli quod ut constitutio obliget sub mortali, debeat praecipere aut prohibere; verum s. Congregationis C. declarationes nil praecipiunt aut prohibent, sed tantum significant quod agere oporteat. Cui animadversioni respondetur; satis est ut praecipiant aut vetent decreta ipsa Tridentini, cui declarationes eaedem insunt; nam qualitates omnes legis declaratae censentur inesse illius declarationi; etenim obligatio ad culpam et poenam oritur ex lege declarata, non ex declarante ut innuit Vitalin. *in Clem. unica n. 7. de immun. Ecclesiae.*

Adversus eiusmodi doctrinam aliquis obiicit: absurdum esse assensum praebere declarationibus S. C. Concilii, quae saepe contradictoriae sunt. Ad hoc respondetur nos non egisse de decisionibus factum aliquod respicientibus, quas s. Congregatio saepe edit, quasque mutat et retractat ex novis documentis et informationibus; sed egisse de decisionibus, quibus Tridentinorum sensus declaratur. Et quoad istas ait Fagnanus ad *Caput quoniam de Constitutionibus n. 56* « falsam et » commentitiam esse hanc multiplicem declarationum repugnantiam: quandoquidem spatio quindecim fere annorum quo fuimus » s. Congregationibus a Secretis, » nunquam contigit ut Congregatio » ex deliberatione retractaverit ullam resolutionem prius editam. » Nec anteactis temporibus in scripturis et libris publicis usquam » reperi, eam ex proposito recessisse a decisis, nisi in duobus » casibus. » Quod si in his declarationibus nonnullae adesse contradictoriae videantur; advertendum est saepe deprehendi, eas non esse tales si factorum diversitas et circumstantiae sedulo expendantur. Sin autem conciliari ullimode possint, posteriores derogant prioribus, et subditi successive tenentur utrique obedire resolutioni contradictoriae; quoniam exigit bonum commune ut legitima auctoritas possit decidere et quidem obligatoria decisione, quomodo in praxi subditi se gerere debeant. Etiam leges multae sibi contrariae reperiuntur; nec tamen inferri potest eas virtute obligandi carere, cum debeant invicem conciliari si commode id fieri possit; alioquin posterior priori derogat.

Quapropter ad conclusionem properantes nobis colligere posse videtur tum ex refutatione contrariae sententiae, tum ex adductis favore

testimoniis et argumentis firmam manere thesim nostram quae sic concipi potest. *Universaliter obligant declarationes s. Congregationis Concilii, etsi non promulgatae, dummodo de ipsis certo constet; ita ut sine gravi culpa post haberi nequeant.* Quam doctrinam evidens est defendi ab auctoribus magni nominis non tamquam meram et liberam opinionem, sed tamquam obligatoriam et omnino in praxi sequendam ita ut opinio contraria neque probabilis sit; quod a Prospero Lambertini (dein Benedict. XIV) *instit. 10 n. 6* confirmatur « Neque illae excusationis causae admittuntur... » nempe s. Congregationis Decretis legem minime induci et sine » culpa violari, cum promulgari » non consueverint. Nam cum lex » aliqua iam palam innotuit, necesse non est ut eodem pacto reliquae sanctiones publice dirigentur, quibus eadem lex magis declaratur. Cum vero illam legem » indicant, qui non modo auctoritate praediti sunt, sed etiam soli » possunt Tridentinum Concilium » explicare ideo utrumque forum » iure complectitur. Item supervaneum est ad eam rationem confugere, huiusmodi decreta ad illos solum pertinere, pro quibus » constituta sunt. »

Neque auctoritas Monacelli in themate omittenda est: quem diu versatum fuisse in Romana Curia ait Lambertinius. Ipse in suo *Formulario legali part. 2 tit. 16* formula 2 n. 18 de s. Congregatione Concilii sic loquitur: « Ad quam » privative pertinet ius Concilium » interpretandi et obligandi subditos Ecclesiae ad observantiam suarum declarationum in utroque » foro: quia cum fiant auctoritate a » Papa Cardinalibus tradita interpretandi Concilium. . . . eorum » decreta non differunt a lege declarata. . . . et ideo non sunt novae leges, sed ipsae leges Concilii, prius obscurae et dubiae aut » male intellectae.

Confirmatur id etiam auctoritate s. Rotae: « *Rota Romana,* inquit Zamboni *Supplemento praefationis pag. 97*, S. Congregationis Concilii declarationes, absque » ulla oppositione vel ambiguitate » reverenter recipit atque omnimode observat; et etiam ipsas » suas decisiones reiicit, quando in » contrarium adsunt declarationes » s. Congregationis. »

Ultimi instar argumenti adducimus auctoritatem Summi Pontificis ipsius. Tridentinum *Sess. 23 cap. 7* Episcopo sacras ordinationes facturo iniungit ut « *Ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores doctrinam, et fidem diligenter investiget et examinet* » Orta hinc controversia an ex obligatione examinandi ordinandorum genus sequeretur posse aut debere Episcopum ordinandis, a iudaica vel haeretica stirpe oriundis, ordinationem denegare. Declaravit S. C. Concilii, ceu refert Clemens VIII

in sua *Constit. Cum ex iniuncto,* « *Quod Episcopus. . . eos qui originem a Iudaeis ducunt, quique ab haereticis descendunt, per paternam lineam, nimirum ultra secundum et per maternam ultra primum gradum, ab ordinatione excludere minime deberet.* » Non obstante illa s. Congregationis decisione, Pacensis Episcopus eos, qui a Iudaeis vel haereticis originem trahebant, ordinare renuebat. Eum s. Congregationis nomine litteris commonuit Cardinalis Matheius de praefata declaratione, et ut eidem declarationi suam agendi rationem accomodaret. Eum renuentem severe redarguit Clemens VIII, dicta *Constit. Cum ex iniun.* in qua sic se habet: « *Tu nihilominus litteris et Ordinationi Congregationis huiusmodi, quod quidem moleste tulimus, adhuc minime paruisti. Proinde nos. . . Fraternitati tuae, per praesentes, in virtute sanctae obedientiae, ac sub indignationis nostrae, aliisque arbitrii nostri poenis districte praecipimus et mandamus, ut iuxta dictas Congregationis sententiam. . . . supradictas personas quoscumque ab haereticis per paternam lineam ultra secundum, et per maternam ultra primum gradum vel a iudaeis originem trahentes... a sacris ordinibus in posterum minime excludas.* »

Sane si declarationes fuissent dumtaxat doctrinales, et vim obligandi non habuissent, Episcopus iste neque corrigi neque puniri poterat. Nam in hypothesi quod eum declaratio non ligaret, neque a Tridentino decreto ligabatur utpote dubio et controverso. Attamen s. Congregatio eum commonuit, et summus Pontifex eum acriter corripuit poenas minatus nisi obediret: ergo tamquam omnino certum habitum est obligatoriam fuisse declarationem, etsi, more legum, non promulgatam.

DUBIA SUPER MATRIMONIO

www.libtool.com.cn

Die 15 Decembris 1877

Per summaria precum

Reverendissimus Episcopus M. literis S. C. Congregationi datis die 30 Aprilis volventis anni, quae sequuntur exposuit: » 1. In Sabaudia haud in praxim deducta est Bulla *Dei miseratione* felic. record. PP. Benedicti XIV. Vi huiusce Constitutionis, nefas est coniugibus novas inire nuptias nisi » post duas conformes sententias in duabus dioecesibus latas » de impotentia relativa et perpetua. Petitur an tolerari possit consuetudo permittendi novas nuptias post unam sententiam, an vero necesse sit praedictae constitutioni simpliciter stare? 2. Lex civilis gallica non agnoscit impedimentum impotentiae, ita quod mulier, quae vult Ecclesiae legi obtemperare atque discedit a viro, vi auctoritatis publicae cogatur permanere in domo viri. Unde petitur quaenam esse debeat agendi ratio Episcopi, Parochi et Confessarii erga impotentes, qui non separantur ab invicem. »

Disceptatio synoptica

EA QUAE CONSUETUDINI FAVENT. Ad primum igitur, quod spectat dubium, consuetudo, quae in Sabaudia contra benedictinam constitutionem iamdiu inolevit, toleranda videtur. Neminem etenim fugit consuetudini tantam esse vim, ut ipsa quamcumque humanam legem destruere valeat *cap. ult. de consuet.* Quod si haec de longaeva consuetudine suis numeris absoluta dici queit, a fortiori licendum est de consuetudine immemorabili, quaeque ex se sola habet vim supremae legis et potestatis ut notat *Trobat. de effect. immemorab. quaest. 12*

art. ult. num. 162. Gratian. discept. forens cap. 572 num. 11 Rota decis. 29 num. 1 et seqq. part. 7 rec. adeo ut illam pro se habens dicatur habere totum id quod ex iustitia, vel gratia potest concedere vel imperator, vel summus Pontifex ad notata per *Bald. in leg. De quibus ff. de reg. iur Gratian. loc. cit. cap. 378 num. 19 Rota decis. 393 num. 4* et *5 part. 19 recent.* Atqui in facto est consuetudinem, de qua agitur immemorabilem esse; siquidem de eius origine nullum extat vestigium et ipsius Constitutionis publicationem longe exsuperat. Ergo sustinenda videretur.

Neque dicatur consuetudinem hanc abolitam fuisse ab eomet Pontifice in recitata Constitutione prouti facile patet ex §. 46 – ibi – « Demum volumus, ac decernimus praesen- » tes literas semper firmas, validas, et efficaces existere . . . » Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordina- » tionibus apostolicis necnon quibusvis etiam iuramento, con- » firmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis sta- » tutis et consuetudinibus . . . » Siquidem primo refert Episcopus ipsam Constitutionem in actu numquam fuisse traductam. Atque tradunt Doctores, decennii lapsum satis esse ad praescribendam legem, statutum, aut constitutionem, quae non fuerit ab initio recepta *Cephal. cons. 130 lib. 1, Suarez de Leg. lib. 5 cap. ult.* secundo quia a publicatione praedictae Constitutionis, a die nempe 18 Maii 1743 plusquam centum anni effluxi sunt. Iamvero scitum in iure est centenariam aequiparari immemorabili ipsamque apostolicum inducere beneplacitum iuxta Rota *decis. 624 num. 8 coram Olivatio* » ibi – « Spatio enim centenariae, cursuque aetatis tam pro- » lixo . . . Beneplacitum Apostolicum inducitur, et interces- » sisse praesumi debet, quamvis non probatum. » Omnibus igitur rite perspectis concludendum videtur quod consuetudo in themate non modo toleranda, sed et pro lege esset habenda.

Ea quae contra consuetudinem prostant. Ex adverso vero perpendendum est, quod lex de duplici sententia conformi super dissolutione matrimonii dirimenti impedimento initi,

a Benedictina Constitutione primum invecta fuit, proindeque in hoc articulo immemorabilis consuetudo neutiquam dari aut allegari valet. Revera impossibile est immemorabilem existere potuisse antequam recitatae Constitutionis dispositio superveniret, quia cum eo tempore istiusmodi lex nondum in orbe catholico fuisset introducta, non intelligitur quomodo nasci potuerit consuetudo, seu praescriptio super ea; quod enim natum non est praescribi nequit, nec valet immemorabilis allegari quoad ea quae superveniunt de novo, ut tradit *Rota coram Puteo decis. 150 num. 2 vers. immo lib. 1. in correctis, et coram Bicchio decis 386 num. 32.*

Multoque minus immemorabilis desumi posset a publicatione ipsiusmet Constitutionis, quia dato initio non amplius datur immemorabilis, sed solum centenaria. Ista autem nec minus valet allegari primo propter ipsius irrationabilitatem. Huiusmodi enim diiudicandae sunt consuetudines, quae tendunt, ut eos ipsos abusus iterum gignant ad quos compescendos lata lex fuit. Audiatur sane *De-Angelis* in neoterico opere *Praelection. Iuris Canon. tom. 1. tit. 4 num. 12* – ibi = « Nam si praeexistens consuetudo, abolita est ut corruptela » vel in futurum enascens consuetudo, abusibus det locum » vel iisdem, vel aliis, propter quos abolita fuit tum profecto inolescere nequit; equidem propter defectum rationabilitatis, quae prima est, et essentialis praerogativa consuetudinis. » Atqui Constitutionem Benedictinam ad abusus compescendos edita fuisse vix §. 1. legenti patet – ibi – « Ad » commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus sub» nascentes ex infernalis hostis astutia, et hominum malitia » abusus quibus et animarum saluti pernicies, et Sacramentis ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere . . . » Ergo nullimode ipsa valet allegari. Eo vel fortius secundo quia decretum irritans quo ipsa extat munita adeo irritat omnem contrarium actum, ut non permittat ullo tempore aliquam inchoari posse consuetudinem, vel praescriptionem etiam centenariam, ut communiter affirmant *Card. De Luca de Iurisdict. disc. 93 num. 7 et 8, Pignat. cons. 134 num. 16*

tom. 1, Garz. de Benef. par. 5 cap. 4 num 179 et seq., Rota decis 317 num. 12 et seqq. part. 16, et *decis 22 num. 18 et decis 192 part. 18 rec.* Per huiusmodi enim decretum Pontifex non modo existentes immemorabiles destruit. *Piton. Discept. Eccl. 22 n. 16* verum etiam consuetudini futurae resistere vult, eamque abrogare, *Rot. coram Celso decis. 200 num. 6 coram Merlino, decis. 814 num. 6, in Rec. decis 574 num. 27 parte 4 tom. 3, et decis 217 num. 6 part. 7.* Iamvero praefatam constitutionem decreto irritanti esse munitam patet prae ceteris ex §. 16 ubi legitur: « sublata eis (iudicibus ordinariis et delegatis etc.) et eorum » cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et » auctoritate, ubique iudicari, et definiri debere, ac irritum, et » inane, si secus super his a quodam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. » Hisce igitur breviter attentis perfacile evinci videtur quod consuetudo in themate veluti abusus et iuris corruptela esset abroganda, et Constitutio *Dei Miseratione* in actu modo traducenda.

Ad secundum dubium descendens certum est, ex communi Canonistarum et Theologorum doctrina, quod declarata ad tramites iuris matrimonii nullitate, haud amplius coniuges maritalis vitae consuetudine uti valent. Quare possent remoto periculo peccandi simul cohabitare habentes se invicem tam quam frater et soror, quemadmodum antiqui Ecclesiae canones exoptarunt, *cap. 4 de frigid. et maleficiat.* non vero carnalem copulam pertentare. Hinc prolata duplici sententia conformi super matrimonii nullitate prae oculis habita animarum salute prudentiae erit parochi, confessarii, et Episcopi innocenti mulieri coactae a civili lege cum praetenso viro cohabitare ea suggerere remedia, quae ipsi in casibus particularibus magis in Domino expedire iudicabunt.

Hisce breviter delibatis remissum fuit decernere EE. PP. sapientiae et prudentiae quid propositis dubiis esset respondendum.

RESOLUTIO

Sacra C. Concilii sub die 15 Decembris 1877 causam ponderavit et respondit:

Ad 1. Servandam esse Constitutionem Benedicti XIV.

Ad 2. Vivant uti frater et Soror; quod si id fieri non possit sine peccati periculo separentur omnino.

EX QUIBUS COLLIGES

I. Consuetudinem neque dici neque allegari posse uti immemorabilem quoad ea quae superveniunt de novo et in quibus initium datur; sed in istis ad summum allegari posse centenariam.

II. In themate consuetudinem haud posse censeri immemorabilem; eo quod praecedere non potuerit dispositionem Constitutionis Benedictinae, et super ea praescriptionem inducere antequam promulgaretur in orbe catholico.

III. Defectum rationabilitatis, quae prima est et essentialis praerogativa consuetudinis, efficere ut nequeat induci consuetudo quae abusibus locum praebeat vel iisdem propter quos abolita fuit vel aliis novis quibuscumque.

IV. Omnem praeter dubitationem positum esse Constitutionem *Dei Miseratione* latam fuisse ad radicitus evellendos abusus *subnascentes ex infernalis hostis astutia* et hominum malitia; quibus et animarum saluti pernicies et sacramentis Ecclesiae iniuria infertur.

V. Constitutiones pontificias, quae *decreto* irritanti muniuntur nedum destruere praeexistentes immemorabiles consuetudines, verum etiam omnem irritare contrarium actum; ita ut neque inchoari permittant consuetudinem.

VI. Constitutionem *Dei miseratione decreto irritanti* muniri facile deprehendi, precipue ex ipsius Constitutionis verbis *sublata eis* (iudicibus nempe ordinariis et delegatis) *et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate.*

VII. Quapropter ut damnabilem abusum reiiciendam esse consuetudinem in themate ; qua fit ut post unam sententiam super impedimento impotentiae liceat partibus ad novas nuptias transire (1).

www.libtool.com.cn

PRAEBENDAE THEOLOGALIS

Die 15 Decembris 1877

Per Summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Inter supplices libellos pro Congregatione diei 5 Augusti anni 1876 fuerunt quoque preces Canonici Theologi B. (2) simulque professoris Theologiae Dogmaticae in patrio Seminario. Qui ut tuta conscientia procedere posset a S. C. C. declarari expetivit.

1. An gratis docere sibi opus esset Theologiam Dogmaticam, ut ab onere S. Scripturae explanandae eximeretur.

2. An in hypothesi responsi affirmativi, onus docendi gratis sese extendat ad omnes unius anni scholastici lectiones vel tantum ad numerum, qui aequet lectionum S. Scripturae summam a Canonico Theologo peragendarum.

(1) Benedictus XIV sua Constitutione, cuius initium, *Dei miseratione*, voluit omnino protueri sanctitatem et indissolubilitatem matrimonii contra iudices qui temere aut inconsiderate huiusmodi ligaminis vincula facile infringebant. Quapropter praeter alias complures solemnitates ad hoc praescriptas quoad processum ordinandum adiecit: §. 11. « *Instructo autem in hunc modum iudicio, si secunda sententia alteri conformis fuerit, hoc est si in secunda aeque ac in prima nullum atque irritum matrimonium iudicatum fuerit, et ab ea pars, vel Defensor pro sua conscientia non crediderit appellandum, vel appellationem interpositam prosequendam minime censuerint, in potestate et arbitrio coniugum sit novas nuptias contrahere.* »

(2) Videsis causam hanc relatam his in ephemeridibus Vol. IX pag. 505 et seqq. et appendicem pag. 510.

3. An diebus quibus in schola lectiones tradit, loco scripturalium lectionum, a choro dispensetur pro tota die, vel tantum ab horis quae illis scholae conveniunt.

Sub die 2 Septembris 1876 S. Congregatio Concilii respondit: *Canonicum B. teneri ad lectiones Scripturales; attentis tamen peculiaribus circumstantiis indulgendum ei, ut abesse possit a choro diebus, quibus vacat scholae theologiae dogmaticae.*

www.libtool.com.cn

Rescriptum huiusmodi haud arrisit Canonico B. quandoquidem existimaverit s. Congregationem in hanc devenisse sententiam, quia retinuerit ipsum stipendium recipere pro theologia dogmatica in seminario explananda. Quapropter ut aequivocum praesumptum removeret iterum quaesivit Canonicus ille.

1. An in sua esset facultate, doctrinae Benedicti XIV nec non variis S. C. Congregationis resolutionibus inhaerendo, de Ordinarii consensu, sufficere lectionibus S. Scripturae lectiones Theologiae Dogmaticae, quas ipse gratis tradit Clericis Seminarii patriae suae.

2. An in casu responsi affirmativi teneatur orator adesse in choro totis horis, vel aliquibus tantum in diebus, quibus Scholae lectionibus incumbit.

3. In casu autem responsi negativi, Orator humiliter exorat ut sibi indulgeatur posse oneri lectionis sacrae scripturae satisfacere per lectiones theologiae dogmaticae in schola Seminarii.

Ordinarius a S. C. Congregatione rogatus votum favore petitionum Canonici emisit.

Disceptatio Synoptica.

Quoad primum dudium. Pauca super singulis dubiis ex officio animadversa fuere. Relate ad primum observatum fuit: licet S. C. C. pluries doctrinam Benedicti XIV amplexata fuerit ceu in *Hispana 5 April. 1576; Fulginaten. 3 Iulii 1784; Nullius Sublacen. 11 Apr 1576;* ab hac sententia

tamen recessisse videtur post publicationem Encyclicae Gregorii XVI. « *Inter praecipuas machinationes* » Re sane vera *in Derthonen. 27 Iulii 1844 Visitationis SS. LL.* proposito dubio. III. « *An et quomodo sit annuendum postulatis super commutatione Lectionis Sacrae Scripturae in casuum conscientiae explicationem in casu* » responsum fuit: « *non expedire et Episcopus curet executionem nuperrimae Encyclicae SSmi. Domini Nostri.* » Ita pariter in *Casalen. Praebendae Theologalis* habita sub die 26 Iunii 1847 dubio proposito : *An et quomodo Theologus parere debeat mandatis Episcopi circa lectiones S. Scripturae instar concionis habendas, habita praecipue ratione sensus mystici et moralis in casu.* » respondit: *Negative et servetur lectio biblica ad tramites Conc. Trid. sess. 5. cap. 1. et prout exponitur in Conc. Roman. anni 1725 tit. 1. cap. 8.* » In *Cuneen. Praebendae Theologalis 18 Aprilis 1863* dubio 1. « *An et quomodo Canonicus Theologus officio Praebendae Theologalis satisfacere dicendus sit collationibus Biblicis in casu* » Respondit : « Ad I. *Negative in omnibus et amplius.* »

Nec videtur Orator rem acu tangere dum edisserit: quum putaverit s. Congregatio Oratorem recipere stipendium scholae, de plano resolvit eumdem teneri lectionibus S. Scripturae ; ast cum id a veritate absit, orator iterum petit... Nam s. Congregatio agnoscebat stipendium a Seminario repensum Canonico B. dum Ordinarius eius loci iam scripsisset s. Congregationi « *referimus stipendium huius Seminarii Theologiae ludi magistro assignatum non excedere summam libellarum 166 annuatim.* Imo ipsemet orator cum iusto veritatis studio ferebatur quaerebat « *An obstringeretur gratis Theologiam dogmaticam tradere, ut dispensaretur ab onere faciendi lectiones S. Scripturae.* Quapropter cum minus dignum sit proprio testimonio resistere, videretur quod audiendus non esset Canonicus B·

Quoad dubium secundum. Observandum esse videtur quod indultum concessum deberet intelligi pro diebus et horis. Lectores enim qui in publicis universitatibus docent S. Theo-

logiam indulto absentiae donari statutum est in *Cap. super Specula 5 de Magistris,* ubi Glossa V. *Integre* haec addit: *Non tamen percipiant quotidianas distributiones, quae tantum residentibus dari consueverunt.* » Hanc iuris canonici regulam semper sectata est S. Congregatio, et indultum concessit Archipresbytero Caliendi, ut Theologiam in Dioecesano Seminario Feretrano doceret, pro solis horis matutinis et diebus, in quibus haberentur lectiones, et ad triennium amissis distributionibus favore inservientium ut in Feretrana *Indulti 12 Iulii 1817.* Pariter in Romana *Dubia Indultorum* 6. Maii 1820 proposito V dubio « *An et quomodo sit concedendum Iudultum Lectoribus in publicis Universitatibus* » respondit ad V. « *Affirmative pro diebus et horis, omissis etc.*

Altera autem ex parte videretur Indultum fore intelligendum pro tota die; eo quod ex disciplina S. Congregationis traditum est Canonicum Theologum suos facere fructus et distributiones quotidianas nedum tempore et hora in quibus docet, sed tota die, etiamsi choro non inserviat. Ita in *Bisarchien. 26 Septembris 1857* proposito dubio III. « *An canonicus diebus quibus docuit et docet sit immunis a choro pro tota die ad effectum lucrandi quotidianas distributiones in casu,* » responsum fuit « *Affirmative.* » Quod in aliis compluribus adiunctis responsum fuit ab eadem s. Congregatione.

Quoad tertium dubium. Visum est quod responso negativo esset dimittendum; defectus enim auditorum minime excusat ab habenda sacrarum scripturarum lectione. Idque probatum fuisse per complures resolutiones: ceu in *Fundana 15 Octobris 1618,* et in *Cuneen. Praebendae Theologalis 18 Aprilis 1863:* proposito dubio « *An et quomodo Canonicus Theologus ob defectum auditorum, tenuitatem reditnum et consuetudinem ab officio Praebendae theologalis adimplendo exemptus reputari valeat in casu.* » Reposuit: *Negative in omnibus et amplius.*

Perperam Orator ut se ab onere explicandi Sacras Scripturas levaret, extollit utilitatem Seminarii, utpote quod hoc

in casu, impensam non portaret pro cathedra Theologiae dogmaticae. Etenim quod ipse exponit utilitatem privatam Seminarii respicit ; dum e converso S. Scripturae expositio atque interpretatio bono publico christiani populi consulit.

Notatum quoque fuit ex officio favore Oratoris quod cum agatur de tradenda theologia dogmatica, id in utilitatem quoque publicam redundare videtur. Et scitum est in iure recedi posse a regulis iuris communis ex causa publicae utilitatis multaque permitti, quae alias essent prohibita.

Quibus animadversis quaesitum fuit ab Emis. Patribus quonam responso essent dimittendae preces Canonici B.

Resolutio. Sacra C. Concilii sub die 15 Decembris 1877, re cognita, respondit ;

« *In decretis sub die 2 Septembris 1876 et amplius.* » (1)

(1) Resolutio, ad quam remittit responsum S. Congregationis ita se habet: « *Canonicum B. teneri ad lectiones scripturales; attentis tamen peculiaribus circumstantiis indulgendum ei, ut abesse possit a choro diebus quibus vacat scholae Theologiae dogmaticae.* » Quaestiunculam istam ideo referimus, ut magis innotescat praxis S. C. Congregationis (quae iam maximam constituere videtur) quoad onus Canonici Theologi tradendi lectiones scripturales. Etenim quoties eadem S. Congregatio quaesita est, post Encyclicam Gregorii XVI, cuius initium « *Inter praecipuas machinationes* » quomodo Canonicus Theologus suum implere posset onus, respondit: tradendo lectiones super S. Scripturam. Neque aliud his lectionibus scripturalibus sufficere a quopiam permisit.

EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

www.libtool.com.cn

LEGATI PII

16. Februarii 1877.

COMPENDIUM FACTI Andreas in civitate M. advocatus postremo quo decessit elogio condito die 7 Novembris anni 1849, pluribus relictis legatis (quorum pleraque *ad causas pias*) haeredes universales aequis partibus instituit Theresiam et Gratium suos fratrem et sororem, eosque vicissim vulgariter substituit. Fertur testatorem cuique haeredum litteram tradidisse, eaque ipsis onus imposuisse erogandi libellas 250000 (quae integrae haereditatis valorem repraesentabant) ad duo fundanda hospitia, in quibus pauperes religiosae, morali materialique culturae instituerentur.

Eodem anno 1849 vita functus est Andreas, eiusque bona Gratium inter ac Theresiam divisa sunt. Et haec mortua est anno 1849 die 12 Decembris, variisque relictis legatis pro summa libellarum 30000, Gratium fratrem haeredem instituit, quem iussit, sub expressa conscientiae obligatione, debere illico testamentum condere iusta Andreae mentem, quam ipsi Gratio probe notam adserebat: adiiciebatque ita se res parasse, ut Gratii testamento plenam executionem eiusdem Andreae voluntas haberet.

Fratris bonis et propriis, quae in totum ad libellas usque 300000 evehi dicebantur, pingue possidebat patrimonium Gratius. Hic plura et inter se omnino diversa testamenta fecit, ex qui-

bus eruitur, Gratium semper piam causam prae oculis habuisse, numquam vero hospitiorum fundationem, quam in vulgus ferebatur in Andreae votis fuisse. Prae omnibus notatu dignum est, codicillum die 10 Augusti anni 1852 exaratum, quo haeredibus onus imponebat praelevandi libellas 115127,78, quas ex voto se impendere promisisse aiebat pro reaedificatione Ecclesiae S. Cataldo sacrae: nec non testamentum diei 25 Decembris 1865 quo Carolinam uxorem haeredem universalem institutam, eamdem summam persolvere iubebat Parocho pro tempore S. Cataldi aiens; « huiusmodi legatum se reliquisse propter votum li- » bere ac sponte factum Deiparae cui templum dicatum est, nec » non propter fiduciariam promissionem factam proprio fratri- » Advocato Andreae antequam decederet. »

At his non consonat ultimum elogium diei 5 Decembris anni 1868 : hoc enim Gratius quodcumque testamentum praecedens abrogabat, illud praesertim quod anno volvente 1865 confecerat: et legatis quam pluribus relictis ad libellas 33000 quibus et paroeciae S. Vincentii pauperibus et beneficientiae instituto consulebat, nihil amplius de voto, de promissione facta Andreae fratri, deque Ecclesia S. Cataldi loquutus, haeredem universalem uxorem Carolinam scribebat.

Anno 1869 die 18 Novembris Gratius diem supremum vidit. Eius haereditatem, vi ultimi testamenti, adivit Carolina uxor superstes: de qua, legatis solutis, ipsa nunc libellas circiter 150 mille superesse asserit. Haec autem de bonis sive propriis sive a Gratio relictis mox dispositura, supplex S. Congregationem EE. et RR. adivit petens, ut sibi indicaretur quid factu opus esset ad conscientiam sedandam, atque sanatorias indulctaque necessaria et opportuna consequenda ut de bonis quae possidebat liceret sibi testamento sanguine coniunctorum favore disponere.

Informatione et voto Ordinarii requisitis ,monitisque, ut moris est, interesse habentibus (in casu Minoribus Reformatis S. Francisci ad quos S. Cataldi pertinet Ecclesia) res ad plenam Congregationem delata est.

Disceptatio synoptica.

CAROLINAE IURA. In facto pro certo habitum est, Carolinam haereditatis quam Gratius testamento reliquit, bona fide possessionem nactam fuisse: litterarum in quibus Andreas voluntatem suam pandiderat, genericam tantum habuisse *de auditu* notitiam, deque earum validitate dubitasse, post multa ac inter se diversa Gratii testamenta.

www.ibtom.com.cn

Narratum quoque est oratricem nobili genere natam, viduam, ac improlem, censu laetari haud exiguo: non ita eius fratrem aliosque consanguineos, quos ipsa alit. His, post satisfacta legata a Gratio constituta, ipsam providere velle. Bona ab Andrea proveniéntia, ad libellarum 15000 valorem circiter evehi. Proponere itaque, ut onus consanguineis imponatur ad piam causam solvendi non ultra libellas 15000 ad quincuncem rationem frugiferas, usquedum traditae non fuerint.

In iure animadversum est, quoniam de Andreae voluntate pro certo non constaret, et lateret num revera taxative bini hospitii erectionem haeredibus ille suis imposuisset, num voluntatem suam restringendi aut ampliandi facultatem nec ne reliquisset, num absolutum vel conditionatum huiusmodi onus fuisset; hoc in rerum statu praesumendum esse Teresiam Gratiumque Andreae voluntati satisfecisse, quamvis de hospitiis erigendis nihil dixerint. Notam namque omnibus esse Teresiae et Gratii honestatem ac pietatem: ideoque cum ipsi in propriis testamentis declaraverint se Andreae voluntatem sequutos esse, quodlibet ius circa bini hospitii eretionem exsulare.

Supererant testamenta duo, alterum anni 1865 vi cuius PP. Reformati pro Ecclesia S. Cataldi libellas 115127,78 petebant, alterum anni 1868, quo universalem haeredem Carolinam uxorem suam constituit. Attamen Carolinae opitulari argumentum ex eo desumptum, quod non agebatur in casu de promissione a Gratio exterius pandita, sed de interiori eius animi facto, hoc ipso foro interno subiecto. Promissionem tali modo expressam, pro donatione *inter vivos* haberi non

posse: sed praebere tantummodo actum ultimae voluntatis, hoc est legatum proprie dictum: et reapse legatum a testatore nuncupari.

Hoc posito fundamento, planum esse posteriore testamento anni 1868, et codicillum anni 1852 et testamentum anni 1865 fuisse revocata.

Nec in casu valere causam *Ravennaten. Cappellaniarum* 30 Maii 1837 et 23 Ianuarii 1848 actam coram Sacra Concilii Congregatione; siquidem in ea ageretur de vera ac reali donatione inter vivos, immo de Cappellaniae erectione per publicum istrumentum celebrata, quam posterius testamentum destruere non poterat.

Ex Gratii honestate ac religione validissimam fluere praesumptionem, ipsum nonnisi facultate habita ab ecclesiastica potestate, Andreae voluntatem ac suam commutasse. Etenim anno 1865 cum testamentum conderet, cautum expresse voluit, « se votum suum promissionemque relativam emittere sub conditione, dummodo vigentes leges ac futurae non sint illi adversae: secus se velle haeredem ab omni onere liberam, et tamquam non factum legatum haberi. » Quamobrem promulgatis se vivo in Italico Regno legibus pro religiosorum ordinum suppressione, tenendum esse, ipsum voluisse quamlibet quaestionem adimere, cum praetulerit pium opus pauperum favore reaedificationi Ecclesiae S. Cataldi.

Nihil tandem proficere Patres Reformatos cum testem inducunt tabellionem qui anno 1865 Gratii testamentum recepit narrantem; Gratium per codicillum posterius exaratum conditionem delevisse superius expositam, et iussisse haeredem, quoties leges voto suo adversae essent superventurae, debere parocho *pro tempore* S. Cataldi summas pro Ecclesiae reaedificatione brevi manu tradere. Sat enim esse innuere tabellionem testantem, actum expletum sibique traditum fuisse haud ostendere.

Ceterum nihil esse immorandum ut obiectiones refellantur vel ex Gratii imbecillitate, vel ex Carolinae cupiditate de-

sumptae. De Gratio enim Ordinarium testatum esse: quod licet fuerit parvi ingenii vir et ad cedendum suggestionibus facilis, tamen testandi incapax dici nunquam potuit, Carolinae vero probitatem eximiam ac pietatem, omnem adimere de eius cupiditate suspicionem: ac improbum esse de ea insinuare, quod virum suum fraudibus ac circumventionibus ad testamentum sibi propitium condendum induxerit.

www.libtool.com.cn

Iura Patrum Reformatorum. Ex codicillo anni 1852, nec non ex testamento anni 1865 (quibus *votum* se satisfacere Gratius expresserat pro reaedificatione Ecclesiae S. Cataldi libellas 115127,78 relinquens). Patres Reformati ius suum mutuabantur ad Carolinae precibus obsistendum. Adserebant hi, Carolinam ex Gratii haereditate habuisse Libellas 300000 propriamque dotem libellarum 60 millium possidere; quapropter post soluta legata a testatore imposita, pingue ei patrimonium remanere. Eius fratrem paupertate haud laborare, sed patrimonium possidere ad caput circiter libellarum 250 millium. E converso S. Cataldi paroeciam ecclesia egere nova omnino a fundamentis extruenda, quia quae ad praesens extat in humili civitatis parte extructa, saepe flumine inundatur, ideoque humida est ac insalubris. Insuper ita angusta est, ut decimam populi in dies crescentis partem vix continere valeat.

In iure vero, ante omnia nullitate infectum recens Gratii testamentum contendebant, quippe ab eo conditum cum non amplius sui compos esset. Posita sed etiam testamenti validitate, animadvertebant: Gratium nequivisse testamento anni 1868 praecedentes ultimae voluntatis actus revocare. Etenim codicillum anno 1852 exaratum, exhibere dispositionem quae refertur ad obligationem iam ab eo contractam exequutioni committendam, votumque Deo oblatum nulli conditioni subiectum, vel si melius placeret, ad promissionem praedefuncto fratri factam. Quae cum ita essent, verum dispositionis obiectum esse donationem *inter vivos*, nullo modo retractandam.

Id evinci ex verbis testamenti anno 1865 confecti quia Gratius irrevocabilem atque irretractabilem obligationis suae

exequutionem dixit, et hypothecae subiicienda esse omnia sua bona in eiusdem obligationis securitatem mandavit.

Rebus ita se habentibus, planum esse Gratium absque donatarii consensu donationem anni 1865 revocare nequivisse, clausulamque derogatoriam in posteriore testamento appositam, vel ad eam donationem non esse extendendam, vel inefficacia laborare *S. C. C.* in *Ravennaten. Cappellaniarum 1846.* Accedere quoque causae piae favorem quae donationis inter vivos praesumptionem inducit. *Schemier Iurispr. canon. civ. lib. 3. v. 7. n. 157* « ibi » *qui donat aliquid pro loco pio, non facile credendus est de sola cogitasse morte, dum piae donationes etiam in vita donanti proficiunt.* Fargna *de iure patr. part.1. c.6. cap. 7. num. 13. Fagnan. in cap. relatum n. 37* « *ne clerici.* »

Frustra obiici in casu donatarii acceptationem desiderari adhuc, ideoque donationem revocabilem fuisse. Misso namque quod acceptatio donatarii tantum ad dominium rei donatae acquirendum necessaria habenda sit, *Constant. Vot. 167 n. 30 et seq.* in casu agi de donatione ad causam piam quae Deo ipsi facta censetur. In citata *Ravennaten. Cappellaniarum* legitur: « *Quandoquidem res est de donatione causae piae factae, ideoque ipsi Deo, qui cum praesens ubique sit, easque illico acceptare videatur, proindeque suum sortiatur effectum licet absente etiam donatario explicita acceptatio haud intercesserit, ad monita per Card. De Luca de Donat. disc. 24.*

Demum non esse praetereundum agi in facto de Andreae voluntate exequutioni committenda; siquidem Gratius aperte confessus fuerit in testamento anni 1865, se satisfacere promissioni fiduciariae qua se erga Andream obstrinxerat. Promissionis vero existentiam, caeteris missis, et Teresiae testamento confirmari.

His aliisque minoris notae argumentis hinc inde relatis, Emis. Patribus proposita fuerunt resolvenda

Dubia

I. *An et quomodo excipiendae sint preces Carolinae in casu?*

II. *An et quomodo fundanda sint bina hospitia pro pauperibus adolescentulis, vel potius reaedificanda sit Ecclesia S. Cataldi in casu?*

Emi et Rmi Cardinales Sacrae Congregationis Ep. et Reg. in coetu habito die 16 Februarii 1877 utrumque dubium dirimendum censuerunt responso.

Scribatur Episcopo iuxta mentem pro summa libellarum 75000.

Ex his omnibus colliges.

I. Dispositonem ultimae voluntatis favore Ecclesiae, adiecta clausula irrevocabilitatis, veram donationis inter vivos naturam induere, ideoque vere ac proprie irrevocabilem esse.

II. Ad huiusmodi donationem perficiendam non requiri donatarii acceptationem; quidquid enim piae causae donatur, ipso Deo donatum intelligitur.

III. Itaque piae causae favorem eo usque porrigi, ut absente etiam donatario perfecta intelligatur donatio; cum pro certo tenendum sit, Deum qui praesens ubique est, illico eam accepto habere.

IV. Donationes inter vivos in priori testamento ad piam causam factas, posteriore testamento non destrui.

V. Fortius cum dispositio praecedens bona complectitur disponentis non propria, sed ei tradita ut de his ad piam causam disponeret.

VI. In casu, cum non constaret in qua summa Andreas de propria haereditate ad piam causam disponi iussisset, S. Congregationem *iuxta mentem* solutionem faciendam esse voluisse pro medietate bonorum, quae ex eius esse superextare nunciatum est.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

IANUEN.

Super translatione Indulgentiarum.

Die 14 Decembris 1877.

Decretum. Quamvis circa translationem Indulgentiarum pro casibus translationis festorum, quibus tributa fuit Indulgentia lucranda ab illis qui in decursu diei Festi Ecclesiam visitaverint, iam a S. Congregatione Indulgentiarum responsa et decreta prodierint, quae certam normam praebent; tamen pro variis circumstantiis quaedam dubia adhuc supersunt.

Certum est quod translato festo solo per accidens idest quoad officium et Missarum infra annum non transfertur Indulgentia festivitati adnexa, utpote constat ex Decreto diei 16 Septembris 1741 per responsum *translato festo unice quoad officium, non transfertur Indulgentia tali Festo concessa,* idque recentius confirmatum et praesertim sancitum fuit per Decretum Urbis et Orbis sub die 9 Augusti 1852.

Pariter certum est quod cum transfertur Festum quoad solemnitatem et exteriorem publicam celebrationem, transfertur et Indulgentia eidem festo concessa, etiamsi non transferatur officium cum Missa, ut patet ex praedicto decreto diei 9 Augusti 1852, et ex responsione S. Congregationis Indulgentiarum 11 Augusti 1862.

Sed non constat de decisione, quoad transferendam indulgentiam, simul cum Festo, quando festum cui annexa est indulgentia transferri debet in perpetuum et assignari fixe ad

aliam diem. Utrum nempe, translato festo, in perpetuum simul transferatur Indulgentia etsi festum celebretur sine solemnitate et sine externa publica functione. Insuper dubium est circa diem quo attributa sit Indulgentia in diversis Provinciis et Coenobiis quando festum ad occurrentiam alterius festi altioris vel maioris dignitatis sit assignatum vel assignandum ad varias distinctas dies.

www.liplool.com.cn

Cum autem Indulgentiae plenariae festis tributae in Kalendariis Cappuccinorum adnotari soleant, et consuetudo sit eas adscribendi tantum unicuique diei, quo festum assignatum est pro Provincia, nulla facta exceptione quoad illos Conventus, qui festum habent assignatum et perpetuo celebrant alia die, Pater Clementinus ab Ulmeta, Provinciae Ianuensis Cappuccinorum alumnus et Kalendarii extensor, ut certior factus in adnotandis Indulgentiis in Kalendario, ab erroris periculo se eximere valeat, subsequentia dubia de licentia sui Superioris Provincialis Sacrae Congregationi Indulgentiarum humillime exponit et supplicibus precibus eorumdem solutionem petit.

I. Utrum translato festo in perpetuum et perpetuo ad aliam diem sive ex speciali decreto S. C. R. sive ex praescripto Rubricarum assignato, simul ad eamdem diem iterum festo assignatam transferatur Indulgentia eidem festo concessa, licet festum celebretur sine solemnitate et publica functione.

Et quatenus affirmative.

II. Utrum eadem translatio Indulgentiae fiat, tam in casu, quo translatio perpetua festi sit pro toto Ordine, quam in casu perpetuae translationis festi pro sola Regulari Provincia?

III. Cum festum assignatum est ad quamdam diem pro provincia, et in aliqua Dioecesi, vel in aliquo Coenobio, ob occurrentiam alterius festi praeferendi, translatum sit et perpetuo assignatum ad aliam diem, utrum Indulgentia festo tributa adscribenda sit pro singulis Coenobiis ad diem quo unumquodque festum celebrat, vel potius sit retinenda tam-

quam lucrabilis in omnibus Coenobiis, eadem die assignata pro Provincia, dummodo tamen exceptio non sit facienda ratione solemnitatis vel externae publicae celebrationis?

IV. Quando aliquod festum ex novo indulto Kalendario adiungendum eo quod impediatur in die propria, ad sequentem primam diem liberam transferri et assignari debet, si ei concessa sit Indulgentia, utrum haec adscribenda sit diei quo festum assignatur fixe in Provincia, et quoad omnia Provinciae Coenobia, quamvis non in omnibus festum eadem die locum habeat?

V. Utrum Indulgentiae tributae alicui festo pro universis fidelibus cum conditione visitandi Ecclesias determinatas Regularium, lucrari possint ab omnibus Christifidelibus, etiamsi eiusdem festi celebratio cum Indulgentia alia die in Dioecesi locum habeat?

Emi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877, auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis, responderunt:

Ad primum et secundum *Affirmative.*

Ad tertium, quartum et quintum, *affirmative iuxta modum, nempe Indulgentia semel tantum a singulis respective lucrari potest.*

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX ab infrascripto Secretario in audientia habita die 12 Ianuarii 1878 Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 12 Ianuarii 1878.

A. Card. OREGLIA A S. STEFANO Praef.
A. Panici Secret.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ut consuleretur (ex officio animadversum fuit) in perpetuum translationi Indulgentiarum quoties festivitates, quibus illae adnexae fuerant, translatae fuissent, S. C. Indulgentiarum decretum generale a SSmo impetrandum curavit sub die 16 Februarii 1852. Quo de-

creto mandatur locum esse translationi Indulgentiarum *quoties transferatur solemnitas tantum et externa celebratio. Cum vero transfertur tantum officium cum Missa, non autem solemnitas et exterior celebratio festi, Indulgentiarum nullam fieri translationem* ».

www.tibtool.com.cn

Nonnullis postea circa hanc rem obortis difficultatibus S. C. Indul. die 11 Augusti 1862 respondit « *Decretum praedictum intelligendum esse de omnibus festis rite translatis* » Et die 9 Augusti 1864 respondit « *Indulgentiam acquiri a Christifidelibus die fixa et rite constituta in sua Dioecesi a Regularibus Ordinibus die rite constituta in suo Kalendario, ab omnibus qui sodalitati nomen dederint, quae ad regularem ordinem attineat Indulgentiam acquiri, die rite constituta in Kalendario Dioecesis, vel in Kalendario ordinis, si istiusmodi privilegio gaudeant non tamen in utraque die.* »

Iamvero evenire potest ut festum aliquod, quod celebratur sine solemnitate et sine externa publica functione, *fixe in perpetuum transferatur* ad aliam diem quoad *officium et missam,* in quo casu dubium esse potest utrum transferatur simul indulgentia. Si enim spectentur verba *generalis Decreti,* videtur non habere locum haec translatio, cum non translata sit *solemnitas exterior*, quae non existit, sed solum *officium et Missa,* quod iuxta decretum, nihil facit ad translationem Indulgentiae. E contra dici posset, quod in hoc casu, cum translatum sit *officium et Missa,* translatum est totaliter festum et translata fuisset etiam solemnitas exterior si existeret; et proinde applicari posset responsio 11 Augusti 1862 « *Decretum praedictum intelligendum esse de omnibus festis rite translatis* » nec non alia 29 Augusti 1864 cum verificetur *die fixa et rite constituta* in perpetuum pro festo.

Praeterea secundo in diversis coenobiis et Provinciis Ordinum Regularium festa eorumdem sanctorum possunt assignari *fixe et in perpetuum* ad varias distinctas dies ob occurrentiam alterius festi altioris ritus. Haec assignatio utrum

secumferat translationem Indulgentiae, praeter rationes allatas, dubitari etiam potest ex eo quod cum definitum sit « *Indulgentiam acquiri ab Ordinibus regularibus die fixa et rite constituta in suo Kalendario* » quaeri posset utrum pro Kalendario Ordinis accipienda sint Kalendaria uniuscuiusque coenobii, vel potius Kalendarium quod praecipitur pro universa Provincia vel Ordine.

Quintum dubium desumptum est ex resolutione diei 29 Augusti 1864; qua definitur Indulgentiam acquiri *die fixa et rite constituta* in Kalendario Dioecesis, Ordinis etc. Cum enim in hac responsione agatur de unica Indulgentia semel acquirenda in diebus a respectivo Kalendario designatis, concessa pro eodem festo, non videtur in eadem responsione inclusus casus qui in dubio proponitur. Cum enim pro festo ex. gr. alicuius sancti in Kalendario dioecesano iniungitur visitatio cuiuscumque Ecclesiae vel Oratorii publici et pro eodem festo eiusdem sancti in alia die iuxta Kalendarium Ord. Reg. iniungitur visitatio Ecclesiae Regularium, videntur duae Indulgentiae, ac proinde in *utraque die* lucrabiles; cum ambae distincta opera iniuncta requirant, nempe prima visitationem cuiuscumque, altera visitationem ecclesiae determinatae.

Votum Consultoris. Observavit Consultor Indulgentias in Sanctorum festis pro utilitate Christifidelium concedi; quapropter necesse esse, ad fructum ex illis consequendum spiritualem, ut certo innotescant dies, in quibus festum celebratur in Ecclesia, pro eisdem lucrandis Indulgentiis, designata. Quatenus autem festum aliquod celebretur absque officii et Missae recitatione de Sancto, cuius recurrit solemnitas; et quatenus recitatio Missae et officii respectivi ad aliam transferatur diem; id parum finis interest pro quo Indulgentiae concessae fuere. Proinde S. C. Indulgentiis et Reliquiis praeposita sub die 9 Augusti 1862 prudenter Sanctissimo Patri consilium dedit ut declararet quod Indulgentiae lucrantur « *eo die, quo festa huiusmodi vel quoad solemnitatem tantum et externam celebrationem (non tamen quoad officium et Missam) in aliquibus ecclesiis, publicis-*

que oratoriis, sive in perpetuum, sive aliqua occasione, sive ad tempus, eoque durante legitime transferuntur. »

Qua constituta maxima, ego propositis dubiis, ait Consultor, responderem :

www.libtool.com.cn

Ad. 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative ad utrumque.

Ad 3. Affirmative pro omnibus coenobiis, in die qua festum celebratur.

Ad 4. Affirmative in die pro singulis respective coenobiis assignato.

Ad 5. Indulgentia lucranda quo die festum in qualibet Ecclesia celebratur.

EX S CONGREGATIONE INDICIS

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Feria II die 17 Decembris 1877.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 17 Decembris 1877 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Ellero Pietro. Scritti minori. Bologna, tip. Fava e Garagnani, 1875.

— Scritti politici. Bologna etc., 1876.

— La Questione sociale. Bologna, 1877.

Zeller Eduard prof. à l'université de Berlin. La Légende de Saint Pierre premier Evêque de Rome, traduit par Alfred Marchand. Paris, 1876. *Quocumque idiomate.*

Renan Ernest Les Évangiles. Paris, 1877.

Reinkens Dr. Joseph Ueber Einheit der katholischen Kirche. Wurzburg, 1877. *Latine vero:* De unitate Ecclesiae catholicae. *Opus praedamnatum ex Reg. II. Indicis Tridentini. Decr. S. Off. feria IV. die 19 Dec. 1877.*

— Ist an Christi Stelle für uns der Papst getreten? *Latine vero:* Estne pro nobis Romanus Pontifex positus Christi

loco? *Opus praedamnatum ex Reg. II. Indicis Tridendentini. Decr. S. Off. feria IV. die 19 Dec. 1877.*

Friedrich Dr. J. Geschichte des Vaticanischen Konzils. Bonn, 1877. *Latine vero*: Historia Concilii Vaticani. *Opus praedamnatum ex Reg. II. Indicis Tridentini. Decr. S. Off. Feria IV. die 19 Dec. 1877.*

www.libtool.com.cn

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc

Datum Romae die 21 Decembris 1877.

ANTONIUS CARD. DE LUCA Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli.

Di 29 Decembris 1877 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani Mag. Curs.

EX AEDIBUS VATICANIS

www.libtool.com.cn

LITTERAE CIRCULARES EMINENTISSIMORUM CARDINALIUM AD DIPLOMATICUM GUBERNIORUM COETUM LITTERIS PATENTIBUS APUD S. SEDEM INSTRUCTUM.

19 Febbraio 1878.

L'inopinato avvenimento della morte del Sommo Pontefice Pio IX, di gloriosa memoria, se ha contristato profondamente i cuori dei fedeli tutti sparsi nell'Orbe cattolico, ha gittato in modo speciale nella costernazione il Sacro Collegio, che uso ad ammirarne più da vicino e le virtù sublimi e le geste gloriose, è in grado, più che altri, di valutare la irreparabile perdita fatta in questi giorni dalla Cattolica Chiesa.

E tanto più è per esso sensibile il peso di questa pubblica sciagura in quanto che, chiamato per disposizione dei

---

19 Februarius 1878.

Versio. Inopinus Summi Pontificis Pii IX interitus, qui omnes Orbis catholici Christifideles gravi moerore, gravissimo autem S. Collegium affecit; utpote quod virtutes gestaque illustria Pontificis illius propius mirari cum consuesceret, aptius quolibet alio damnum, quod Catholica Ecclesia his patitur diebus, perpendere valet.

Exitiique publici pondus eo magis persentit, quod cum e Sacrorum canonum atque Apostolicarum Constitu-

sacri Canoni e di Pontificie Costituzioni, a provvedere agli urgenti bisogni della Chiesa e della vacante Sede Apostolica, trovasi costretto a traversare, senza la guida del suo Capo, momenti gravissimi e difficoltà ognora più serie. Ma, fidato nelle parole di Colui che promise la sua divina assistenza alla Chiesa, il S. Collegio è fermamente deciso di compiere gli alti doveri che ad esso impongono, la eminente dignità di cui fu rivestito, e la importante missione che gli venne affidata.

www.libtool.com.cn

Ognuno conosce che i giuramenti fatti da tutti e singoli i componenti il S. Collegio, allorchè vennero assunti alla cardinalizia dignità, loro prescrivono il più stretto dovere di difendere e tutelare i diritti, le prerogative, i beni anche temporali della Chiesa, a costo di qualunque sacrifizio, fosse pur quello del proprio sangue. Ora questi giuramenti ebbero oggi una solenne conferma: quando cioè riuniti i Cardinali in una delle Congregazioni generali dopo la morte del com-

---

tionum dispositione, urgentibus Ecclesiae vacantisque Sedis Apostolicae necessitatibus consulere deputetur, arduis obviam ire temporibus obstringitur gravioribusque in diem difficultatibus, carens proprii Capitis ductu. Verumtamen verbis Illius, qui divinum Ecclesiae pollicitus est auxilium, fidens s. Collegium, tum quae sibi excelsa dignitas qua vestitur, tum quae magni ponderis missio sibi credita imposuerunt onera firmiter implere decrevit.

Neminem praeterit iuramentum, quod omnes singulique e s. Collegio eliciunt, quum ad dignitatem evehuntur cardinalitiam, eisdem onus imponere protuendi atque sarta tectaque servandi iura, praerogativas, bona Ecclesiae etiam temporalia, quocumque discrimine usque ad sanguinis effusionem. Huiusmodi iuramentis solemnis nunc accedit confirmatio, ex eo quod Cardinales, post deflendum Pontificis obitum, in generali Congregatione collecti, unanimiter praefata iterarunt coram Deo iuramenta, voluer unt-

pianto Pontefice, ripeterono unanimemente innanzi a Dio i precedenti giuramenti, e vollero anche una volta fare atto di adesione, nonchè rinnovare tutte le riserve e proteste emesse dal defunto Sovrano, sia contro l'occupazione degli Stati della Chiesa, sia contro le leggi e decreti sanciti a danno della medesima e dell'Apostolica Sede.

Per incarico pertanto dei loro Rispettabili Colleghi, i sottoscritti Cardinali Capi d'Ordine si rivolgono alla Eccellenza Vostra per darle comunicazione di un atto così importante, pregandola di portarlo a notizia del suo governo, nella sicurezza che vorrà scorgersi in esso come una tutela degli accennati diritti, così una manifestazione dell'animo dei Cardinali decisi a seguire la via tracciata dal defunto Pontefice, quali che sieno le pruove che nel corso degli avvenimenti possano attenderli.

E poichè l'esercizio del supremo ecclesiastico potere, ed in modo speciale l'importante atto di elezione del Successo-

---

que etiam adherere, atque omnes protestationes et reservationes renovare a defuncto Pontifice editas, tum adversus civilis Ditionis Ecclesiae invasionem, tum contra leges atque decreta, in damnum eiusdem Ecclesiae et Sedis Apostolicae exarata.

De mandato igitur suorum spectabilium Collegarum tibi, illustrissime Domine, infrascripti Cardinales, Ordinum Capita, magni momenti actum pandunt adprecantes, ut velis de hoc tuum gubernium certiorem reddere; securi quod in eo prospici velit tum iurium praedictorum tuitio, animique Cardinalium declaratio; qui viam a defuncto Pontifice demonstratam sequi parati sunt, quaelibet futura sint obstacula, quibus occurrere oporteat. Quoniam vero Supremae Ecclesiasticae potestatis exercitium, et praesertim successoris s. Petri solemnem electionis actum super certis immotisque fundamentis inniti convenit, ne politicis motibus, aut alicuo arbitrio et utilitati subiaceat, s. Collegium

re di San Pietro conviene che riposi sopra basi solide e tranquille e non trovisi al contrario esposto alle politiche agitazioni, come all'altrui interesse ed arbitrio, il Sacro Collegio, mancato appena ai vivi il Supremo Gerarca, fu costretto di affrontare, non senza timori ed angustie, l'ardua e penosa quistione del luogo ove convenisse riunire il Conclave. Se da una parte la necessità di rispondere alle ansiose coscienze dei fedeli della piena ed assoluta libertà ed indipendenza del Sacro Collegio in momento sì grave e sì decisivo per la Chiesa suggeriva di cercare altrove un asilo sicuro e tranquillo, dall'altra gl'indugi, cui necessariamente esponevasi la elezione del Romano Pontefice consigliavano altrimenti: primo dei doveri essendo oggi pel Sacro Collegio, quello di procedere senza ritardi a provvedere di un Capo la vedova Chiesa, e di novello Pastore la desolata greggia di Cristo.

« Questo pensiero ha prevalso sopra tutte le difficoltà, ed ha fatto decidere il Sacro Collegio a porre mano in questa Città, fino a che la sua libertà non sia menomamente turbata, all'immediato atto di elezione del nuovo Sommo Pon-

www.libtool.com.cn

---

vix elato Supremo Hierarca, non sine gravi angustia atque timore arduam asperamque quaestionem de loco in quo Conclave haberetur perpendere debuit. Et re quidem vera si altera ex parte necessitas faciendi satis conscientiis fidelium anxiis quoad plenam absolutamque s. Collegii libertatem in adiuncto ita gravi atque pro Ecclesia perentorio, suadere visa est aliunde quaerendum fuisse tutum quietumque asylum; ex altera vero dilatio, cui Romani Pontificis electio subdebatur aliter consulere videbatur. Etenim id temporis onus suppeditandi, absque ulla mora, viduae Ecclesiae Caput, nec non derelicto Christi gregi novum Pastorem, cuncta s. Collegii antecellit onera.

Omnia huiusmodi consilium obstacula superavit; effecitque ut hac in Civitate electioni summi Pontificis operam alacriter navaret s. Collegium, donec huius libertas aliquod

tefice. E tale risoluzione fu presa con tanta maggiore tranquillità in quanto che non impegnando essa in nulla l'avvenire, lasciava pur libero ii futuro Pontefice di avvisare a quei mezzi che il bene delle anime e l'interesse generale della Chiesa gli consiglieranno nella difficile e penosa condizione in cui versa questa Apostolica Sede.

« I sottoscritti Cardinali Capi d'ordine profittano di questo incontro per confermare alla Eccellenza Vostra i sensi della loro più distinta considerazione.

L. Card. AMAT, Decano
F. G. Card. SCHWARZENBERG
Primo dell'Ordine de'Preti.
P. Card. CATERINI
Primo dell'Ordine de'Diaconi.
PIETRO LASAGNI
Segretario del S. Collegio.

---

pateretur discrimen. Eoque securius haec agendi ratio capta est, quod quum eadem nullimode futurum respiceret tempus, in Pontificis facultate linquebat illa praeeligendi media, quae animarum bonum atque generalis Ecclesiae utilitas Eidem suadebunt in perdifficili atque salebrosa, qua Sedes Apostolica utitur conditione.

Infrascripti Cardinales, Ordinum Capita huiusmodi libenter arripiunt occasionem ut tibi, excellentissime Domine, peculiarem confirment existimationem et observantiam.

L. Card. AMAT. Decanus
F. G. Card. SCHWARZENBERG
Primus ex ordine Presbyterorum.
P. Card. CATERINI
Primus ex Ordine Diaconorum.
PETRUS LASAGNI
A Secretis S. Collegii.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

INSTITUTIONIS

Die 27 Ianuarii et 30 Iunii 1877.

COMPENDIUM FACTI. Extat in civitate M. Sodalitium sub titulo S. Nicolai, in cuius Ecclesia usque ab anno 1637 beneficium parochiale erectum fuit, reservato iure nominandi et praesentandi parochum favore Sodalitii, pensionem annuam persolvendi parocho sibi onus imponentis. Hoc ius per suos rectores seu moderatores Sodalitium semper exercuit.

Die 25 Octobris 1874 haec paroecia vacavit et Sodalitii rectores ad dictum beneficium nominarunt Sacerdotem Vitum C.... cuius nominationi quamvis Curia aperte non obsisteret, tamen evidenter ostendit se potius velle alium Sacerdotem Petrum S... Hinc Vitus cognoscens res forsan haud pacifice processuras inter patronos et Episcopum, suae nominationi nuncium misit.

Patroni, quibus Petrus S.... minime erat acceptus, nominarunt et praesentarunt Episcopo Antonium B.... Sacerdotem ex Ordine Cappuccinorum, ob praesentium temporum circumstantias extra claustra degentem. Episcopus huic secundo nominato institutionem denegavit quia, utpote religiosus, inhabilis erat ad beneficia ecclesiastica

Patroni ad Curiam Metropolitanam recursum habuerunt, quae plus quam integrum annum controversiae resolutione dilata, tandem die 14 Ianuarii 1876 sequens edidit decretum: – *Petitiones pro institutione Antonii B.... non procedant. Servetur ius patronis alium idoneum et capacem presbyterum nominandi intra tempus a iure praescriptum.* – Ab hoc De-

creto vel sententia Curia Episcopalis appellationem minime interposuit.

Fessi tot tricis et contentionibus patroni mense maio eiusdem anni 1876 adeuntes Episcopum ipsum rogarunt, ut Sacerdotem sibi benevisum indigitaret, quem ad vacantem possent paroeciam nominare. Episcopus mensem ad deliberandum sumpsit, quo nondum elapso selegit quemdam Bartholomaeum C.... sacerdotem regularem.

www.libtool.com.cn

Hac electione se offensos putarunt patroni, dum Episcopus qui institutionem denegaverat Sacerdoti Antonio B..... utpote regulari, ab ipsis praesentato; nunc et ipse alium regularem proponere minime dubitaret. Hinc contra factum Episcopi ad laicam auctoritatem recursum habuerunt; eodemque tempore, nolente Episcopo recedere a facta electione, die 18 Iunii 1876 nominarunt tertium parochum Sacerdotem saecularem Caietanum B.... fratrem Antonii. Sed et ipsi ab Episcopo institutio denegata est.

Hinc patroni enixis viribus sua iura defendere volentes S. Congregationi Concilii rem detulerunt, expostulantes tum canonicam institutionem pro Sacerdote Caietano B.... tum absolutionem a censuris pro se, si forte in eas incidissent ob recursum ad laicam potestatem.

S. Congregatio petita et habita informatione et voto, tum a Metropolitano, tum ab Episcopo, suetum edidit Decretum: *Ponatur in folio* — in cuius postrema parte addebatur: — *et fiant distincte preces pro absolutione ob recursum ad laicam potestatem.* —

Hoc habito rescripto Sodalitii rectores sollicite absolutionem obtinuerunt; imo ad mitiora conversi consilia in mense octobris rursus Episcopum adierunt, atque, renuntiante suae nominationi sacerdote Bartholomaeo C.... secundam inierunt conciliationem vi cuius Sacerdoti Vito C..... qui primo loco nominatus fuerat, canonica institutio concederetur.

Res compositae videbantur; verum sacerdos Caietanus B.... per apparitorem tribunalis laicalis, protestationem transmisit tum Curiae Episcopali, tum rectoribus Sodalitii, ne aliquid

innovaretur, lite pendente apud S. Congregationem Concilii. Rectores territi, nolentes quidquam peragere. quod coram laicali actoritate ipsos implicaret, Episcopo declararunt, sese in posterum quoad hoc passive habituros. In hisce factorum adiunctis quaestio in S. Congregatione Concilii proposita fuit.

www.libtool.com.cn

Disceptatio synoptica.

Defensio Caietani B. « Favore Caietani advertebatur quod in parochialibus beneficiis iurispatronatus illi danda sit institutio, qui a patronis rite nominatus et praesentatus fuerit, quique dicitur habere ius certum et in re dummodo idoneus ab examinatoribus repertus sit. Ita Tamburinus *De Iure Abb. tom. 1. dist. 10 quaest. 4. n. 4;* Card. De Luca — *De Iurep. dis. 31. n. 8,* S. Rota Romana *in decis. 492 n. 1. p. 13; decis. 74 n. 8. p. 16 recent.* – ibi – *Praeterea cum solus Franciscus Maria fuisset praesentatus cui de necessitate debebatur institutio, utique per talem praesentationem ei non solum acquisitum fuit ius ad rem incertum et eventuale, verum etiam ius certum et in re* »

Quibus praemissis in iure, observabatur in facto, quatuor constare debere 1. Ut beneficium esset vacans; 2. Ut ad praesentantes patronos nominatio pertineret; 3. Ut praesentatus ad munera beneficio adnexa obeunda esset idoneus, 4. Ut legitimo modo et tempore praesentatio facta esset. Duas priores conditiones in facto concurrere extra omnem dubitationem esse contendebatur; ac propterea de tertia tantum et quarta conditione disputari posse.

Quoad tertiam advertebatur, iudicium de idoneitate minime pertinere ad Episcopum, cum a Concilio Tridentino examinatoribus Synodalibus demandetur. Ita enim in *Sess. 24 cap. 18 De Ref.* praescribitur: « *Quod si* (Ecclesia parochialis) *iurispatronatus fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit, ab cisdem deputatis, ut supra, examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit admitti.* » Episcopum insuper non opposuisse inidoneitatem, sed tantum male firmam Caietani valetudinem; quae a duc-

bus testibus excludebatur. Quo vero ad integritatem morum, peritiam in sacris et profanis disciplinis, atque ceteras probi sacerdotis qualitates, ex allatis testibus elucere sustinebatur.

Quapropter disputatio super legitimitate nominationis et praesentationis praesertim versabatur. Hanc factam fuisse tempore utili apparebat ex eo quod, vacata paroecia die 25 Octobris 1874 statim Vitus C. fuerat nominatus; quo suae nominationi nuncium mittente, patroni praesentarunt Antonium B. qui refutatus fuit a Curia die 30 Martii 1875, intra terminum nempe semestris, in patronatu ecclesiastico ad nominandum concessi. Cum vero patroni adiverint Curiam Metropolitanam instantes pro institutione Sac. Antonii B.... et Curia die 14 Ianuarii 1876 Decretum ediderit: *Petitiones Antonii* B.... *non procedant. Servetur ius patronis alium idoneum et capacem presbyterum nominandi intra tempus a iure praescriptum;»* huiusmodi decretum abiit in rem iudicatam, quia Episcopus nullam interposuit appellationem. Rebus vero iudicatis standum est, ceu traditur in *leg. 1. Cod. de re iud. leg. ult. ff. eod.* Huic igitur decreto innixi patroni recte et legitimo termino die 26 Iunii 1876, semestri nimirum nondum elapso tempore a lata sententia, Caietanum B.... Episcopo praesentarunt.

Quod vero integrum semestre vi illius sententiae patronis esset tributum, ex eo apparere dicebatur, quod secus ludicra et irrisoria eadem sententia fuisset, cum tempus utile a die vacationis expirasset iam a die 25 Aprilis 1875.

Neque obstare addebatur decretum Lateranensis Concilii in *cap. 3 fin. de iurep.* nec rescripta Alexandri III et Innocentii III *cap. 12 et 17 eod.* quae statuunt, lite pendente tempus utile decurrere, et fieri locum devolutioni favore Episcopi, namque ea decreta tunc tantum vim exerunt suam, cum lis fervet inter patronos de iure nominandi, quin ullus sit in possessione; non vero quando quaestio est inter patronos et Episcopum qui de institutione rogetur, quia hoc casu non ex patronorum negligentia retardatur provisio, sed ex Episcopi voluntate. Quam doctrinam confirmat S. Rota pluribus deci-

sionibus ac praesertim in *decis. 271 n. 2 et seq. part. 15 recent.* - ibi - *Recepta est doctrina quod aut lis est super iurepatronatus, sive inter patronos contendentes, quis eorum debeat praesentare, et praesentatione non facta labitur quadrimestre, et tunc Ordinarius potest iure devoluto providere Ecclesiam de rectore.... aut non dubitatur de iurepatronatus et patroni praesentarunt intra quadrimestre, sed praesentati contendant inter se de praelatione et institutione, in hoc casu ob ius quaesitum ipsis praesentatis , non intrat devolutio in lapsu quadrimestris, quia alias Ordinarii semper conferrent ex iure deboluto, differendo consulto institutionem, donec expiret quadrimestre , quod non est permittendum in praeiudicium patronorum et praesentatorum.*

Multo minus officere tradebatur, facultatem clericum designandi a patronis Episcopo relictam, hoc enim actu proprio iuri nominandi et praesentandi minime renunciarunt ; sed ad dissensiones et difficultates tollendas voluerunt tantum ut Episcopus sacerdotem indigitaret, in quem iura patronalia et nominationis et praesentationis conferre possent. Ceterum patronos iuri nominandi minime renuntiasse constat a declaratione ab ipsis emissa « *sese numquam Episcopo cessisse ius seligendi et nominandi parochum.* »

Verumtamen data et non concessa damnatissima hypothesi quod patroni ipsam nominandi facultatem Episcopo concesserint, nihil melior evaderet Curiae Episcopalis conditio, hac enim facultate usa est nominando Bartholomaeum C.... qui dum nominationi nuncium miserit, novus terminus favore patronorum decurrit. Hoc diserte docet Pitonius « *De Contr: Patr. alleg. 78 n. 8.* » *Si praesentatus intra terminum renunciet suae praesentationi, tum patroni habent novum terminum quadrimestris a die renunciationis.* » Idem tradit Lambertinus *De Iurep. p. 2. lib. 2. art. 17 n. 5; art. 22. n. 4 et seq. Vivianius De Iurep. lib. 5. cap. 2. n. 27.*

Defensio Curiae. Defensor Curiae Episcopalis, recolebat patronis laicis quatuor tantum menses dari ad praesentandum a die scientiae vacationis *ex cap. 2. De conces. praeb. et*

cap. Si vero De iurepatr., quibus inutiliter elapsi, ius nominandi ad Ordinarium devolvi. Hic terminus in casu satis est, quia agitur de iurepatronatus laicali. Quod si placeat hoc tanquam iuspatronatus ecclesiasticum considerare, tempus utile in casu expirasset die 25 Aprilis 1875, quia paroecia vacavit die 25 Octobris 1874. Iamvero intra hoc tempus, pergebat Curiae defensor, duo tantum nominati fuerunt, Vitus C... qui paucos post dies, quin Curiae praesentaretur, nominationi renunciavit ; et Antonius B... qui utpote regularis, beneficii incapax erat, praesertim parochialis *ex cap. cum ad monasterium De Stat. Monach.* Corrad. *prax. ben. lib. 1. Cap. 6. n. 275.* Atque ideo, nulla facta praesentatione intra semestre, aut perperam executa, ius conferendi devolutum fuit Ordinario ; neque patroni post duos annos, nempe die 18 Iunii 1876, ad nominationem Caietani B.... poterant devenire.

Neque obiici posse, contendebat, aliquando et inhabilem valide nominari ; atque in hoc casu esse Cappuccinum Antonium B.... eo vel magis quod ex violentia extra claustra detineatur, atque per instructionem S. Poenitentiariae antiquis impedimentis solutus sit.

Reponebat enim, uno tantum modo inhabilem utiliter praesentari, nempe sub conditione dispensationis; quae conditio in Antonio minime verificata fuit. Instructio vero S. Poenitentiariae concedit expulsis regularibus facultatem consequendi : « *Capellanias aut unum dumtaxat beneficium ecclesiasticum etiam residentiale vel cum cura animarum;* » veruntamen in administrationem tantum « *de consensu et ad nutum ordinarii loci, annuentibus Superioribus suis.* » Quapropter si Episcopus, habita Superiorum licentia, potest tantum dictis regularibus permittere administrationem beneficiorum; constat eosdem ex simplici praesentatione habiles minime fieri.

Imo etiam in casu adiectae conditionis dispensationis, si haec intra iuris terminum obtenta non fuerit, nominatio est nulla et ad Ordinarium devolvitur jus conferendi beneficium Lambert. *De Iurep. Lib. 2. p. 2. quaes. 3. art. 5. n. 5*, Card. De Luca « *De Iurep. Dis. 48 n. 2.* Pitonius *De Contr. Patr. Alleg. 81. n. 4.* »

Minime vero obstare, urgebat defensor, sententiam Curiae Metropolitanae diei 14 Ianuarii 1876, qua novus terminus patronis concedebatur; nam quando Caietanus nominatus fuit, nempe die 18 Iunii 1876, iam novum quadrimestre fuerat praeterlapsum. Insuper conventio facta fuerat mense maio inter Episcopum et patronos, vi cuius Episcopus renunciabat iur appellationis a dicta sententia; patroni vero pro illa vice concedebant Episcopo ius indicandi quem Sacerdotem vellet nominari, secluso Petro S.... Hinc cum Episcopus ex parte sua non appellaverit, et ipsi a nominatione desistere debebant, quia ille iure suo usus erat nominando Bartholomaeum C....

www.libtool.com.cn

Ad cuius nominationis quaestiones abscindendas, accessit secunda conventio mensis octobris, qua, renunciante Bartholomaeo suo iuri, constabilitum fuit ut institutio daretur primo nominato, scilicet Vito C.... sic explicando favore Episcopi conventionem mensis maii.

Ast posita etiam validitate nominationis Caietani B....; defensor contendebat id unum sequi, nempe duos fuisse praesentatos Superiori ante institutionem, secunda enim conventio nihil aliud fuit quam nominatio favore Viti C.... ad hoc consentiente Episcopo. Exploratum vero in iure est, patronum laicum ante institutionem alium nominare posse, ut dicitur, *cumulative*, et esse in potestate Ordinarii eligere quemlibet ex nominatis ex *cap. quod autem et cap. pastoralis officii* « *De Iurep.* »

Neque obstare si elapsum fuerat tempus utile patronis concessum; nam devolutio locum habuerat favore Ordinarii qui suo iuri optime poterat renunciare, et terminum prorogando, veniam nominandi concedere, ceu docent Fargna « *De Iurep. p. 3. can. unic. casus. 6. n. 2.* Paris *De resign. lib. 7 quaest. 9 in fin. S. Rota in Compostellana: Parochialis 29 Martii 1756* § *8.* »

Ex his omnibus concludit Orator inter duos nominatos, Caietanum et Vitum, hunc esse praeferendum, quia si primus a patronis, secundus tum a patronis, tum ab Episcopo volitus est; praesertim cum Caietanus nominatus fuerit a patronis

tantum ut obsisterent nominationi Bartholomaei C..., et Vitus usque ab initio concupitus et nominatus fuerit, ac omnibus sit carus et dilectissimus.

Quibus disputatis propositum fuit.

www.libtool.com.cn

DUBIUM

An et cui danda sit institutio.

S. Congregatio Concilii die 27 Ianuarii 1877 respondit: « *Institutionem dandam esse Sacerdoti Vito C... et Sacerdos Caietanus B... provideat conscientiae suae.* »

Ab hac resolutione novam impetravit Caietanus audientiam atque absolutionem a censuris obtinuit. Nihilominus reproposita causa, sub dubii formula « *An sit standum vel recedendum a decisis in casu* » die 30 Iunii eiusdem anni eadem S. Congregatio reposuit. *In decisis et amplius.*

EX INDE COLLIGES.

I. Excommunicationem S. Pontifici reservatam incurrere, qui in causis ecclesiasticis ad laicam recurrit potestatem, quae excommunicatio intacta servata fuit in Constitutione *Apostolicae Sedis.*

II. Regulares ob praesentium temporum vicissitudines extra claustra degentes, non aequiparari saecularibus sacerdotibus in beneficiorum assecutione, sed ea, de licentia Superiorum ac de Ordinarii consensu, posse tantum retinere ad nutum eiusdem Ordinarii.

III. Ad validitatem nominationis dictorum regularium in beneficiis iurispatronatus, requiri ut apponatur conditio dispensationis ab inhabilitate habendi beneficia.

IV. Hinc patere ex Instructione S. Poenitentiariae quoad hoc incapacitatem in regularibus ablatam minime fuisse, sed solummodo concessam fuisse Ordinariis facultatem eosdem ad nutum deputandi in administratione beneficiorum.

V. Si Ordinarius irrationabiliter deneget praesentato in-

stitutionem et res deferatur iudicanda Superiori contra patronos tempus non currere, atque post latam sententiam novum integrum terminum esse concedendum.

VI. Patronos laicos intra quadrimestre nominationem cumulare posse, seu secundum et tertium aut etiam plures praesentare posse, atque liberum esse Ordinario quemlibet ex praesentatis instituere.

www.libtool.com.cn

VII. Elapso quadrimestri, licet ius conferendi beneficium Ordinario sit devolutum, tamen annuente Ordinario, patronos devenire posse ad novam nominationem et praesentationem.

DECIMARUM

Die 28 Iulii 1877,

COMPENDIUM FACTI. Parochi Civitatis P. ius exigendi habent decimas personales a familiis, quae morantur intra limites propriae paroeciae. Subiicitur iuri huic etiam familia nobilis Comitissae M. quae etsi Palatium, et domicilium in civitate retineat, tamen per anni partem, quandoque maiorem ruri commoratur. Ex quo lis enata est inter Parochum civitatis et Parochum ruris. Curia Episcopalis ad quam lis delata fuit pro Parocho urbano stetit.

Disceptatio synoptica.

PAROCHI RURIS IURA. Curati istius Orator loquitur in prima defensionis parte de varia decimarum natura; ex quo deducit ius percipiendi decimas personales esse proprium Parochi domicilii; tuetur in secunda parte Parochum domicilii dictae nobilis familiae esse parochum ruris; in tertia autem

argumenta in contrarium adducta refutare contendit. Et quoad primam partem nisus *cap. decimae 26 q. 1 de decim.* distinguit decimas in praediales, personales et mixtas. Ex decimis praedialibus et mixtis non possunt subtrahi expensae et tributa, sed sine deminutione solvendae sunt ex *Cap. Tua nobis et cap. cum sit in homine de decim.* secus autem dicendum est de personalibus ex quibus deducendae sunt expensae iuxta *cap. Pastoralis eod. tit.* Barbosa *de offic. et pote. Parochi cap. 28* §. *1. n. 37 et 38.* Rationem huius rei reddit D. Thoma *2. 2. q. 87 art. 1. et art. 2 ad 1.* ubi docet decimas praediales et mixtas deberi partem ex institutione Ecclesiae et partim ex iure naturae; ideoque fructus in huiusmodi decimis naturaliter intelligendi sunt prout a fundo proveniunt. E contra cum decimae personales auctoritate tantum Ecclesiae debeantur, accipiendae sunt iuxta interpretationem humani iuris, secundum quod fructus non intelliguntur, nisi deductis expensis, quae eorumdem causa fiunt *ex l. fructus ff.*

Ex his deducit orator quod decimae personales debentur Ecclesiae, in cuius parochia quis domicilium habet, cum persolvantur in sustentationem eorum qui spiritualia ministrant. Idque erui ex *cap. significavit 5 de Paroch. Cap. Quaesti sunt 46 caus. 16 q. 1. et Cap. Ad Apostolicae 20 de Decim.* « ibi » *Noveris itaque quod aequum est, ut illi Ecclesiae decimae personales reddantur ab eis in qua ecclesiastica percipiunt sacramenta.* » Cui iuris dispositioni praeter alios adhaerent Barbosa *cap. 28* §. *2 num. 26 et seqq.* Et ideo si parochianus alibi se conferat vel recreationis, aut agendi negotia causâ, absque tamen animo proprium transferendi domicilium, decimae personales parocho domicilii solvendae sunt, Ferraris *verb. Decimae n. 10* licet per accidens in propria Parochia per totum absentiae tempus nec sacramenta recipiat, neque divina audiat, *Navarras cons. 2 n. 5 de Decimis.* Et principium hoc ita est receptum ut si, ex DD. contigerit quod quis sub duabus paroeciis aeque permaneret, tunc decimae personales essent dividendae inter duas paroe-

cias pro rata temporis, quo parochianus in eis audiat divina et recipiat sacramenta Fagnan. *in cap. Cum contingat de decimis* Barbosa *loc. cit. Rebuff. de decimis q. 6 n. 5.* Ergo conclusit Orator cum decimae personales ad Parochum domicilii spectent, cumque domicilium nobilis familiae M. sit in paroecia Parochi ruris, ad hunc prorsus spectat ius exigendi decimas personales.

www.libtool.com.cn

Ut in secunda parte probaret praedictam familiam suum habere domicilium in paroecia ruris utitur testimonio Syndici qui fidem facit quod dicta familia habitualiter moratur in illo Municipio, excepto mense in quo, causâ balneorum in civitate sese transfert ; ita ut recenseatur in regesto permanenti illius populi. Insuper duo presbyteri illius loci, praeter testimonium Syndici, adiungunt inibi praefatam familiam Paschali tempore refici sacramentis. Itaque si domicilium re et facto transfertur, non autem nuda contestatione; si domicilium ex communi Doctorum sententia concedit iurisdictionem fori poenitentialis, imo iuxta Sanchez de *matrim. disp. 3 n. 12* ad hoc sufficit quasi domicilium; si inibi enunciata familia habitualiter moratur, atque sacramenta suscipit; si demum decimae personales illi debentur parocho a quo sacramenta, caeteraque spiritualia ministrantur ex DD. sententia et praesertim Schmalzgrueber *part. 3. tit. 30 de Dec. n. 28*, prono veluti alveo fluit Parochum ruris esse proprium parochum familiae M. et proinde ipsi ius esse personales exigendi a praefata familia decimas.

Aliud deducit argumentum ex observantia, quae iuxta Rotam *decis. 1. n. 6 et 7 rec.* « est optima et fidelis cuius-« cumque dispositionis legis, vel concessionis interpres, et « est magistra omnium rerum, omnemque tollit dubitatio-« nem. » Observantiam autem favere suo clienti non dubitat ex testimoniis plurimorum, qui autumant nobilem familiam M. decimas personales solvisse iam parocho ruris demortuo. Observantia haec non solum, ait ille, probat domicilium dictae familiae in Paroecia ruris, sed revelat animum eiusdem familiae ibi manendi; ideoque ceu Parochus ruris

debet sacramenta aliaque spiritualia ipsi familiae ministrare, sic familia debet eidem Parocho solvere decimas personales. Quinimo de animo dubitari nequit; nam si nobilis Comitissa civitatem petiit ob aliqua negotia sub paschali tempore, ibi de licentia parochi ruris paschali praecepto satisfecit.

Ut argumento robur adiiceret ait, quod nobilis familia M. die Purificationis a Parocho ruris accipit candelarum fasciculum, et rure sepulchrum habet; iam vero sepulchrum gentilitium demonstrare contendit domum ibi extantem non esse prorsus ruralem sed includere, aliquo sub respectu, domicilium vel quasi domicilium Schmalz. *de Sep.* §. *3 n. 28 tom. 3,* « ibi » *Ius sepulturae habet se instar domicilii inter vivos.* » Ergo Parocho ruris debentur decimae personales a familia M. quae rure sepulchrum tenet.

Ad diluendas oppositas difficultates, ait Orator, nil officere dispositionem Synodi Dioecesanae in *tit. 7 de funer. et sepult. n. 20.* « Quando cives recreationis gratia ad domos « rurales accedentes in illis moriuntur.... quarta funeralis pro- « prio Parocho persolvatur. » quia praedicta familia non recreationis causâ rure degit. Etenim nobilem familiam dici nequit recreationis gratiâ rure commorari, dum commodius habens in civitate palatium moram trahit hiemali tempore in oppido ubi aquilones gelidi infremunt, ubi non commodae sed asperae sunt viae, et ubi honestarum consuetudinum privatio est.

Pariter nihil obstat quod Syndicus civitatis autumaverit familiam, de qua agitur, suum domicilium civile retinere in civitate P. ubi suorum negotiorum principalem habet sedem; nam decimae personales illi debentur Paroeciae in qua personae sacramenta aliaque spiritualia suscipiunt, ceu in casu familia M. a Parocho ruris suscipit.

Iura Parochi civitatis. Advocatus huius Parochi ostendere conatus est suo clienti deberi decimas personales a familia M. tum ex iure communi, tum ex locali consuetudine. Ex iure certum est quod personales decimae debentur Parocho proprii domicilii, a quo sacramenta quisque recipere debet, *cap. Ad Apostolicae 20 de Decimis,* Schmalz. *de decim. 28*

et Doctores unanimiter: licet aliquis sive negotiationis, sive recreationis vel aliâ huiusmodi causâ alibi commoretur. Ferraris *V. Decimae,* Barbosa, et Pirhing. Atqui familia M. suum retinet domicilium in civitate P. cuius ratione spiritualiter subiicitur Parocho civitatis ; ergo isti ius decimandi est, minime vero parocho ruris.

Idque ut evinceret meminit nobilem familiam non modo per anni partem morari in civitate P. sed eamdem civitatem nedum in praecipuis anni solemnitatibus, sed aliquem de familia in unaquaque hebdomada petere. Imo inter familias civitatis illustres censitam extare, ibi Palatium extructum habere, in quo omnia, quae ad totius administrationis negotia spectant, peraguntur, ibi vectigal Municipio solvere vulgo *focatico* ac paschali tempore sacramentis refici. Hinc si dicta familia per anni partem, et quandoque maiorem, rure vitam degit, id facit recreationis gratia, minime vero cum animo deserendi civitatis domicilium.

Neque obiiciendum quod familia illa variis abhinc annis ruri commoretur; nam ad amittendum domicilium duo concurrere debent, idest factum et animus; quo alterutro deficiente numquam dici valet domicilium fuisse relictum *l. Domicilium ff.* §. *penult. et Gloss.* « ibi » Pikler *lib, 2 tit. 29 n. 60 de for. comp.* « Porro sicut domicilium, » vel quasi domicilium contrahitur facto et animo, ita nec » amittitur deficiente alterutro tantum, sed utrumque debet » concurrere, scilicet actualis emigratio, seu discessus ex loco, » et simul animus non redeundi. » Concinunt Ferraris *v. Parochian. 33, 34,* Barbosa *de offic. et potest. paroch. part. 2 cap. 221 n. 35.* Atqui ex declaratione dominae Comitissae M. per procuratorem edita clare patet numquam eamdem familiam habuisse animum deserendi domicilium civitatis. In ista enim declaratione ostendit etiam nobilis Comitissa semper retinuisse sese pertinere ad Parochiam S. Michaelis Arcangeli de civitate, in qua Palatium habet, quamvis moretur per aliquam anni partem rure.

Obiicitur a Parocho ruris sibi ius esse saltem condivi-

dendi decimas personales pro rata temporis ex decennali habitatione praedictae familiae. Ast reponitur decennium nondum impletum fuisse; et quamvis impletum fuisset nil prodesset, deficiente animo manendi rure, ibique domicilium figendi. Affabre Cardinal Tarquini *in Rom. Matrimonii diei 11 Ianuarii 1868 n. 11.* « ibi » Nemo quippe ignorat « non dico decennium, sed ne mille quidem annos, ut peri- « torum fert proverbium per se sufficere posse ad verum « propriumque dictum domicilium acquirendum, cum neces- « saria sit voluntas non quidem definito ullo tempore utut « longissimo, sed omnino perpetuo in eodem loco manendi.... « Profecto dubitari non potest ad quasi domicilium adipiscen- « dum, praeter actualem habitationem, voluntatem simul requi- « ri eamdem continuandi per maiorem anni partem. » Adiecit etiam advocatus, quod si quaestio de decimis inter Ecclesias habeatur, consuetudo principem tenet locum, eique obsequendum est ex textu *cap. 18 Num sint, Cap. 20 Ad Apostolicae de Decim.* « ibi » *Quoniam a diversis, diversa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu, quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum.* » Concinunt *cap 32 cod. tit* Fagnan. in *Cap. Cum Contingat de Decim. n. 18.* De Luca *disc. 5 n. 5 et 6 de Decim.*

In themate consuetudo est pro parocho civitatis; siquidem ipsa monet ab immemorabili decimas personales isti parocho solutas fuisse a familiis, quae licet alibi morarentur, domum tamen retinebant in civitate. Autumant id testimonia ab anno 1701 usque ad haec nostra tempora.

Iuxta hanc consuetudinem consimiles quaestiones a remotis etiam temporibus diremptae fuere. Inter alios casus anno 1785 oblata fuit S. C. Congregationi quaestio enodanda, cuius haec erat species. Moratus fuerat per octennium Opitius Mazza in Oppido Trivii antiqui decimasque solverat Capitulo Pisauri, ubi apertam retinebat domum. Eo igitur defuncto, solutas vindicare tentavit decimas oppidanus Parochus. At proposito dubio sub die 8 Iunii 1785 « *An Rectori Ecclesiae Parochialis s. Iuliani Trivii antiqui sint restituen-*

dae decimae sacramentales de quibus agitur et a quo tempore. » S. Congregatio respondit: « *Negative et amplius.* »

Idem sensit S. C. Congr; ut alias plures omittamus, in Pisauren *diei 21. Ianuarii 1826,* cuius species et resolutio optime concinnata in indice resolutionum praefati anni sub litera D. invenitur « ibi » Decimam Sacramentalem, quam « ex vetustissima consuetudine Parocho domicilii solvere te- « nentur, qui Pisauri domum retinent apertam, etiamsi alibi « moram ducant. Parocho s. Michaelis praestandam esse ad « formam consuetudinis a Praesule Aloisio Ciacchi, qui Ro- « mam venerit, sed domum apertam Pisauri habebat, decre- « vit s. Congregatio. »

www.libtool.com.cn

Prorsus inutiliter recurrit ad exemplum adductum, quod antecessor Parochus ruris decimas personales usque ad annum 1844 perceperit ex eadem familia. Nam id evenit ex conventione inter parochos civitatis et ruris; ex quo unus ex familia M. ex uxoris obitu dolore percitus, rure ultimos vitae suae annos transegit. Quae conventio ad huius interitum pervenit.

Hinc, conclusit orator, ex his quae adduximus amplius dubitari nequit quod decimae personales nobilis familiae M. parocho Civitatis debeantur.

Post hoc Emis. Patribus propositum fuit enodandum

Dubium

An et ad quem spectet ius exigendi decimas personales a nobili familia M. in casu.

Resolutio. Sacra C. Congr. re probe perpensa, sub die 28 Iulii 1877 respondere censuit:

Affirmative ad parochum s. Michaelis Arcangeli, (nempe ad Parochum civitatis)

Ex quibus colliges. I. Decimas personales, ubi adhuc in usu sunt, ex iure communi solvi debere illi parochiae, a qua ex obligatione sacramenta ecclesiastica caeteraque spiritualia administrantur.

II Nam sicut Parochus propriâ personâ proprioque ministerio sacramenta et bona administrat spiritualia, sic convenit ut ille in cuius favore haec omnia fiunt, solvat eidem parocho decimas de illis rebus quae propriâ personâ proprioque ministerio acquisivit.

III. Eiusmodi decimas personales deberi proprio Parocho, etsi parochianus, absque animo tamen transferendi domicilium, extra illam paroeciam resideat quacumque de causa, ut puta sive animum recreandi vel aliqua negotia perficiendi gratiâ.

IV. Duo requiri ad evincendam domicilii mutationem, idest factum et animum; sive actualem e loco emigrationem, et animum non redeundi; ita ut si alteruter desit domicilium immutatum fuisse dici nequit.

V. In themate nobilem familiam deserendo domicilium civitatis per anni partem, quandoque etiam maiorem, id fecisse animum recreandi causâ, non animo idem linquendi domicilium.

VI. Nullum esse definitum tempus, utut longissimum, ex peritorum sententia, ad proprium verumque dictum domicilium acquirendum, quatenus vero voluntas desit in eodem loco perpetuo manendi.

VII. Quando lis est inter ecclesias quoad decimas parochiales, magni ponderis censendam esse loci consuetudinem; legitur enim in *Cap. 20 ad Apostolicae, de decimis*: « quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. »

CAPELLANIAE

www.libtool.com.cn

Die 22 Septembis 1877 et 26 Ianuarii 1878.

In Ecclesia Cathedrali S. extat Capellania sub invocatione s. Dulcissimae, cuius iuspatronatus spectat ad familiam Falcinelli. Beneficiarius ex lege fundationis, praeter residentiam, interesse debet choro diebus festis etiam abrogatis, cum onere ministrandi ad altare Ultimo demortuo possessore, vacans extitit capellania haec; et eius administrationem, per Secretariam Brevium die 28 Martii 1854 ad novennium obtinuit Ioseph Falcinelli unus ex patronis; ea tamen conditione, *ut probum virum ecclesiasticum* deputaret, *qui omnia beneficii onera, congrua compensatione praestituta*, adimpleret. Ad onera explenda Ioseph orator nomen dedit se soluturum congruam compensationem viro Ecclesiastico iuxta Apostolicas litteras; et declaravit se quoque soluturum quidquid oporteret pro punctaturis et pro quolibet beneficii onere, sicut etiam pro Missarum satisfactione.

Novennio nondum elapso idem Orator rursum petiit a S. C. Congregatione praefati indulti prorogationem, ea praesertim ratione, quia ipsiusmet parentes in re familiari patiebantur angustias, simulque infirmitate laborabant. Ad triennium quaesitam obtinuit gratiam, a postremo die prioris indulti computandum: « deputatc tamen idoneo Ecclesiastico administra-
« tore qui satisfactis Missis pro praeterito non celebratis, infra
« terminum prudenti arbitrio Episcopi praefiniendum, ac im-
« pletis quotannis omnibus oneribus, superextantes reditus tra-

« dat utrique parenti Oratoris titulo alimentorum arbitrio et « conscientia Episcopi. »

Die 19 Februarii 1866 alium porrexit supplicem libellum ad S. C. C. Falcinellius ut indulti prorogationem ad aliud triennium obtineret, asserens, easdem, ob quas praecedentem obtinuerat gratiam, perdurare causas. Sacra Congr. rescripsit Episcopo administratori, qui auditis..... « referat de imple- « mento Missarum ad tramites praecedentis indulti; de legi- » tima prorogationis causa, et an alicui praeiudicium in- « feratur»

Episcopus retulit Capitulum ivisse in sententiam contrariam oratoris precibus; seseque huic suscribere sententiae; quoniam orator satis commode, proprio labore, vivit; ideoque deesse legitimae petitionis causam. Hisce auditis votis a S. Congregatione sub die 7 Ianuarii 1868 rescriptum fuit « *Lectum et notificetur Episcopo.* »

Quo cognito rescripto, Episcopus per edictum « sub die 21 Ianuarii eiusdem anni, ad valvas Ecclesiae S. affixum, patronis significavit ut intra terminum a sacris canonibus praescriptum Capellanum nominarent. »

Mense nondum elapso, tres sorores germanae et Oratoris consobrinae, ad dictam capellaniam nominarunt clericum in minoribus constitutum, nomine Petrum L ; eâque acceptâ nominatione Curia Episcopalis sub die 5 Martii anni praedicti monitum evulgavit; quo dicebatur quod quisquis censeret aut praetenderet ius habere ad praedicti beneficii nominationem sistere teneretur coram Ecclesiastica Curia, suasque rationes ibi adducere intra decem dierum spatium; quo decurso, procederetur ad collationem beneficii favore Clerici iam nominati.

Repulsus a S. C. C. Orator Falcinelli, supplici libello per Secretariam Brevium petiit a SSmo. Patre administrationem Capellaniae donec eius filius aetatem a Sacris canonibus praescriptam ad assequenda beneficia attigisset, cum onere deponendi reditus in augmentum dotis favore dictae Praebendae, ac interim praesentationes suspenderentur. Initio mensis Martii

anni dicti praefata Secretaria remisit eiusmodi preces Episcopo pro informatione et voto.

Quum tamen Orator cognoverit mense Aprilis quod non obstante recursu ad Secretariam Brevium, ac nondum elapso quadrimestri tempore, Clericus L. institutionem dicti beneficii obtinuerat, sub 16 Martii praedicti anni, acris quaestio exarsit. Nam Orator Falcinelli adversus eiusmodi institutionem exurgens primo in Curia protestatus est, deinde petiit a S.C.C. ut institutus a Capellaniae possessione removeretur, et ut petitae ab eo gratiae locus fieret; sin minus « quoties censeretur nominationis suspensioni annui non posse Orator nominare vult uti patronus et descendens masculus. »

Alter interdum oblatus fuit supplex libellus ab Oratore in quo exponebat clericum B. deputatum fuisse pro satisfactione obligationum beneficialium ad tramites Rescripti S. C. C; vi cuius gratiam suspensionis et nominationis a praefato beneficio obtinuerat. Cum tamen Clericus ministri munere ad Missam fungeretur, uti absens punctabatur; et Orator a Capitulo obstringitur solvere fallentias in scutatis tresdecim pro quolibet anno.

Disceptatio synoptica.

Iura Oratoris Falcinelli. Prorsus adlaboravit iste ut primo ostenderet nullitate laborare institutionem ab Episcopo datam Petro L. Etenim canon est iurisprudentiae, quo non vulgatior alter, collationem ab Episcopo peractam, spreto patrono, dum hic ipse reclamat, intra tempus a legibus datum ad praesentandum, ipso iure nullam, irritamque habendam esse Garzias *de Benef Eccl. part. 5 de aliis notat.* §. 1. n. 231. «ibi» Undecimo notandum est, quod institutio seu collatio ab « Ordinario facta, spreto patrono, infra tempus datum ad praesentandum, nulla est ipso iure *cap. decernimus 16 q. 7.* « *Abbas in cap. Bertoldus de re iud. n. 12 et ibi Felin...* reclamante tamen et contradicente patrono infra dictum tempus datum ad praesentandum. « Et *n. 251 loc cit.* » Et « sufficit sola contradictio patroni facta infra tempus datum

« ad praesentandum, ut collatio, eo spreto sit irrita, etiamsi « non praesentaverit aliquem.»

In facto tamen est quod Curia Episcopalis die 16 Martii 1868 ad institutionis actum devenit, nondum elapsis duobus mensibus ab edictorum affixione. et non obstante, quod ipse per suum procuratorem reclamasset, atque adhuc quadrimestre decurrente, pro institutionis nullitate etiam coram S. C. C. institisset.

Ut sibi quoque ius praesentandi in hac Capellania competere demonstret, observat quod in quaestione agitata anno 1819 quoad hoc iuspatronatus idem, a S. C. Congregatione pro integra voce adiudicatum fuit Falcinellio. Proindeque sibi spectare medietatem vocis tribus autem Consobrinis quae nominaverunt Clericum L, aliam vocis medietatem; quia duo tantum stipites nunc existunt eiusdem familiae, ab uno quorum descendit Orator, ab alio autem tres Consobrinae. Ast in iure est principium firmatum in *Cap. Indultum 71 de Regulis iuris in 6,* quod *Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum.* Atqui per praefatam institutionem infra quadrimestris tempus absolutam non modo ablatum est ipsi ius praesentandi beneficiatum, verum et consobrinis eiusdem variandi nominationem; et ideo institutionem invalidandam esse conclusit.

Et perperam obiiciereturtempus fuisse per Ordinarium abbreviatum; eoquod tempus ad praesentandum nullimode per Ordinarium abbreviari possit: nam beneficium a iure concessum nequit per iudicem tolli iuxta ea quae tradunt Ferraris *verb. Iuspatr. art. 4 n. 32, De Luca de iurep. disc. 49 n. 5. Barbos. de Episcop. alleg. 72 n. 443;* atque hoc eo vel maxime si unus ex patronis praetendit quod ad ipsum spectat praesentatio, vel cum aliis simul, vel singulariter S. C. C. in *Signina Capellaniae die 16 Septem. 1871.* §. *Neque.* «ibi» Porro sciunt et qui nihil sciunt huiusmodi prae- « sentationis tempus abbreviari haud posse, quando unus ex « patronis vel coniunctim cum aliis vel singulatim ipsi prae- « sentationem competere contendit. *Ita Roch. de Curt. et*

« *Lambertin.* » Hinc in recitata Signina quum infra quadrimestre institutio data fuerit a Curia Episcopali, spreto impedimento, quod aiunt *nihil transeat* ab uno ex patronis apposito, tametsi ex paritate suffragiorum locus fuisset gratificationi, nihilominus ab eadem S. C. C. in primo dubio « *An collatio Capellaniae facta ab Episcopo favore Sacerdotis Felici sustineatur in casu* » responsum prodiit: « *Negative et amplius.* »

www.libtool.com.cn

Addidit Orator quod cum dolo et fraude Curia ipsa processerit, posthabendo recursum quem ipse praesentavit per Secretariam Brevium. Nam litterae quibus ab eadem Secretaria informatio petebatur abditae manserunt donec nominatio in Clericum L. locus habuerit: et nominatio a solis Consobrinis expetita fuit; dum ipsae tres medietatem vocis haberent. Quod cum sciret Orator protestationem misit Ordinario, et reclamavit apud S. C. C. adiiciens quod Consobrinae iureiurando deposuerunt sese deceptas fuisse, a quodam qui retulit Oratorem Falcinelli ius amisisse ad nominationem per edictum Episcopi ad Valvas Ecclesiae affixum. Ideoque necessum fuisse ut illae nominarent Clericum C. cui Episcopus idem constituerat conferre beneficium istud vellent, aut nollent eaedem Consobrinae.

Quapropter, ait Orator, posita nullitate possessionis, se sperare petitam gratiam sibi concessuram, quia ex ea bonum persentit Ecclesia, cum reditus Beneficii augeantur, et quia humanitas S. C. C. id soleat concedere patronis egestate pressis. Quod si gratiam negarent adhuc tamen sibi reservatum esse ius nominandi sustinuit, quamvis plures anni a litis contestatione effluxi fuissent. Ex iure quidem habetur, quod lite pendente inter patronos et praesentatum, vel inter ipsos praesentatos, tempus patronis non currit. Fagnan. *in Cap. Quoniam. 3. de iurep. n. 19. Barbosa de officio et potest. Episcopi alleg. 72 n. 41.* Quam theoricam extendendam esse contendit etiam in casu quo lis ferveat inter patronum et Episcopum ceu ostenditur in Mazarien *Institutionis diei 30 Iunii 1877* § *Advertit* coram S.C.C. in qua afferuntur variae S. Rotae decisiones. (1)

(1) Videsis hanc quaestionem pag. 554 huius Voluminis X.

IURA CLERICI INSTITUTI. Falcinellius audiendus non est, ait Clericus C; quia eius fraude, nempe ad retinendam Capellaniae possessionem usque ad praesentem diem quaestio haec protracta fuit. Ut fraus istaec evidens fieret usus est Falcinelli verbis, quibus clare confitetur, in recentiori instantia, causam initiavisse, deindeque suspendisse expectans quod filius aetatem canonicam haberet.

www.libool.com.cn

Quibus observatis, adiungitur nullimode queri posse Falcinellium ait; quia etsi ille beneficiatum nominavisset, tamen Clerico C. institutio danda foret, cum suffragiorum pluralitatem retulerit. Ad rem Vicarium Capitularem audire praestat. « Ius nominandi ad residentiale beneficium de quo agitur, non « competere tantum masculis de familia descendentibus Falcinelli, sed foeminis etiam, cum in actu donationis seu « cessionis factae favore Iosephi senioris anno 1816 per testamentum conditum a Dulcissima Santucci scripta reperiantur apertissima verba haec; quod post eius mortem Ius-patronatus sive ius nominandi ad dictum beneficium in casu « vacationis sit et pertineat ad Dominum Iosephum Falcinelli et ad eius descendentes et successores in perpetuum. Porro « neminem latet sub lato generico nomine descendentium vel « successorum tam masculos quam foeminas venire, seu non « constitui iis ex vocibus agnatitiam vocationem tantum, sed « et cognatitiam simul. Ex stipite enim descendunt tam masculi quam foeminae. Itaque quum nulla sit expressa restrictio conditionis, nulla etiam exclusio in descendentibus « admitti posse videtur. Accedit etiam, quod ab extranei liberalitate in familiam Falcinelli ius nominandi derivaverit, « ideoque nec levissime praesumi posset favore agnatorum « praedilectio in foeminarum exclusionem. Tandem apertissimis donantis verbis consonat factum possessionis, cum post « obitum Iosephi senioris donatarii, eius adhuc filia Cherubina una cum masculis anno 1834 nominaverit Sebastianum Patricelli ad assequendam beneficii administrationem. « Hisce itaque positis, luce clarius meridiana patet ius ad « praesentandum in casu non Iosephi Oratoris tantum favo-

« re, sed foeminarum etiam, quae ex ipsius Falcinelli fami-
« lia descendunt. Hinc prope deliramentum est quod de iure-
« patronatus activo *exclusive* blaterat orator, eoque minus
« de vocatione passiva, cum de hoc etiam iure nec minimum
« verbum in testamento obmussitetur favore ipsius.

« Quapropter nemo non videt, foeminas scilicet Elisabeth,
« Leoninam, Carinam Falcinelli, quae in eodem gradu ora-
« toris cum stipite reperiuntur, iure meritoque praesentasse
« in actuali vacatione ad beneficium Petrum L. in aetate
« canonica constitutum, et iam iam proximum ad sacrum Sub-
« diaconatus Ordinem suscipiendum, quantaque contra iniuria
« orator tam activum quam passivum iuspatronatus sibi asse-
« rat. Haec quoad ius nominandi.

« Breviter etiam me expediam quoad alterum super be-
« neficii collatione. Postquam mihi veneratissimis superius
« enunciatis litteris diei 7 Januarii 1868 notificatum fuit
« Sacri Vestri Ordinis sapientissimum rescriptum *Lectum* su-
« per precibus oratoris, qui noviter beneficii administratio-
« nem impetraverat, ut Ecclesiae bono quam citius prospici pos-
« set, quae plerumque servitio carebat in sacris solemniter
« faciendis, edictorum affixionem de more decrevi ad praesen-
« tandum infra praefinitum tempus idoneum iuxta iurispa-
« tronatus institutionem. A praedictis foeminis Elisabeth,
« Carina et Leonina, ut superius exposui, praesentatus fuit
« praecitatus Petrus L. Constito de bono iure nominantium
« elapsis fatalibus in edicto statutis, nullaque per alium facta
« oppositione, beneficium collatum fuit eidem L. qui sub
« die 16 Martii proximi praeteriti possessionem inivit. Interim
« orator Falcinelli, cuius preces pro nova administratione be-
« neficii ab iustitia vestra fuerant reiectae, ad Secretariam
« Brevium confugerat memorato supra libello, sed litterae
« requisitoriae ad me pervenerunt post possessionem captam
« a praedicto praesentato, uti iam certiorem feci meis litte-
« ris supra laudatum Emum Virum a Secretis Brevium. Qua-
« propter non captiosa nec subdula dicenda esset possessio
« beneficii, cum collata fuerit post edictorum affixionem, qua

www.libtool.com.cn

« durante Orator et ipse maluit silere ut piscis. Cur haec? « Attamen si idem Ioseph hodie nominationis iura experiri « velit, libentissime utatur. Recordari vero ipsum oportet, « quae de iurepatronatus supra exposita sunt, scilicet commu- « ne esse tam masculis quam foeminis, seu agnatitium et si- « mul cognatitium, quo in casu, ni fallor, solent attendi vo- « ces praesentantium pro collatione obtinenda beneficii iuxta « numerum personarum, ita ut tot voces quot personae. At « in casu cum tres foeminae nominaverint actualem possesso- « rem beneficii, facta itaque oratori potestate nominandi per- « sonam idoneam, una semper erit vox favore istius, cum « unus tantum esset, scilicet orator, qui praesentaret. Legiti- « ma itaque ac in suo robore semper maneret collatio Bene- « ficii facta favore actualis possessoris, cum in legitimo ac « plurali nominantium numero subsistat, ac per consequens « numquam, salvo iure sibi quaesito, posset possessor bene- « ficio expoliari. » Cum igitur nullum damnum Falcinellio obvenerit ex data institutione praesentato a patronis, cumque et ipse minime in posterum praesentationem peregerit, concludit clericus L. et institutionem praecipue post longam possessionem sustinendam esse; proinde neque cum suo damno administrationem Capellaniae Falcinellio tribuendam, neque amplius ius nominandi.

Gradum faciens ad alterum quaestionis caput queritur Falcinellius iniuriâ perceptas fuisse a Capitulo fallentias respondentes absentiae Vesperorum et Missae Conventualis, eo quod clericus deputatus ad implenda onera beneficii, ministri munere eo tempore fungeretur. Etenim praeter quamquod Capellanus tenetur ex fundatione hoc munere fungi, in facto esse contendit, quod in omnibus catholici Orbis Capitulis tam Cathedralibus quam Collegiatis numquam fit ut ministri assistentes altari ad punctaturas solvendas obligentur, cum eo actu ipsi non solum moraliter sed et materialiter choro adsistere dicantur.

Ex adverso contendit Capitulum haud fallentiarum repetitioni locum esse. Audiatur Vicarius Capitularis in hoc pro-

posito « Ad onera explenda Ioseph Orator nomen dedit se so-
« luturum congruam compensationem viro Ecclesiastico. . . .
« atque insuper declaravit se subiicere solutioni punctatura-
« rum, omnibusque beneficii oneribus . . . Hisce constitutis
« Orator usque dum administrationis nomine potitus est bene-
« ficio, punctaturas seu fallentias absque ulla repugnantia vel
» minima exceptione persolvit. Datum quidem non erat suspi-
« cari, quod cessato administrationis indulto post varios ela-
« psos annos, soluti, etiam ex obligatione, repetitionem Ora-
» tor contenderet per instantiam quam remitto. Quapropter ...
» interrogato Capitulo Ecclesiae Cathedralis super precibus
« Oratoris, ipsum cunctis suffragiis contrarium pandidit sen-
« sum Oratoris petitioni. . . Ex deductis a Capitulo mihi vi-
« detur Oratoris instantiam nullo bono iure tueri, quare ab
« ipsius Capituli voto fateor me recedere non posse. »

www.libtool.com.cn

Hisce in medium deductis ex utraque parte, dirimenda fuere proposita

Dubia

I. *An data ab Episcopo institutio sustineatur in casu.*

Et quatenus negative

II. *An administratio Capellaniae concedenda sit Oratori, seu potius procedendum sit ad novam praesentationem in casu.*

III. *An sit locus repetitioni fallentiarum favore Falcinelli in casu.*

Resolutio. Sacra C. C. sub die 22 Septembris 1877, causâ visâ, respondere credidit:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad III. *Affirmative pro diebus et horis, in quibus Beneficii obligationibus per alium satisfecit.*

Causae prosecutio. Clerico qui institutionem in beneficio ab Ordinario iam habuit, displicuit eiusmodi resolutio; atque illico novae audientiae beneficium, ab eo expostulatum,

obtinuit. Sed appellans nullum adducens documentum novum, causa iterum reproposita fuit ad instantiam actoris Falcinelli. et sequentia concinnata fuere

www.libtool.com.cn

Dubia

I. *An sit standum vel recedenaum a decisis in primo dubio in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in secundo dubio in casu.*

Sacra C. Congr. sub die 26 Ianuarii 1878 respondit. *In decisis et amplius.*

Ex quibus colliges. I. Ipso iure nullam esse institutionem seu beneficii collationem ab Episcopo factam, spreto Patrono (1) qui infra tempus, a iure ad praesentandum concessum, reclamet atque contradicat.

II. Principium in iure firmatum extare, quo statuitur *indultum a iure beneficium non est alicui auferendum Reg. Iur. 71. in 6.*

III. Tempus ad praesentandum a iure patronis concessum nullimode abbreviari aut restringi posse per Ordinarios; quia Iudex beneficium a iure indultum tollere nequit.

IV. In themate patere Ordinarium, zelo prospiciendi quamcitius bono Ecclesiae, quae servitio carebat in sacris solemniter faciendis, per suum edictum effecisse ut tempus a iure patronis concessum abbreviaretur.

V. Ministros a choro abscedentes ut altari adsistant pro Missa cantata atque Vesperis haberi ceu moraliter praesentes; nec punctaturis subiici posse uti absentes a choro. (2)

(1) Huius conclusionis rationes variae a canonistis assignantur. Verior inter istas videtur esse quod nullitas hoc in casu inducta a iure sit in favorem eiusdem patroni. Et provisio haec per Episcopum facta, spreto patrono, in pendenti videtur esse, donec patronus ipse reclamet tempore utili. Et, isto reclamante, provisio censeatur nulla a principio; eo vero non reclamante infra tempus utile, pro valida a principio habeatur.

(2) Videsis causam *per summaria precum* pag. 240 Vol. huius. In ea deprehenditur a S. C. C. non reprobari consuetudo, qua fiebat ut celebrans et adsistentes, qui non aderant horis Tertiae, Sextae et Nonae, haberentur tamen uti praesentes in choro.

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

www.libtool.com.cn

PARISIEN.

De Indulgentia pro orantibus ante imaginem Sanctissimi Cordis Iesu.

Decretum. Summus Pontifex Pius VI per rescriptum datum Florentiae die 2 Ianuarii 1792 concessit Indulgentiam septem annorum, totidemque quadragenarum christifidelibus, qui cum debitis dispositionibus « Templum, Oratorium seu altare ubi » Sacra Cordis D. N. I. C. imago publicae venerationi, de- » centi forma quae convenit, ut moris est exposita habeatur » pie visitaverint, nec non per aliquod temporis spatium iuxta « mentem S. S. Deum oraverint. »

Hinc Rev. P. Ramière Soc. Iesu S Congregationi Indulgentiis SSque. Reliq. praepositae infrascriptum proponit dubium.

Utrum Redemptoris imaginibus in quibus SSmi. cordis Imago extrinsecus non appareat, applicari possit concessio Indulgentiae a sa. me. Pio VI facta pro qualibet oratione quae fiat coram Imagine aliqua SSmi. cordis Iesu publicae venerationi exposita?

Emi Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877 auditis Consultorum votis, rebusque mature perpensis responderunt. *Negative.* Et facta de praemissis relatione. SSmo D. N. Pio Papa IX ab infrascripto Secretario in audientia habita die 12 Ianuarii 1878, Sanctitas sua resolutionem S. Congregationis approbavit.

Datum 12 Ianuarii 1878.

A. CARD. OREGLIA a S. Stephano Praef.

A. Panici Secr.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO UNA CUM CONSULTORIS VOTO. Iam vero quid veniat nomine imaginis SS. Cordis Iesu tum ipsa verba, tum usus universalis, qui apparitionibus etiam ac revelationibus a B. Margarita Alacoque acceptis est apprime conformis, docere satis videntur. Colligitur siquidem ex actis eiusdem Beatificationis, atque ex scriptis ab ipsa superiorum iussu factis, non alio quidem modo Imaginem illam subiiciendam esse oculis Christifidelium, nisi sensibiliter sub figura cordis carnei et in pectore Imaginis Divini servatoris exterius expressa. Quoties enim B. Margarita de divini Cordis Iesu apparitione mentionem init, toties illud quibusdam adiunctis designat, ut Imaginem sub sensu cadentem necessario supponant. Ait quippe divinum illud Cor ita apparuisse ut fulgore solem vinceret, radios undequaque diffunderet, vulnere saucia-tum, corona spinea sursum, et crucis signo deorsum munitum. Et ipsum Christum Dominum significasse traiit desiderium, quod ad hominum cordium duritiem emolliendam ipsorum oculis praedicti sui Cordis carnei Imago exponeretur; acceptissimum sibi futurum honorem sub hac figura redditum; uberesque se gratias honoris huiusce causa effusurum.

Quibus accedit pictam primitus tabulam, ipsa prope B. Margarita suggerente, eisdem quae diximus emblematibus expressam adhuc asservari ad cuius plus minus normam usque ad nostra tempora caeterae Imagines vel pictae vel sculptae fuerunt repraesentatae. Nuper vero ad hanc praxim impugnandam plures christianas artes etiam colentes insurrexerunt contendentes, haud esse artis regulis conformem hanc repraesentationem SS. Cordis Iesu, et insinuare potius nituntur, ut aliae Imagines sculpantur vel pingantur in quibus exhibeatur Christus lateris sui vulnus manu ad pectus admota ostendens, aut quolibet alio modo suum amorem manifestans. Neque inter ipsos desunt qui dictitent id et conformius etiam esse spiritui revelationum a B Margarita acceptarum et Evangelio ubi non legitur quod Cor, sed quod latum Redemptoris fuit lancea perforatum, et ex quo constat neque in morte neque post mortem fuisse ipsius corpus divisum; ac tandem chri-

stianae etiam veteri iconographiae, iuxta quam latus Redemptoris dextrum, ac minime sinistrum a Longino perforatum repraesentatur.

Et cum usus in Gallia praesertim iam invalescat loco carnei Iesu Cordis Imaginem publicae venerationi exponendi Redemptoris figuram amorem suum praedicta ratione exprimentem, Rev. P. Ramière Societatis Iesu Sacrae Congregationi relatum proposuit dubium; quo desuper Rmus P. Tosa O. P. huius S. Congreg. Consultor de sua sententia rogatus, paucis hisce verbis eam manifestat « Quidquid est de praesumptis » artis regulis, Imago quaelibet, utut pia, Salvatoris Christi » in qua SSmum. ipsius Cor depictum non appareat, nec est » nec dici potest Imago SSmi. Cordis Iesu. Ergo nec est nec » dici potest ornata privilegio earum Indulgentiarum, quae » ab aliquo summo Pontifice orantibus coram Imagine aliqua » SSmi. Cordis Iesu concessae fuerint. Ita omnino quaesito pro» posito respondendum censeo. » Atque huic consultoris opinioni favere etiam videntur verba in superiori Rescripto sa: me: Pii VI adiecta *ut moris est,* quae ad formam Imaginis ante quam est exorandum, videntur referri.

www.libtool.com.cn

Ex quibus colliges

I. Ad consequendam indulgentiam quam Pius VI illis concessit qui visitaverint et per aliquod temporis spatium oraverint ante imaginem SSmi. Cordis Iesu, necesse esse huiusmodi imaginem extrinsecus modo sensibili apparere.

II. Venire enim sub nomine imaginis SSmi. Cordis Iesu figuram sensibilem Cordis carnei, et in pectore Imaginis Divini Salvatoris exterius expressam, ceu verba ipsa innuunt atque universalis usus, qui cum revelationibus B. Margaritae Alacoque apprime convenit.

III. Proindeque omnino reiiciendam esse illorum opinionem qui figuram SSmi. Cordis Iesu aptius repraesentari putant per imaginem in qua exhibeatur Christus lateris sui vulnus ostendens, manu ad pectus admota, absque tamen sensibili cordis figura.

GENEVEN.

Super nonnullis operibus iniunctis, rite peragendis

Die 12 Januarii 1878

Decretum. Gaspar Mermillod Episcopus Hebron et Vicarius Apostolicus Genevensis infrascripta dubia ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam transmisit.

1. Utrum, nisi aliud expresse habeatur in indultis, Indulgentiae lucrandae incipiant a media nocte, an vero a primis Vesperis?

2. Utrum si quis utens recenti privilegio confessionem et communionem pridie eius diei peragat, cui affixa est Indulgentia, etiam reliqua opera praescripta pridie fieri, adeoque pridie etiam Indulgentia lucrifieri possit?

3. Utrum si eidem pio operi, quod a fidelibus iterari non potest variis titulis Indulgentiae adnexae sunt, possint omnes lucrifieri?

Emi. Patres in Congregatione generali habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Decembris 1877 auditis consultorum votis, rebusque mature perpensis responderunt;
Ad primum - *A media nocte ad mediam noctem.*
Ad secundum - *Negative.*
Ad tertium - *Affirmative, dummodo opera iniuncta vere iterari nequeant, vel non soleant sicuti confessio, nisi sit aliunde necessaria.* » (1)

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX. ab infrascripto Secretario in Audientia habita die 12 Janua-

(1) Per confessionem *aliunde necessariam* Emi Patres intellexerunt casus relapsus et voluerunt heic adnotari.

rii 1878 Sanctitas Sua resolutionem S. Congregationis approbavit. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 12 Januarii 1878.

www.libtool.com.cn

A. Card. Oreglia a S. Steph. Praef.

A. Panici Secr.

Votum Consultoris. *Quoad primum dubium.* Consultor observavit quod in Decretis sive Brevibus aut clausula habetur; « *A primis Vesperis usque ad occasum solis* , » aut haec clausula omissa est. Si clausula adest, sensus manifestus est et explicatione non indiget; si vero illa clausula non habetur tunc Indulgentiae non incipiunt a primis vesperis, sed a die naturali. Non inutiliter illa clausula apponitur aut omittitur, sed ex ratione propter diversitatem temporum. Aliquando pro diebus, qui non habent primas vesperas, v. gr. feriae quadragesimales, Indulgentia conceditur simpliciter dicendo; « feria IV in capite ieiunii. » Tunc igitur Indulgentia lucranda incipit a die naturali.

Sed hic iterum quaestio est quando incipiat dies naturalis, sive an dies naturalis comprehendat totum tempus 24 horarum a media nocte usque ad mediam noctem, an vero tantum tempus, quo sol illuscecit. Quaestio decisa videtur decreto 3 Iulii 1754, quod legitur apud Prinzivalli sub num. 214. Ibi dicitur, *diem naturalem ab ortu solis incipere.*

At vero ex actibus, qui in Archivio S. C. Indulg. servantur, manifesto constat, Emos, Cardinales in Congregatione habita die praecedente declarasse, *diem naturalem a media nocte* incipere; cumque nullum vestigium habeatur Summum Pontificem a voto Eminentissimorum Cardinalium recessisse, sed e contra verbis expressis dicatur: « Sanctitas Sua votum » Sacrae Congregationis benigne approbavit; » concludendum videtur, in redactione decreti errorem fuisse illapsum et restituendum esse textum, dicendo, diem naturalem a media nocte incipere.

Si dicitur; « *Ab ortu solis,* » tunc qui mane surgunt velociter ad horam crepusculi vel aurorae, et orationi ac medi-

tationi incumbunt, vel post solis occasum adhuc preces fundunt, plurimas Indulgentias lucrari non possunt ; et qui septentrionales plagas incolunt. ubi hieme nox fere nunquam sole interrumpitur, quasi nullas Indulgentias acquirunt. Unde oportet ut a decreto apud Prinzivalli publicato recedatur, et iuxta votum Emorum anni 1754 dicatur: diem naturalem a media nocte incipere?

www.libtool.com.cn

Quoad secundum dubium quae sequuntur innuit Consultor idem; nempe in una Briocen. diei 29 Maii 1841 quaesitum fuit: « 4. Intra quotas horas diei ipsius vel diei pri- » dianae recitari debeant preces a Summo Pontifice praescri- » ptae ad lucrandam Indulgentiam plenariam ? » Et responsum fuit ; « Intra idem tempus designatum pro Indulgentiarum acquisitione. » Ergo si pro tempore acquisitionis assignatum fuit tempus a primis vesperis usque ad occasum solis, eo tempore preces recitandae et alia opera iniuncta adimplenda sunt ; si vero dies naturalis designatus est, a media nocte eadem opera facienda sunt, etiam si per recentes concessiones permittatur, ut confessio et communio die festum praecedente fieri possit; nam circa opera iniuncta nihil declaratum, nihil immutatum est. Si Episcopus Hebron. loco dubii supplicasset, ut qui die festum praecedente mane confessionem et communionem peragunt, etiam alia opera ad lucrandam Indulgentiam praescriptam peragere possent, eius preces commendatione essent dignae; nam saepe eaedem rationes, quae militabant pro confessione et communione die praecedente iam ad lucrandam Indulgentiam valida, militant etiam pro aliis operibus iniunctis. Sic e. gr. in regionibus, ubi pauci sunt Sacerdotes una tantum Missa dicitur, cui multi intervenire non possunt et si Ecclesia longe distat, non poterunt eam visitare. Deinde confessio et communio sunt semper conditiones principaliores: unde si partes principaliores iam pridie fieri possunt, aequum videtur, ut etiam minus principales quasi eas concomitantes simul fieri possint.

Tenendum tamen semper, absque ulteriore concessione, alia

opera praeter confessionem et communionem praescripta non posse anticipari.

Quoad tertium dubium. Animadvertit Consultor, auctores, qui de re scripserunt, abiisse in diversas opiniones, sed recentioribus fretus decretis S. Congregationis Indulgentiarum, quamvis propositum dubium sit satis grave, censuit enodari posse. Proindeque bifariam divisit quaestionem, loquens in prima parte de Indulgentiis plenariis, in secunda de partialibus.

www.liblool.com.cn

De Indulgentiis plenariis pluries eodem die lucrandis. S. Alphonsus, innuit Consultor, ad rem ait Theol. *mor. lib. 6. n. 534 sub 12.* « Possunt uno eodemque opere plures Indul» gentiae diversis viis concessis lucrifieri, si opus sit aeque » utile ad finem utriusque Indulgentiae nec sit iterabile intra » idem tempus v. gr. ieiunium, vel communio. »

Et idem Laymann *l.5.tr.7.c.6. n. 6.* qui autumaverat opus duplicari debere ad lucrandam duplam Indulgentiam, tamen subdit. « Excipe nisi tale opus sit, quod eodem die repeti non possit vel » certe non soleat; ut si tali die ieiunantibus vel sacram Eucha» ristiam accipientibus, plures indulgentiae ob diversas causas » vel occasiones ab eodem aut diversis Pontificibus concessae » sint semel in eo die ieiunans vel communicans... omnes » Indulgentias lucraturus est, sicut recte docent Corduba, Co» ninchius. »

Sententia haec, quam probabilem dixerunt Suarez et Salmaticenses, hodie certa videtur ex decreto S. C. Indulg. in una Briocen. *diei 29 Maii 1841* ubi ad dubium « An eodem die lucrari » possint plures Indulgentiae plenariae, quando pro unaquaque » praescripta est perceptio divinae Euch ristiae » responsum est: *Affirmative, servatis tamen respective aliis appositis conditionibus*. Igitur cum Communio eodem die iterari non possit, una sufficit pro diversis Indulgentiis plenariis lucrandis, quae alias S. Communionem requirunt.

Cum decreto modo allato aliud concordat in una Meclinien. *diei 10 Maii 1844*. In ea quaesitum fuit : « An Sacerdos » qui Missam celebrat e. gr. pro defuncto, eidem applicat

» Indulgentiam plenariam Altaris privilegiati, potest eodem » die vi communionis in Missae sacrificio peractae lucrari aliam » Indulgentiam plenariam vel sibi vel defunctis applicabilem, » si ad hanc lucrandam praescribitur S. Communio ? respon- » sum fuit: » *Affirmative.*

www.libtool.com.cn

Theodorus a Spiritu Sancto quaerit: An saltem pluries eodem die obtineri queat Indulgentia plenaria concessa hac clausula: *quoties id egerint, vel quoties Ecclesiam visitaverint, toties plenariam?* Et ipse auctor etiam in hoc casu, qui maxime die 2 Augusti propter Indulgentiam dictam Portiunculae sive « del perdono » locum habet, negativam sententiam tenet. Attamen hodie circa hanc quaestionem omne dubium remotum est decreto. S. C. Indulg. *diei 12 Iulii 1847.* Nam in una Valentinien. quaesitum est. « An visitantes » Ecclesias Ordinis S. Francisci die 2 Augusti lucrentur » Indulgentiam plenariam *toties quoties* in ea ingrediuntur et parumper ibi orent ? Et an requiratur ut » Communio fiat in eadem Ecclesia ? » Et responsum est. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*

Ergo ex decretis S. C. Indulg. fit certum unam S. Communionem sufficere ad lucrandas plures Indulgentias etiam plenarias, quia Communio iterari non potest.

Attamen quaeritur an dici possit de confessione et ieiunio quod dictum est de Communione.

Confessio iterari debet eodem die, ab eo qui post confessionem in lethale decidit, nondum adimpletis praescriptis oneribus. Dempto hoc casu, iterari non debet confessio eodem die ad lucrandam indulgentiam, quia onus valde grave esset et saepe etiam nocivum dicunt Salmaticenses. Iuxta varia S. C. Indulg. decreta, confessio fieri potest, vel ipso die, cui assignata est indulgentia, vel die praecedenti; imo qui usum habeat peccata confitendi omni hebdomada, omnes lucrari potest indulgentias per hebdomadam occurrentes. Quod privilegium extensum fuit etiam pro illis qui, penuriâ confessorum, confitentur peccata omni altera hebdomada.

Ieiunium unum ad lucrandas plures indulgentias sufficere, ait S. Alphonsus, quia eodem die iterari nequit.

Brevem orationem pariter sufficere ad plures lucrandas Indulgentias ait Consultor, quoniam a S. Sede praescribitur ut preces pro Ecclesia, pro pace, etc. fundantur, quia dicatur quales et quot preces dicendae sint. Quamvis nonnulli auctores censeant brevem orationem non sufficere eo quod oratio notabiliter modica non est proportionata ad Summi Pontificis intentum, illos Consultor refutavit adiiciens rationem agendi Pauli III, qui visitantibus aliquam Ecclesiam societatis Iesu certa die a Praeposito Generali designanda, et ibi Orationem Dominicam et Angelicam recitantibus, Indulgentiam plenariam concessit. Et ideo si quis ex quinque titulis Indulgentiam plenariam lucrari vellet, pro quibus comparandis oratio praescribitur, oneri satisfaceret si quinquies unum Pater et Ave diceret.

Eleemosyna parva pro pauperibus sufficere videtur ad plures lucrandas indulgentias, quia etiam modica eleemosyna dividi potest in plures minimas partes. Excipe si in Brevi dictum fuerit: *quantum pro sua cuique facultate visum fuerit* seu; *eleemosynam pro posse distribuant:* tunc divites largiorem eleemosynam dare debent.

Visitatio Ecclesiae vel Oratorii eodem die repeti potest, quoties conditio visitandae Ecclesiae ad lucrandas indulgentias plenarias apposita fuit.

De indulgentiis Partialibus. Praemittendum est, ait Consultor, ad partiales acquirendas Indulgentias, minus requiri, quam ad lucrandas plenarias. Quapropter raro praescribitur Confessio, Communio, et ieiunium; quod si etiam pro partialibus indulgentiis praescribantur, valent, quae parte praecedenti innuimus.

Pro refutandis variis sententiis quoad Indulgentias plenarias, uti sumus, ait Consultor, variis recentioribus S. C. Indulg. resolutionibus. Quum nulla adsit authentica solutio quoad indulgentias partiales recurrendum est ad certas regulas communiter acceptas pro interpretatione.

Regula 1. « *Indulgentiae sive Indulgentiarum concessiones interpretandae sunt iuxta mentem concedentis.* » Veram esse regulam haud dubitatur; attamen in praxi parum iuvat; nam mens sive intentio cognosci nequit nisi externe verbis aut factis manifestetur. Quod fieret si in Regulis Cancellariae aliquid circa indulgentias praescribitur, aut si Summus Pontifex certam praxim constanter sequitur.

Regula 2. « *Indulgentiae sunt large interpretandae, cum sunt gratiae.* » S. Alphonsus hanc constituit regulam *l. 6. 534 n. 3.* quam non pauci sequuntur. Iuxta autem Bonacina *disp. 6. q. 1. punct. 7. n. 3. et 4.* tam potestas Indulgentiarum, quam earum quantitas et duratio large sunt interpretandae, quia conceduntur ad bonum Ecclesiae, et salutem animarum, et nemini praeiudicium inferunt. Sed verborum sensus semper est servandus iuxta adagium; *Indulgentiae tantum valent quantum sonant.*

Regula 3: « *Indulgentiarum concessioni respondere debet causa rationalis sive proportionata.* » Ad rem Bonacina *disp. 6. q. 1. punct. 4. n. 3.* ait; « In quolibet pio actu inveniri » posse iustam causam ad concedendam indulgentiam, conse- » quenter validam esse Indulgentiarum concessionem factam » a Summo Pontifice per quodcumque opus etiam levissimum, » ut si concedatur indulgentia plenaria recitanti orationem An- » gelicam et Dominicam. Ratio est, quia Summus Pontifex » iustam respexit causam in concedendo pro levi opere Indul- » gentiam... tum quia esperientia constat, plenarias Indul- » gentias aliquando pro levissimo opere concedi, ut pro Domi- » nica et Angelica oratione: consuetudo autem non facile » damnanda videtur: tum quia, sicut Deus per minimum con- » tritionis actum aeternam poenam condonat, ita etiam con- » donare potest reatum poenae temporalis per quemcumque » actum praescriptum ad consequendam Indulgentiam: tum quia » frustra concederetur Indulgentia, si ad ipsarum valorem et » consecutionem necessarium esset opus aequivalens et aequi- » pollens Indulgentiae, quae conceditur. Quid enim operaretur » Indulgentia, si ad consecutionem Indulgentiae v. gr. 20 die-

» rum tale pium opus requireretur, quod remissionem tantae » poenae mereatur, quanta per 20 dies lucranda esset ? »

Regula 4. « *Summus Pontifex cum Indulgentiam concedit, ex plena scientia agit et vult, ut Indulgentia habeat suum effectum. Nec sua concessione Praedecessorum suorum Indulgentias revocasse credendus est, nisi hoc expresse dicat.* » Quamvis optimae sint regulae, auctores pluries male eas applicuerunt. Nam Theodorus a Sp. sancto, Suarez et Paulus, non obstantibus his regulis, censuerunt uno eodemque opere, *quamvis non iterabili* uti Confessione, Communione et ieiunio, non posse acquiri plures Indulgentias plenarias, quia si illa opera bona sunt proportionata ad unam Indulgentiam plenariam, iam non sunt ad lucrandas plures plenarias. Sed S. Sedes usa est maiori largitate declarans, ut supra dictum fuit, quod eodem die, imo eadem Communione et Confessione, sive eodem ieiunio acquiri possint plures Indulgentiae plenariae, caeteris impletis conditionibus; et si dum ageretur de Indulgentia plenaria benignior et largior sententia ex parte S. Sedis praevaluit, profecto dum agitur de indulgentiis partialibus larga interpretatio locum habere debet. Eo quod inter diversas Indulgentias partiales numquam est magnus proportionis defectus; quia sive sit Indulgentia unius anni, sive mille annorum, semper sunt Indulgentiae partiales: unde videmus quod Sixtus IV recitantibus tertiam partem rosarii 5 annos, Innocentius VIII vero 60 millia annorum toties quoties concessit.

Paulus, Suarez et Filluccius negant eodem opere pio posse acquiri plures partiales Indulgentias; sic fidelis nequiret eodem opere lucrari Indulgentiam 40 dierum, si unus Pontifex 20 dierum, et alter Pontifex pariter 20. dierum eidem pio operi concesserint. Quae opinio nimis rigida est et regulam adversatur, qua innuitur Indulgentiam large esse interpretandam.

Etenim si Indulgentiae partiales non accumulantur, plurimae Indulgentiae inutiles fiunt. Deprehenditur enim ex Summario Indulgentiarum Confraternitatis S. Rosarii approbatum ab Innocentio XI cap. III. 1. Concedi Indulgentiam 40 dierum

recitantibus tertiam rosarii partem; 2, iisdem recitantibus tertiam partem rosarii Indulgentiam 5 annorum; 3, iisdem recitantibus tertiam partem toties quoties 60 millia annorum. Ast si quis recitando tertiam Rosarii partem lucretur toties quoties 60000 annos Indulgentiarum, quomodo Rosarium recitabit cum intentione lucrandi 40 dies Indulgentiarum? Nonne aliae inferiores Indulgentiae inutiles videbuntur?

www.libtool.com.cn

Proinde probabilior videtur sententia, *uno eodemque actu pio vel eadem Oratione posse fideles plures Indulgentias partiales ex diversis titulis concessas lucrari.*

Opinio contraria gravissimorum auctorum facile explicatur cum nuperrimis decretis superallatis; ex quibus conspici datum est hodie mitiorem evasisse praxim Ecclesiae.

Ex quibus resolutionibus colliges

I. Quoties deerit in decretis aut brevibus indulgentiarum clausula, quae aliter rem limitet, tempus, quo indulgentias quis lucrari potest, esse integrum diei naturalis spatium, idest a media nocte ad mediam noctem.

II. Quamvis ex indulto S. Sedis liceat aliquando confessionem et communionem peragere pridie eius diei, cui affixa sit indulgentia, non licere tamen, absque ulteriore concessione, preces recitare, aliaque perficere opera iniuncta, neque indulgentiam lucrifieri posse ante tempus pro indulgentia lucranda designatum.

III. Proinde si indultum pontificium determinet quod indulgentiam lucrari quis nequeat intra spatium diei naturalis, sed a primis vesperis usque ad occasum solis, infra hoc tempus preces recitandae, iniunctaque opera perficienda erunt.

IV. Christifideles, servatis aliis conditionibus posse cunctas lucrari indulgentias adnexas variis titulis eidem pio operi, quod iterari nequeat aut non soleat, dummodo opus quod iterari non solet alioquin necessarium non fiat.

V. Hinc etsi una communio unumque ieiunium, quae eodem die iterari nequeunt, unaque confessio quae iterari non

solet, sufficiant ad plures lucrandas indulgentias, tamen confessio iterari debet ab eo qui, nondum praescriptis oneribus adimpletis, in lethale inciderit.

VI. Quocumque pio opere, etiam levissimo plures lucrifieri posse indulgentias partiales et plenarias: nam sicut Deus aeternam condonat poenam per minimum contritionis actum, sic Summus Pontifex poenae temporalis reatum condonare potest per opus quodlibet a se praescriptum pro lucranda indulgentia.

www.libtool.com.cn

VII. Frustraneas enim evadere indulgentias, quatenus ad earumdem valorem et consecutionem requireretur opus aequipollens eisdem indulgentiis: tunc enim opus praescriptum poenae temporalis remissionem mereretur, nihilque indulgentiae operarentur.

EX S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISIT.

RESOLUTIO QUOAD USUM LINGUAE RUSSIACAE IN LITURGIA CATHOLICA

Beatissime Pater

Fautores schismatis ex aliquot annis omni contentione inducere conantur linguam Russiacam in publicum cultum divinum Ecclesiarum Catholicarum ritus latini in Provinciis Poloniae, Lithuaniae, aliisque Imperio Russiaco subditis. Innovatio autem hactenus quidem in eo consistit, quod in illis partibus Sacrae Liturgiae et administrationis Sacramentorum, quae cultus suppletorius appellatae ex immemorabili consue-

tudine hucusque peragebantur lingua Polonica, nunc pro Polonica iidem schismatis Fautores substituere conantur linguam Russiacam non sine gravi Catholicae Fidei discrimine ac maxima fidelium perturbatione et offensione.

www.liptool.com.cn

In hisce angustiis plures Sacerdotes ac laici Ecclesiae Catholicae filii, ut suae aliorumque plurimorum conscientiae consulerent, ad S. Apostolicam Sedem confugerunt, ab ea opem ac lumen impetraturi. Unice ergo ad Sanctae Religionis Catholicae, quam a maioribus acceperunt conservationem, et ad conscientiarum securitatem, iidem Sacerdotes ac fideles humillime imploraverunt declarationem sequentium quaestionum.

I. Utrum in cultu suppletorio quem dicunt, pro lingua Polonica, quae ex immemorabili consuetudine in usu est, absque S. Sedis auctoritate substituere linguam Russiacam licitum sit?

II. Utrum Sancta Sedes hujusmodi substitutionem linguae Russiacae toleraverit vel tolerare censenda sit?

Feria IV, die 14 Julii 1877.

In Congregatione Generali S. Romanae et Universalis Inquisitionis habita coram Emi ac Rmi DD. S. R. E. Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus, propositis suprascriptis dubiis, iidem Emi ac Rmi DD. decreverunt: Ad primum et secundum: *Negative.*

L†S A. JACOBINI, *Assessor S. O.*

J. PELAMI *S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

www.libtool.com.cn

DECISIO RESPICIENS SACERDOTEM TERTIARIUM ORDINIS S. FRANCISCI QUOAD USUM KALENDARII FRANCISCANI.

GALLIARUM.

Quum Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuerit, nimirum: « Sacerdos Tertiarius Ordinis Sancti Francisci qui, nullius ecclesiae servitio specialiter addictus, uti potest privilegio sese conformandi kalendario Franciscano pro recitatione divini Officii et Missae celebratione, iuxta Decretum Sacrorum Rituum Congregationis diei 7 augusti 1694: potest ne, quoad Officium et Missam, celebrare festum kalendarii suae dioeceseos, si hoc festum est magnae devotionis, v. g. festum omnium Sanctorum dioecesis, vel Patroni civitatis natalis, prout habetur in proprio dioecesano? Et Sacra eadem Congregatio rescribendum censuit: *Negative*, nisi agatur de iis festis dioeceseos quae etiam Religiosis praefati Ordinis Minorum Sancti Francisci tenore ipso specialium Rubricarum aut Decretorum praescripta sunt.

Atque ita rescripsit die 19 Iunii 1877.

ALOISIUS EPISCOPUS SABINEN. CARD. BILIO
S. R. C. Praefectus

PLACIDUS RALLI S. R. C. SECRETARIUS.

Loco ✠ Sigilli

www.libtool.com.cn

NULLIUS S. MARTINI

AD

MONTEM CIMINUM

Rmus D. Ioannes Iannoni Abbas et Ordinarius Nullius Sancti Martini ad Montem Ciminum Sacrorum Rituum Congregationi exposuit non solum post Constitutiones editas pro Capitulo Abbatiali a cl: me: Card. Gabriele Ferretti Abbatiae Protectore, sed etiam ab immemorabili consuevisse quod Feria V. in Coena Domini Missa solemnis celebretur et Communio Clero et Populo distribuatur a Parocho pro tempore, dum Abbas eadem die, Missam tantum lectam privatim et primo mane celebrare consuevit. Quum autem praedicto Rmo Ordinario dubium subortum fuerit num eadem consuetudo etsi ab immemorabili invecta, sit iuri contraria, opportunam in re declarationem ab eadem Sacra Congregatione humiliter postulavit. Sacra porro eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, omnibus mature perpensis ac consideratis, rescribendum censuit: *servandam esse consuetudinem*. Atque ita declaravit. Die 9 Martii 1877.

A. Ep. Sabinen. Card. BILIO S. R. C. Praef.

Plac: Ralli S. R. C. Secretarius.

DECRETUM

Neapolitana seu Pinnen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii adolescentis e Dioecesi Pinnensi

www.libtool.com.cn

Postquam Rmus Dnus Canonicus Josephus Coselli Postulator constitutus Causae praedicti Ven. Servi Dei NUNTII SULPRITII facultatem a Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPA IX obtinuit, ut de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, Emus et Rmus Dnus Cardinalis Aloisius Bilio Sacrae eidem Congregationi Praefectus atque hujus Causae Ponens in Ordinariis Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis, sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: « *An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati, ac jura producta legitime compulsata in casu et ad effectum, de quo agitur?* » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt: « *Affirmative, praevia sanatione Actorum Processus Ordinarii Neapolitani ad cautelam.* » Die 15 Septembris 1877.

Quibus omnibus a subscripto Secretario Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPAE IX fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, atque supradictam sanationem elargita est. Die 20 iisdem Mense et Anno.

A. Ep. Sabinen. Card. BILIO S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

PLACIDUS RALLI S. R. C. Secretarius.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

www.libtool.com.cn

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXVIII MARTII 1878.

Venerabiles Fratres,

Ubi primum superiori mense, Vobis suffragia ferentibus, ad suscipienda Ecclesiae universae gubernacula, et ad vices in terris gerendas Principis Pastorum Jesu Christi vocati fuimus, gravissima sane perturbatione ac trepidatione, animum Nostrum sensimus commoveri. Nam ex una parte Nos maxime terrebat, tum intima de indignitate Nostra persuasio, tum virium Nostrarum infirmitas tanto oneri ferendo penitus impar, quae quidem tanto maior videbatur, quanto clarior et celebrior Praedecessoris Nostri Pii IX immortalis memoriae Pontificis, sese per Orbem fama diffuderat. Cum enim insignis ille catholici gregis rector pro veritate et iustitia invicto semper animo certaverit, magnisque laboribus in Christiana Republica administranda fuerit in exemplum perfunctus, non modo virtutum suarum splendore hanc Apostolicam Sedem illustravit, sed etiam universam Ecclesiam amore et admiratione sui adeo complevit, ut quemadmodum omnes Romanos Antistites diuturnitate Pontificatus superavit, ita forte prae caeteris amplissima publici et constantis obsequii venerationis testimonia retulerit. Ex altera autem parte nos vehementer an-

gebat asperrima conditio, in qua hisce temporibus poene ubique non modo civilis Societas. sed et Catholica Ecclesia, atque haec praesertim Apostolica Sedes versatur, quae sua per vim temporali dominatione spoliata eo adducta est, ut pleno, libero, nullique obnoxio suae potestatis usu perfrui omnino non possit.

www.libtool.com.cn

At quamquam, Venn. Fratres, hisce de causis ad delatum honorem recusandum movebamur, quo tamen animo obsistere divinae voluntati potuissemus quae tam luculenter nobis enituit, in vestrarum sententiarum consensu, et in ea pientissima sollicitudine, qua Vos Catholicae Ecclesiae bonum unice spectantes, illud assecuti estis, ut quam citissime Summi Pontificis electio perficeretur?

Oblatum itaque supremi Apostolatus munus nobis suscipiendum, et divinae voluntati parendum esse duximus, fiduciam nostram penitus in Domino collocantes, ac sperantes firmiter daturum humilitati Nostrae virtutem, qui contulerat dignitatem.

Cum vero, Venn. Fratres, nunc primum ex hoc loco vestrum amplissimum ordinem alloqui nobis datum sit, illud imprimis solemniter coram vobis profitemur, nihil unquam Nobis in hoc Apostolicae servitutis officio antiquius fore, quam divina adiuvante gratia eo curas omnes intendere, ut Catholicae Fidei depositum sancte servemus, iura ac rationes Ecclesiae et Apostolicae Sedis fideliter custodiamus, et omnium saluti prospiciamus, parati in his omnibus nullum laborem defugere, nulla incommoda recusare, nec unquam committere, ut animam Nostram pretiosiorem quam nos facere videamur.

In his autem partibus Ministerii Nostri obeundis, consilium, sapientiamque Vestram Nobis non defuturam confidimus et ut numquam desit, vehementer exoptamus ac petimus; quod quidem ita a Vobis accipi volumus, ut non officii studio, sed pro solemni testificatione Nostrae voluntatis hoc dictum intelligatis. Alte enim insidet menti Nostrae quod in sacris literis ex Dei iussu Moyses fecisse narratur, qui gravi

pondere universum populum regendi deterritus congregavit sibi septuaginta viros de senibus Israel, ut una cum eo onus ferrent, atque opera consilioque suo in gentis Israeliticae regimine curas eius allevarent. Quod quidem exemplum, Nos, qui totius Christiani populi duces ac rectores, licet immerito, constituti sumus, prae oculis habentes, facere non possumus quin a Vobis septuaginta virorum Israel in Ecclesia Dei locum obtinentibus, laboribus Nostris opem, animoque Nostro levamen conquiramus.

Noscimus insuper, uti sacra eloquia declarant, *salutem esse ubi multa consilia sunt*, noscimus ut monet Tridentina Synodus, Cardinalium consilio apud Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administrationem niti, noscimus denique a S. Bernardo Romani Pontificis collaterales et consiliarios Cardinales appellari, ac propterea Nos qui fere vigintiquinque annos honoris Collegii vestri compotes fuimus, in hanc supremam Sedem non modo animum attulimus plenum erga Vos dilectionis ac studii, sed etiam firmam eam mentem, ut quos olim consortes habuimus honoris, eis nunc laborum et consiliorum Nostrorum sociis ac adiutoribus, in expediendis Ecclesiae negotiis maxime utamur.

Nunc autem illud Nobis iucundissimum et peropportunum accidit, Venn. Fratres, ut dulcem consolationis fructum Vobiscum communicemus, quem ex felici opere ad Religionis nostrae gloriam peracto, in Domino percepimus. Quod enim a Decessore Nostro sanctae memoriae Pio Nono pro eximio suo in rem catholicam zelo fuerat susceptum, et ex sententia eorum ex Vobis, qui in Sacro Concilio Christiano nomini propagando censentur, decretum fuerat, ut nempe Episcopali Hierarchia in illustri Scotiae Regno constituta, Ecclesia illa ad novum decus revocaretur, id Nobis feliciter implere, et ad exitum perducere, Deo iuvante, datum est per Apostolicas litteras, quas die IV huius mensis hoc eodem anno vulgari mandavimus. Gavisi profecto sumus, Venn. Fratres, quod hac in re contigerit Nobis fervidissimis votis dilectorum in Christo filiorum, Cleri et fidelium Scotiae satisfacere, quos

propensissimo in Catholicam Ecclesiam, et Petri Cathedram animo esse, multis iisque praeclarissimis argumentis comperimus; firmiterque confidimus fore, ut opus ab Apostolica Sede perfectum, laetis fructibus cumuletur, et coelestibus Scotiae Patronis suffragantibus, in ea regione in dies magis *suscipiant montes pacem populo et colles iustitiam.*

www.libtool.com.cn

Caeterum, Venn. Fratres, nulla ratione dubitamus Vos, coniunctis Nobiscum studiis, ad tutelam et incolumitatem Religionis, ad praesidium huius Apostolicae Sedis, ad incrementum divinae gloriae alacriter esse adlaboraturos, animo reputantes communem futuram omnium nostrum in coelo mercedem, si in Ecclesiae rebus adiuvandis communis fuerit labor. Divitem porro in misericordia Deum, interposito etiam Deiparae Immaculatae, sancti Josephi Patroni coelestis Ecclesiae, ac SS. Apostolorum Petri et Pauli validissimo interventu, humilibus Vobiscum votis obsecrate, ut Nobis iugiter praesens bonusque adsit, consilia actusque nostros dirigat, ministerii Nostri tempora feliciter disponat, ac tandem Petri Navim, quam Nobis gubernandam mari saeviente commisit, domitis ventis fluctibusque compositis, ad optatum portum tranquillitatis et pacis adducat.

RESPONSIO S. COLLEGII CARDINALIUM

Quibus SS. Patris verbis, specialem praeseferentibus comitatem, Emus Cardinalis di Pietro, nomine quoque suorum Collegarum, respondebat:

Benigne placuit Sanctitati tuae in allocutione nuper perlecta grati animi sensus Nostro S. R. Ecclesiae Collegio exprimere ob suffragia quae miro Divinae Providentiae ordine Te ad Supremam Romani Pontificatus Sedem meritissime extulerunt. Ad haec insuper verba humanissima addere dignatus es, quibus auxilium ac validam cooperationem, hisce difficillimis temporibus a nobis expostulas.

Sed vero si sacri nostri Senatus suffragia in Te unum absque ulla haesitatione, ac maximo animorum consensu confluxerunt, ut qua Christi in terris VICARIUS Pontificium

Solium conscenderes, id profecto Verbis Principis Apostolorum attribuendum esse laetamur, scilicet: *Qui novit corda Deus testimonium perhibuit dans Tibi Spiritum Sanctum sicut et Nobis.*

www.libtool.com.cn

Quare citra ullam controversiam Sancto suo Spiritu Deus Te universi Orbis Pastorem constituit, voluitque ut in eminenti specula sisteres (prouti aiebat Divus Bernardus dilectissimo suo Papae Eugenio) « Unde prospectes omnia speculator super omnia constitutus, ut evellas et destruas, dissperdas et dissipes, aedifices et plantes. » Nimis certe improbus labor! « Enim vero prospectus iste procinctum parit non otium: neque enim locus est otio ubi sedula urget sollicitudo omnium Ecclesiarum. »

Haec certe destinatio prompti acie.n ingenii constantemque sollicitudinem expostulat, qualis adamussim in Eo exquiritur qui eam adit haereditatem. quae etiam si amplissima et exteriori intuitu pulchra esse videatur, illico tamen noscitur consistere in Christi Cruce et in laboribus plurimis.

Caeterum nos omnes firmissima certitudine innitebamur Te, Sanctissime Pater, veluti in praesentiarum iterum confirmasti, summopere diligere ac promovere decus et dignitatem Sacri Nostri Collegii. Nos vero vicissim tantis, tamque nobilibus roborati promissis, Te certiorem reddimus de nostra submissa obedientia, ut Tibi prompto animo, opem auxiliumque feramus. Hic noster obsequens agendi modus, fortasse imminuet gravitatem tanti ponderis, quod Tu divinis obtemperans placitis, nostrasque secundans preces, assumere dignatus es. At probe noscimus et compertum habemus promissiones hasce, si alicuius levaminis Tibi forent, nonnisi in minima parte, gravissimas concrediti gregis curas imminuere, atque timorem tuum tollere. Profecto Sanctitas Tua, quae utpote praeclaris omnigenisque ditata virtutibus, idcirco sincerius Christianae humilitatis vestigia sequitur, labore permagno territa sublevet tamen ad coelum oculos et in divina promissione confidet unumquemque secundum proprium laborem mercedem accipere. Hinc dimissum prope animum recreet, atque

fidens sibi repetat divi Bernardi verba: si labor terret, merces invitat. Verumtamen praeter hanc mercedem quam Tu, Beatissime Pater, in Coelesti Regia iure meritoque Tibi adpromittere debes, augurium alterum etiam nostrum nunc excipere digneris, nempe ut etiam hic in terris mercedem magnam consequaris, hoc est, ut videas in Tuo Pontificatu innumeras ex toto Orbe gentes magis magisque ad Catholicam Ecclesiam confluere, et ad hanc pacificam Petri Cathedram accurrere, atque Pontificio Tuo Solio, ut verbis utar Ambrosii devinciantur « *Non nodis perfidiae, sed vinculis fidei* ».

www.libtool.com.cn

Dein Emus Cardinalis Borromeus, dimissâ Diaconiâ SS. Viti atque Modesti, optavit Titulum s. Praxedis, transiens ex diaconali ad Ordinem Presbyterorum.

Quum Sanctissimus Pater solitis formis Officium Camerarii S. R. Ecclesiae Emo. D. Cardinali Camillo di Pietro contulisset, quae sequuntur proposuit Ecclesias:

Episcopalem Ecclesiam Philadelphien. sub Archiepiscopo Bostrensi in partibus infidelium vacan. per translationem R. P. D. Aloisii Giordani ad Archiepiscopalem Sedem Ferrariensem; eidem Philadelphien. Ecclesiae ex benignitate SANCTITATIS SUAE praefectus fuit, atque in Auxiliarem R. P. D. Petri Ieremiae Michaelis Angeli ex Marchionibus Celesia, Archipraesulis Panormitani deputatus ad pontificalia, caeteraque pastoralia munia de eius consensu ac libito in illa civitate et archidioecesi obeunda, R. D. Dominicus Gaspar Lancia de Brolo ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Panormi progenitus et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus. Ordini S. Benedicti Congregationis Cassinensis ab adolescentia adscriptus. In theologicis disciplinis dogmaticis ac moralibus tradendis tum in suo Monrealensi monasterio, tum Romae ad S. Pauli pluribus transactis annis, apud Cavense monasterium Visitatoris, pro Archidioecesi Montis Regalis Examinatoris Synodalis, atque in monasterio S. Placidi extra Messanam Prioratus muneribus perfunctus est. inter Consultores sacrae Congregationis de Propaganda Fide ritus orientalis praepositae adscitus fuit.

Episcopalem Ecclesiam Carrhen. sub Archiepiscopo Edesseno in partibus infidelium vacan. per translationem ad Metropolitanam Sedem Viennensem in Austria ho-

dierni Emi ac Rmi D. Ioannis Bapt. S. R. E. Presbyteri Card. Kutschker: ad eamdem Ecclesiam evectus est R. D. Antonius Gruscha ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Viennae in Austria progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus. Presbyteratus ordine, ac dudum in sacra theologia doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, inque Dei verbo praedicando, fideliumque excipiendis confessionibus, signanter qua Cooperator parochialis sese plures exercuit per annos. Viennensi in gymnasio Professor religionis, eaque in universitate theologiae Cathedraticus adlectus, inter sa. me. Pii PP. IX intimos cubicularios supra numerum adscitus, atque hucusque tum Ecclesiae Metropolitanae Viennensis Canonicus, tum Vicarius Castrensis pro universo Caesareo-Regio exercitu renunciatus est.

www.libool.com.cn

Carrhae civitas Mesopotamiae apud fluvium Carrha, nota ex libro Genesis, adhuc sub infidelium iacet potestate; quocirca miserrimus eius status silentio praeteritur.

Per Breve Pontificium sequentes collatae fuerunt Ecclesiae:

Ecclesia Glasguensis in Scotia nuper in Archiepiscopalem erecta, R. P. D. Carolo Eyre translato ex Anazarba *in part. infid.*

Ecclesia s. Andreae Edimburgi in Scotia, nuper in Metropolitanam erecta R. P. D. Ioanni Strain, translato ex Abila *in part. infid.*

Ecclesia Hieropolitana in part. infid. R. P. D. Paulo Goethals e Societate Iesu, Vicario Apostolico Bengalae Occidentalis, translato ex Evaria *in part. infid.*

Ecclesia Episcopalis Curiocen. *in part. infid.* R. P. D. Ioanni Ioseph. Conroy, Episcopo dimissionario ex Albany in America.

Ecclesia Aberdonensis in Scotia, nuper in Cathedralem erecta R. D. Ioanni Mac-Donald translato e Nicopoli *in part. infid.*

Ecclesia Episcopalis Tempensis *in part. infid.* R. P. D. Ioseph. Masi Sacerdoti e Mezzoiuso Archidioecesis Panormitanae, deputato Episcopo ordinanti Graeci ritus in Sicilia.

Ecclesia Dunkeldensis in Scotia nuper in Cathedralem erecta R. P. D. Georgio Rigg.

Ecclesia Gallovidiana seu Candidae Casae in Scotia nuper in Cathedralem erecta R. P. D. Ioanni Mac-Lachlan.

www.libtool.com.cn

Ecclesia Ergadiensis et Insularum in Scotia, nuper in Cathedralem erecta R. P. D. Aeneae Mac-Donald.

Ecclesia Cathedralis Vincennapolitan. in statibus foedere iunctis Americae R. D. Francisco Silas Chatard.

Ecclesia Cathedralis Richmondien. R. D. Ioanni Ioseph Keane presbytero Archidioecesis Baltimoren. et Administratori Vicariatus Apostolici Carolinae Septemtrionalis.

Ecclesia Episcopalis Eucarpien. in part infid. R. D. Eduardo Gasnier, Vicario Apostolico Siami Occidentalis.

Ecclesia Episcopalis Thunasien. in part. infid. R. D. Iordano Ballsieper Vicario Apostolico Bengalae Orientalis.

Deinde SSmus Pater, iuxta mos, Fidei professionem, et iuramentum Apostolicis Constitutiouibus emisit.

Reserata autem Aula Consistoriali, cum formalitates implevisset consuetas, Emus Cardinalis Ioannes Mac-Closkey Archiepiscopus Neo-Eboracensis galerum recepit rubrum.

Tandem s. Collegium se contulit in apposito Sacello, ubi cum Pontificii cantores hymnum cecinissent *Te Deum*, Cardinalis di Pietro recitavit preces de more *super Electum*.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

www.libtool.com.cn

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

EPISTOLA ENCYCLICA

ad Patriarchas Primates Archiepiscopos et Episcopos Universos Catholici Orbis Gratiam et Communionem cum Apostolica Sede habentes

---

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS PRIMATIBUS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS UNIVERSIS CATHOLICI ORBIS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS

LEO PP. XIII

Venerabiles Fratres salutem et Apostolicam Benedictionem. — Inscrutabili Dei consilio ad Apostolicae Dignitatis fastigium licet immerentes evecti, vehementi statim desiderio ac veluti necessitate urgeri Nos sensimus, Vos litteris alloquendi, non modo ut sensus intimae dilectionis Nostrae Vobis expromeremus, sed etiam ut Vos in partem sollicitudinis Nostrae vocatos, ad sustinendam Nobiscum horum temporum dimicationem pro Ecclesia Dei et pro salute animarum, ex munere Nobis divinitus credito confirmaremus.

Ab ipsis enim Nostri Pontificatus exordiis tristis Nobis sese offert conspectus malorum quibus hominum genus undique premitur: haec tam late patens subversio supremarum veritatum quibus, tamquam fundamentis, humanae societatis status continetur; haec ingeniorum protervia legitimae cuiusque potestatis impatiens; haec perpetua dissidiorum causa, unde intestinae concertationes, saeva et cruenta bella existunt; contemptus legum quae mores regunt iustitiamque tuentur; fluxarum rerum inexplebilis cupiditas et aeternarum oblivio usque ad vesanum illum furorem, quo tot miseri passim violentas sibi manus inferre non timent; inconsulta bonorum publicorum administratio, effusio, interversio; nec non eorum impudentia qui, cum maxime fallunt, id agunt, ut patriae ut libertatis et cuiuslibet iuris propugnatores esse videantur; ea denique quae

serpit per artus intimos humanae societatis lethifera quaedam pestis, quae eam quiescere non sinit, ipsique novas rerum conversiones et calamitosos exitus portendit.

Horum autem malorum causam in eo praecipue sitam esse Nobis persuasum est, quod despecta ac reiecta sit sancta illa et augustissima Ecclesiae Auctoritas, quae Dei nomine humano generi praeest, et legitimae cuiusque auctoritatis vindex est et praesidium. Quod cum hostes publici ordinis probe noverint, nihil aptius ad societatis fundamenta convellenda putaverunt, quam si Ecclesiam Dei pertinaci aggressione peterent, et probrosis calumniis in invidiam odiumque vocantes quasi ipsa civili veri nominis humanitati adversaretur, eius auctoritatem et vim novis in dies vulneribus labefactarent, supremamque potestatem Romani Pontificis everterent, in quo aeternae ac immutabiles boni rectique rationes custodem in terris habent et adsertorem. Hinc porro profectae sunt leges divinam Catholicae Ecclesiae constitutionem convellentes, quas in plerisque regionibus latas esse deploramus; hinc dimanarunt Episcopalis potestatis contemptus, obiecta ecclesiastici Ministerii exercitio impedimenta, religiosorum coetuum disiectio, ac publicatio bonorum, quibus Ecclesiae administri et pauperes alebantur; hinc effectum ut a salutari Ecclesiae moderamine publica instituta, caritati et beneficentiae consecrata, subducerentur; hinc orta effrenis illa libertas prava quaeque docendi et in vulgus edendi, dum ex adverso modis omnibus Ecclesiae ius ad iuventutis institutionem et educationem, violatur et opprimitur. Neque alio spectat civilis Principatus occupatio, quem divina Providentia multis abhinc saeculis Romano Antistiti concessit, ut libere ac expedite potestate a Christo collata, ad aeternam populorum salutem uteretur.

Funestam hanc aerumnarum molem Vobis, Venerabiles Fratres, commemoravimus, non ad augendam tristitiam Vestram, quam miserrima haec rerum conditio per se Vobis ingerit; sed quia intelligimus ex ea Vobis apprime perspectum fore, quanta sit gravitas rerum quae ministerium et zelum nostrum exposcunt, et quam magno studio nobis adlaborandum sit, ut Ecclesiam Christi et huius Apostolicae Sedis dignitatem, tot calumniis lacessitam, in hac praesertim iniquitate temporum pro viribus defendamus ac vindicemus.

Clare innotescit ac liquet, Venerabiles Fratres, civilis humanitatis rationem solidis fundamentis destitui, nisi aeternis principiis veritatis et immutabilibus recti iustique legibus innitatur, ac nisi hominum voluntates inter se sincera dilectio devinciat, officiorumque inter eos vices ac rationes suaviter moderetur. Iamvero ecquis negare audeat Ecclesiam esse, quae diffuso per gentes Evangelii praeconio, lucem veritatis inter efferatos populos et foedis superstitionibus imbutos adduxit, eosque ad divinum rerum auctorem agnoscendum et sese respiciendos excitavit; quae servitutis

calamitate sublata, ad pristinam naturae nobilissimae dignitatem homines revocavit; quae in omnibus terrae plagis redemptionis signo explicato, scientiis et artibus adductis aut suo tectis praesidio, optimis caritatis institutis, queis omnis generis aerumnis consultum est, fundatis et in tutelam receptis, ubique hominum genus privatim et publice excoluit, a squalore vindicavit et ad vitae formam, humanae dignitati ac spei consentaneam, omni studio composuit? Quod si quis sanae mentis hanc ipsam qua vivimus aetatem, Religioni et Ecclesiae Christi infensissimam, cum iis temporibus auspicatissimis conferat, quibus Ecclesia uti mater a gentibus colebatur, omnino comperiet aetatem hanc nostram perturbationibus et demolitionibus plenam, recta ac rapide in suam perniciem ruere; ea vero tempora optimis institutis, vitae tranquillitate, opibus et prosperitate eo magis floruisse, quo Ecclesiae regiminis ac legum sese observantiores populi exhibuerunt. Quod si plurima ea quae memoravimus bona, ab Ecclesiae ministerio et salutari ope profecta, vera sunt humanitatis civilis opera ac decora, tantum abest ut Ecclesia Christi ab ea abhorreat eamve respuat, ut ad sese potius altricis magistrae et matris eius laudem omnino censeat pertinere.

Quin immo illud civilis humanitatis genus, quod sanctis Ecclesiae doctrinis et legibus ex adverso repugnet, non aliud nisi civilis cultus figmentum et abs re nomen inane putandum est. Cuius rei manifesto sunt argumento populi illi, queis evangelica lux non affulsit, quorum in vita fucus quidam humanioris cultus conspici potuit, at solida et vera eius bona non viguerunt. Haudquaquam sane civilis vitae perfectio ea ducenda est, qua legitima quaeque potestas audacter contemnitur; neque ea libertas reputanda, quae effreni errorum propagatione, pravis cupiditatibus libere explendis, impunitate flagitiorum et scelerum, oppressione optimorum civium cuiusque ordinis, turpiter et misere grassatur. Cum enim erronea, prava et absona haec sint, non eam vim profecto habent, ut humanam familiam perficiant et prosperitate fortunent, *miseros* enim *facit populos peccatum* (1); sed omnino necesse est, ut mentibus et cordibus corruptis, ipsa in omnem labem pondere suo populos detrudant, rectum quemque ordinem labefactent, atque ita reipublicae conditionem et tranquillitatem serius ocius ad ultimum exitium adducant.

Quid autem, si Romani Pontificatus opera spectentur, iniquius esse potest, quam inficiari quantopere Romani Antistites de universa civili societate et quam egregie sint meriti? Profecto Decessores Nostri, ut populorum bono prospicerent, omnis generis certamina suscipere, graves exantlare labores, seque asperis difficultatibus obiicere nunquam dubitarunt: et defixis in coelo oculis neque improborum minis submisere fron-

(1) Prov. 14, 34.

tem, neque blanditiis aut pollicitationibus se ab officio abduci degeneri assensu passi sunt. Fuit haec Apostolica Sedes, quae dilapsae societatis veteris reliquias collegit et coagmentavit; haec eadem fax amica fuit, qua humanitas christianorum temporum effulsit; fuit haec salutis anchora inter saevissimas tempestates, queis humana progenies iactata est; sacrum fuit concordiae vinculum quod nationes dissitas moribusque diversas inter se consociavit: centrum denique commune fuit, unde cum fidei et religionis doctrina, tum pacis et rerum gerendarum auspicia ac consilia petebantur. Quid multa? Pontificum Maximorum laus est, quod constantissime se pro muro et propugnaculo obiecerint, ne humana societas in superstitionem et barbariem antiquam relaberetur.

Utinam autem salutaris haec auctoritas neglecta nunquam esset vel repudiata! Profecto neque civilis Principatus augustum et sacrum illud amisisset decus, quod a religione inditum praeferebat, quodque unum parendi conditionem homine dignam nobilemque efficit; neque exarsissent tot seditiones et bella, quae calamitatibus et caedibus terras funestarunt; neque regna olim florentissima, e prosperitatis culmine deiecta, omnium aerumnarum pondere premerentur. Cuius rei exemplo etiam sunt Orientales populi, qui abruptis suavissimis vinculis, quibus cum Apostolica hac Sede iungebantur, primaevae nobilitatis splendorem, scientiarum et artium laudem, atque imperii sui dignitatem amiserunt.

Praeclara autem beneficia, quae in quamlibet terrae plagam ab Apostolica Sede profecta esse illustria omnium temporum monumenta declarant, potissimum persensit Itala haec regio, quae quanto eidem propinquior loci natura extitit, tanto uberiores fructus ab ea percepit. Romanis certe Pontificibus Italiam acceptam referre debet solidam gloriam et amplitudinem, qua reliquas inter gentes eminuit. Ipsorum auctoritas paternumque studium non semel eam ab hostium impetu texit, eidemque levamen et opem attulit, ut catholica fides nullo non tempore in Italorum cordibus integra custodiretur.

Huiusmodi Praedecessorum Nostrorum merita, ut caetera praetereamus, maxime testatur memoria temporum S. Leonis Magni, Alexandri III, Innocenti III, S. Pii V, Leonis X aliorumque Pontificum, quorum opera vel auspiciis ab extremo excidio, quod a barbaris impendebat, Italia sospes evasit, incorruptam retinuit antiquam fidem, atque inter tenebras squaloremque rudioris aevi scientiarum lumen et splendorem artium aluit, vigentemque servavit. Testatur Nostra haec alma Urbs Pontificum Sedes, quae hunc ex iis fructum maximum cepit, ut non solum arx fidei munitissima esset, sed etiam bonarum artium asylum et domicilium sapientiae effecta, totius orbis erga se admirationem et observantiam conciliaret. Cum harum rerum amplitudo ad aeternam memoriam monumentis historiae sit tradita, facile negotio intelligitur non potuisse nisi

per hostilem voluntatem indignamque calumniam, ad hominum deceptionem, voce ac litteris obtrudi, hanc Apostolicam Sedem civili populorum cultui et Italiae felicitati impedimento esse.

Si igitur spes omnes Italiae Orbisque universi in ea vi communi utilitati et bono saluberrima, qua Sedis Apostolicae pollet auctoritas, et in arctissimo nexu sunt positae, qui omnes Christifideles cum Romano Pontifice devinciat, nihil Nobis potius esse debere cognoscimus, quam ut Romanae Cathedrae suam dignitatem sartam tectamque servemus, et membrorum cum Capite, filiorum cum Patre coniunctionem magis magisque firmemus.

Quapropter ut in primis, eo quo possumus modo, iura libertatemque huius Sanctae Sedis adseramus, contendere nunquam desinemus, ut auctoritati Nostrae suum constet obsequium, ut obstacula amoveantur, quae plenam ministerii Nostri potestatisque libertatem impediunt, atque in eam rerum conditionem restituamur, in qua divinae Sapientiae consilium Romanos Antistites iampridem collocaverat. Ad hanc vero restitutionem postulandam movemur, Venerabiles Fratres, non ambitionis studio aut dominationis cupiditate; sed officii Nostri ratione et religiosis iurisiurandi vinculis quibus obstringimur; ac praeterea non solum ex eo quod principatus hic ad plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque est necessarius; sed etiam quod exploratissimum est, cum de temporali Principatu Sedis Apostolicae agitur, publici etiam boni et salutis totius humanae societatis causam agitari. Hinc praetermittere non possumus, quin pro officii Nostri munere, quo Sanctae Ecclesiae iura tueri tenemur, declarationes et protestationes omnes, quas sa. me. Pius IX Decessor Noster tum adversus occupationem civilis Principatus, tum adversus violationem iurium ad Romanam Ecclesiam pertinentium pluries edidit ac iteravit, easdem et Nos hisce Nostris litteris omnino renovemus et confirmemus. Simul autem ad Principes et supremos populorum Moderatores voces Nostras convertimus, eosque per nomen augustum Summi Dei etiam atque etiam obtestamur, ne oblatam sibi tam necessario tempore opem Ecclesiae repudient, atque uti consentientibus studiis circa hunc fontem auctoritatis et salutis amice coeant, Eique intimi amoris et observantiae vinculis magis magisque iungantur. Faxit Deus, ut illi, comperta eorum quae diximus veritate, ac secum reputantes doctrinam Christi, ut Augustinus aiebat, *magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicae* (1) et in Ecclesiae incolumitate et obsequio suam etiam ac publicam incolumitatem et tranquillitatem contineri, cogitationes suas et curas conferant ad levanda mala, quibus Ecclesia eiusque visibile Caput affligitur, atque ita tandem contingat, ut populi quibus praesunt, institiae et pacis ingressi viam, felici aevo prosperitatis et gloriae fruantur.

Deinde autem ut totius catholici gregis cum supremo Pastore concordia

(1) Ep. 138. alias 5. ad Marcellinum n. 15.

firmior in dies adseratur, Vos hoc loco peculiari cum affectu appellamus, Venerabiles Fratres, et vehementer hortamur, ut pro sacerdotali zelo et pastorali vigilantia Vestra fideles Vobis creditos religionis amore incendatis, quo propius et arctius huic Cathedrae veritatis et iustitiae adhaereant, omnes eius doctrinas intimo mentis et voluntatis assensu suscipiant; opiniones vero etiam vulgatissimas, quas Ecclesiae documentis oppositas noverint omnino reiiciant. Qua in re Romani Pontifices Decessores Nostri, ac demum sa. me. Pius IX, praesertim in oecumenico Vaticano Concilio prae oculis habentes verba Pauli: « *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi et non secundum Christum* » (1), haud praetermiserunt, quoties opus fuit, grassantes errores reprobare et apostolica censura confodere. Has condemnationes omnes, Decessorum Nostrorum vestigia sectantes, Nos ex hac Apostolica veritatis Sede confirmamus ac iteramus, simulque Patrem luminum enixe rogamus, ut fideles omnes perfecti in eodem sensu eademque sententia idem Nobiscum sapiant, idemque loquantur. Vestri autem muneris est, Venerabiles Fratres, sedulam impendere curam, ut caelestium doctrinarum semen late per Dominicum agrum diffundatur et catholicae fidei documenta fidelium animis mature inserantur, altas in eis radices agant et ab errorum contagione incorrupta serventur. Quo validius contendunt religionis hostes imperitis hominibus, ac iuvenibus praesertim, ea discenda proponere quae mentes obnubilent moresque corrumpant, eo alacrius adnitendum est, ut non solum apta ac solida institutionis methodus, sed maxime institutio ipsa catholicae fidei omnino conformis in litteris et disciplinis vigeat, praesertim autem in philosophia, ex qua recta aliarum scientiarum ratio magna ex parte dependet; quaeque non ad evertendam divinam revelationem spectat, sed ad ipsam potius sternere viam gaudet, ipsamque ab impugnatoribus defendere, quemadmodum nos exemplo scriptisque suis Magnus Augustinus et Angelicus Doctor, caeterique christianae sapientiae Magistri docuerunt.

Optima porro iuventutis disciplina ad verae fidei et religionis munimen atque ad morum integritatem a teneris annis exordium habeat necesse est in ipsa domestica societate; quae nostris hisce temporibus misere perturbata, in suam dignitatem restitui nullo modo potest nisi iis legibus, quibus in Ecclesia ab ipsomet divino Auctore est instituta. Qui cum matrimonii foedus, in quo suam cum Ecclesia coniunctionem significatam voluit, ad Sacramenti dignitatem evexerit, non modo maritalem unionem sanctiorem effecit, sed etiam efficacissima tum parentibus tum proli paravit auxilia, quibus, per mutuorum officiorum observantiam, temporalem ac aeternam felicitatem facilius assequerentur. At vero

(1) Ad Coloss. 2, 8.

postquam impiae leges, Sacramenti huius magni religionem nil pensi habentes, illud eodem ordine cum contractibus mere civilibus habuerunt, id misere consecutum est, ut violata christiani coniugii dignitate, cives legali concubinatu pro nuptiis uterentur, coniuges fidei mutuae officia negligerent, obedientiam et obsequium nati parentibus detrectarent, domesticae charitatis vincula laxarentur, et, quod deterrimi exempli est publicisque moribus infensissimum, persaepe malesano amori perniciosae ac funestae discessiones succederent. Haec sane misera et luctuosa non possunt, Venerabiles Fratres, vestrum zelum non excitare ac movere ad fideles vigilantiae vestrae concreditos sedulo instanterque monendos, ut dociles aures doctrinis adhibeant quae christiani coniugii sanctitatem respiciunt, ac pareant legibus quibus Ecclesia coniugum natorumque officia moderatur.

Tum vero illud optatissimum consequetur, quod singulorum etiam hominum mores et vitae ratio reformentur: nam veluti ex corrupto stipite deteriores rami et fructus infelices germinant, sic mala labes, quae familias depravat, in singulorum civium noxam et vitium tristi contagione redundat. Contra vero, domestica societate ad christianae vitae formam composita, singula membra sensim assuescent religionem pietatemque diligere, a falsis perniciosisque doctrinis abhorrere, sectari virtutem, maioribus obsequi, atque inexhaustum illud privatae dumtaxat utilitatis studium coercere, quod humanam naturam tantopere deprimit ac enervat. In quem finem non parum profecto conferet pias illas consociationes moderari et provehere, quae magno rei catholicae bono nostra maxime hac aetate constitutae sunt.

Grandia quidem et humanis maiora viribus haec sunt, quae spe et votis Nostris complectimur, Venerabiles Fratres; sed cum Deus sanabiles fecerit nationes orbis terrarum, cum Ecclesiam ad salutem gentium condiderit, eique suo se auxilio adfuturum usque ad consummationem saeculi promiserit, firmiter confidimus, adlaborantibus Vobis, humanum genus tot malis et calamitatibus admonitum, tandem in Ecclesiae obsequio, in huius Apostolicae Cathedrae infallibili magisterio salutem et prosperitatem quaesiturum.

Interea, Venerabiles Fratres, antequam finem scribendi faciamus, necesse est ut Vobis declaremus gratulationem Nostram pro mira illa consensione et concordia, quae animos Vestros inter Vos et cum hac Apostolica Sede in unum coniungit. Quam quidem perfectam coniunctionem non modo inexpugnabile propugnaculum esse contra impetus hostium arbitramur; sed etiam faustum ac felix omen quod meliora tempora Ecclesiae spondet; ac dum eadem maximum solatium affert infirmitati Nostrae, etiam animum opportune erigit, ut in arduo, quod suscepimus, munere omnes labores, omnia certamina pro Ecclesia Dei alacriter sustineamus,

Ab hisce porro spei et gratulationis causis, quas Vobis patefecimus, seiungere non possumus eas significationes amoris et obsequii, quas in his Nostri Pontificatus exordiis Vos, Venerabiles Fratres, et una cum Vobis exhibuere humilitati Nostrae ecclesiastici viri et fideles quamplurimi, qui litteris missis, largitionibus collatis, peregrinationibus etiam peractis, nec non aliis pietatis officiis, ostenderunt devotionem et charitatem illam, qua meritissimum Praedecessorem Nostrum prosecuti fuere, adeo firmam stabilem integramque manere, ut in persona tam imparis non tepescat heredis. Pro hisce splendidissimis catholicae pietatis testimoniis humiliter confitemur Domino quia bonus et benignus est, ac Vobis, Venerabiles Fratres, cunctisque Dilectis Filiis, a quibus ea accepimus, gratissimos animi Nostri sensus ex intimo corde publice profitemur, plenam foventes fiduciam nunquam defuturum Nobis, in his rerum angustiis et temporum difficultatibus, hoc Vestrum ac fidelium studium et dilectionem. Nec vero dubitamus quin egregia haec filialis pietatis et christianae virtutis exempla plurimum sint valitura, ut Deus clementissimus, officiis hisce permotus, gregem suum propitius respiciat et Ecclesiae pacem ac victoriam largiatur. Quoniam autem hanc pacem et victoriam, ocius et facilius Nobis datum iri confidimus si vota precesque constanter ad eam impetrandam fideles effuderint, Vos magnopere hortamur, Venerabiles Fratres, ut in hanc rem fidelium studia et fervorem excitetis, conciliatrice apud Deum adhibita Immaculata Coelorum Regina, ac deprecatoribus interpositis Sancto Iosepho Patrono Ecclesiae caelesti, sanctisque Apostolorum Principibus Petro et Paulo, quorum omnium potenti patrocinio humilitatem Nostram, cunctos ecclesiasticae hierarchiae ordines ac dominicum gregem universum supplices commendamus.

Caeterum hos dies, quibus solemnem memoriam Iesu Christi resurgentis recolimus, Vobis, Venerabiles Fratres et universo dominico gregi faustos salutares ac sancto gaudio plenos esse exoptamus, adprecantes benignissimum Deum ut Sanguine immaculati Agni, quo deletum est chirographum quod adversus nos erat, culpae quas contraximus deleantur, et iudicium quod pro illis ferimus clementer relaxetur.

Gratia Domini Nostri Iesu Christi et charitas Dei et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, Venerabiles Fratres; quibus singulis universis, nec non et Dilectis Filiis Clero et fidelibus Ecclesiarum Vestrarum in pignus praecipuae benevolentiae et in auspicium caelestis praesidii Apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die sollemni Paschae, XXI Aprilis, Anno MDCCCLXXVIII.

Pontificatus Nostri Anno primo

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

www.libtool.com.cn

FUNERIS EMOLUMENTORUM

Die 13 Maii 1876 et 25 Augusti 1877

PRAENOTANDA. In civitate A. extat Ecclesia Cathedralis et Collegiata; Cathedralis habet filialem Ecclesiam S. Ioannis; Collegiata vero habet filialem Ecclesiam S. Laurentii. Proprium insuper possident coemeterium, tum Cathedralis, tum Collegiata.

Servatum est ex pervetusta conventione inter Cathedralem et Collegiatam, quod si in Cathedrali funera primae classis fierent super defuncto in paroecia S. Ioannis, Canonicus Mistralis ex Cathedrali commonefaceret Capitulum Collegiatae de die et hora associationis cadaveris. Et vicissim si inter Paroeciae S. Laurentii limites defunctus obierit, Sacrista Capituli Collegiatae certiorem redderet Capitulum Cathedralis de associationis die atque hora. Quoad emolumenta, ex eadem consuetudine vetustissima, Capitulo Collegiatae in Cathedrali funeribus adstanti competunt libellae quinque, et libellae sex Capitulo Cathedralis ad Collegiatam Ecclesiam se transferenti.

COMPENDIUM FACTI. Subpraefectus Civitatis A. subiectus Paroeciae S. Ioannis, quoad spirituale, supremum obiit diem, mense Novembris 1874. Funus primae classis Capitulo Cathedralis defuncti Vidua mandat. Canonicus Mistralis ceu moris est, Capitulum Collegiatae de die et hora associationis admonet; cadaver ad cathedralem Ecclesiam defertur, ibique officium defunctorum canitur.

Videtur dubitari nequivisse, quod defunctus, dum vitâ frueretur, sepulchrum sibi elegerit in Collegiatae coemeterio, quod splendidius est, ipsis Cathedralis Canonicis fatentibus. Pariter haud controverti quod defuncti Vidua loculos duos emisset in coemeterio, quo viri cadaver translatum est, manetque a die 17 Novembris 1874. Attamen in Cathedrali, diebus tertia, septima et trigesima a Subpraefecti decessu funera ex expressa viduae voluntate celebrata sunt.

www.libtool.com.cn

Ex his contentio inter Cathedralis, et Collegiatae Capitula; siquidem illud libellas quinque iuxta solitum et nihil ultra se Collegiatae Canonicis debere asserit; hi vero quartam funerariam tantum paroeciae in qua defunctus obiit concedunt, caetera iure sepulturae sibi debita conclamantes. Ab Ordinario, ceu moris est, informatione et voto requisitis, ipse respondit: « Certum est 1. propriam elegisse memora-
« tum *Subpraefectum* sepulturam in coemeterio SS. Petri
« et Ursi, 2. communi consensu utrumque Capitulum de more
« convenisse in Ecclesiam Cathedralem ad preces consuetas
« canendas, iuxta votum nobilis defuncti viduae, 3. non per
« modum depositi sed permanenter iacere cadaver in coeme-
« terio Collegiatae, cum iam a die 17 Novembris ibidem se-
« pultum fuerit, neque huc usque aliter providerit praefata
« vidua.

« Hisce positis ut ad controversiae nodum veniamus, nul-
« lam fortasse difficultatem facesseret quaestio proposita, si
« in Collegiata Ecclesia officium funebre peractum esset.
« Hoc enim in casu Collegiatae faverent tum ius commune,
« tum ius particulare, nempe concordiae instrumentum initae
« die 25 Ianuarii 1232 inter utrumque Capitulum, quod qui-
« dem nunquam abrogatum fuit. Verum cum in Ecclesia
« Cathedrali celebratum fuerit funebre officium, magis im-
« plexa quaestio apparet. Nihilominus mihi videtur rem iam
« fuisse praeiudicatam ab articulo 350 Constitutionum Syno-
« dalium A. Dioecesis, quae anno 1835 editae fuere, quae-
« que hodiedum vigent.

« Ita effertur memoratus articulus. Cum aliquis supre-

« mum diem obierit in una parochia, et legitimam ob causam in alia erit sepeliendus, parochus loci ubi mortuus fuerit, « ius habebit ad quartam funerariam seu canonicam, quam « ad lites vitandas ad quartam partem iurium omnium funeralium coarctamus. Hic tamen parochus tenetur ad elevationem corporis devenire, funus ducere in propriam Ecclesiam, et recitatis ibidem precibus ordinariis, continuabit « exequias usque ad portam civitatis vel loci. »

Pergebat itaque Ordinarii informatio. « Iamvero omnia « haec exacte peracta sunt in funeribus laudati subpraefecti. « Animarum quoque curae exercitium penes utrumque Capitulum existit. Igitur nisi Constitutiones praedictae hac in « re censura dignae videantur, pronum est deducere quartam « tantum funerariam posse sibi vindicare Capitulum Cathedralis. Addenda tamen ipsi foret ea pars quae respondet « stipendiis solitis pro Missis solemnibus *De Requie* in Ecclesia Cathedrali celebratis die obitus et die 3, 7 et 30 « quod libellis fere centum aequivalet. Hoc pacto, iura percepta in causa dictorum funerum sive ex cereis sive ex pecuniae vi, quae libellas quidem quadringentas haud excedunt in aequales partes inter utrumque Capitulum distribuerentur. »

Disceptatio synoptica.

Iura Capituli Cathedralis. Nonnulla facti adiuncta sibi maxime favere ait Capitulum istud. Vidua enim Subpraefecti mandavit ut in Cathedrali funus primae classis celebraretur; indictaeque fuerunt Capitulo Collegiatae dies et hora associationis cadaveris. Cum vero Capitulum utrumque iam ad elevandum cadaver properabat, dictitatum tunc fuit Subpraefecti Viduam velle extra Dioecesim A. viri sui cadaver transferre; intereaque Collegiatae Capitulum rogasse, ut sineret in Coemeterio Collegiatae eiusdem cadaver deponi. Hisce non obstantibus constat associationem atque in Cathedrali Ecclesia defunctorum officii et *Libera me* solemnem recitationem locum habuisse. Atque his absolutis peractaque ad coemeterium Col-

legiatae translatione, nonnisi insequenti die notum fuisse, Viduam locula duo in eodem Collegiatae coemeterio emisse, Parochumque expensas loculorum et funeris peracti, in libellas biscentum constituisse.

www.libtool.com.cn

Hoc quoad factum; quoad ius autem contendit in civitate A. exsistere ex immemorabili consuetudinem, ut quotiescumque Canonici Collegiatae vocentur ad funus primae classis, nil aliud percipiant quam libellas quinque.

Proinde nullimode sustineri posse Collegiatae praetensionem, qua huiusmodi usui immemorabili derogaretur; ex eo deductam quod defuncti cadaver sepultum fuerit in Collegiatae ipsius coemeterio. Nam ad Collegiatae coemeterium reipsa translatum est; non ut ibi perpetuo maneret, sed precario atque in loco depositi. Quod eruitur ex ipsius Viduae declarationibus pridie a tumulatione cadaveris expressis, suoque Procuratori post tumulationem ab ipsa renovatis. Id quoque confirmatur ex eo quod Collegiatae Capitulum nullimode sese opposuerit celebrationi Missarum diebus ab obitu tertia, septima et trigesima. Exinde colligere est quod corruat ius a collegiata invocatum ex facto tumulationis, hac de medio sublata.

Convenientia et aequitas aliud suppetunt argumentum. Dato etiam quod temporanea non sit tumulatio; ergo ex nudo facto materialis tumulationis cadaveris in coemeterio Collegiatae ius conferretur ad ea omnia quae funeralia vocant. Praeterea cum coemeterium Collegiatae praestet elegantiâ prae alio Cathedrali adsignato, si omnes qui in bonis habent de paroeciis Cathedralis, vel S. Ioannis in isto sepeliri praeferrent, funeribus tantum in Paroecia expletis, nemo non videt damnum, quod obveniret Cathedrali cui nihil, ultra quartam funerariam, in similibus casibus remanet.

Decet insuper antiquissimam servari legem constanter inter Cathedralem et Collegiatam servatam; qua fit, ceu dictum est, ut in funeribus primae classis, quovis in coemeterio tumuletur defuncti cadaver, quinque libellas Collegiata et sex Cathedralis Capitulum percipiat.

Iura Capituli Collegiatae. Iuris principiis innititur Capitulum Collegiatae aiens: cuilibet, qui sub alterius potestate non sit, concedi sepulturae electionem ex textu *Nulli tamen negamus propriam eligere sepulturam. Cap. Nos instituta 1. tit. 28 de Sepult. 3 Decret.* Adiecit autem idem Capitulum, post eligentis mortem, non admitti mutationem, cum sacra sit ultima defuncti voluntas. Insuper dixit omnia emolumenta funeris deberi Ecclesiae, in qua quis elegit sepulturam, detracta tamen portione canonica, quae domicilii Ecclesiae remittitur. » *Praesentium auctoritate statuimus ut si aliquem parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur.* « *Cap. Cum super 8 tit. de sepulturis 28 lib 3. Decret.*

His iuris principiis adiicienda est inter duo Capitula concordia iam ab anno 1232 inita, qua de sepulturis statutum est. « Alii vero nobiles vel ignobiles quicumque de una Ec-
« clesia istarum ad aliam sepulturam elegerint, cum ultima
« voluntas testatoris sit modis omnibus observanda, ibidem
« valeant libere sepeliri, reservata tamen canonica portione
« sive de oblationibus, sive de aliis illi Ecclesiae, de cuius
« parochia corpora taliter assumuntur. » Portionis mensura ad quartam emolumentorum omnium partem redacta fuit per Synodales Constitutiones Dioecesis A. n. 350 iam relatum.

Iuri factum respondet; nam dum vixit subpraefectus sepulturam in Collegiatae coemeterio elegit, ubi iam eius cadaver est humatum a 17 Novembris 1874. Ideoque conventio inter duo Capitula respicere nequit factum praesens, neque Capitulo Collegiatae satisfieri potest quinque libellis; quae solvuntur pro praesentia solemni funeri, quod in Cathedrali Ecclesia celebratur; si tamen agatur de iis defunctis, qui in eiusdem Cathedralis coemeterio tumulantur.

Neque valet obiicere cadaver in Coemeterio Collegiatae asservari, loco depositi; nam quaecumque sit futura Viduae voluntas, certum est ipsum sibi conditorium elegisse. Ast non

a viduae electione sed a defuncti voluntate ius oritur Ecclesiae, cui coemeterium pertinet. Insuper Viduae intentio factis elicitur.

Resque facti est, quod Vidua ipsa rependat libellas 200 pro duobus loculis in coemeterio Collegiatae; quae summa non solvitur pro funerandi iure, sed pro sepulchri privilegiati concessione.

Cum emolumenta funeralia etiam percepta restitui debeant illi Ecclesiae in qua quis sepulturam elegit; idque obtineri etiamsi per vim alibi (1) corpus sepultum fuisset, eadem emolumenta erunt ergo restituenda Collegiatae. Notum est enim, in Ecclesia ista non solum materialem, sed etiam ecclesiasticam et solemnem supulturam factam fuisse; precesque omnes Ritualis Romani decantatas fuisse, toto adstante Collegiatae Capitulo cum Cruce et Hebdomadario parato.

Tandem dubium dirimitur a lege Dioecesana ***n. 350,*** qui in voto Ordinarii relatus est in compendio facti. Nam officium huiusmodi ab utroque Capitulo expletum est, et preces ordinariae quae sunt officium defunctorum, et *Libera me Domine* insimul recitatae fuerunt; reliquas vero preces rituales soli Collegiatae Canonici decantarunt. Proinde Capitulum Collegiatae quidquid vel a communi vel a Dioecesana lege praescriptum erat rite persolvit, ipsi ius competit ad emolumentorum omnium perceptionem, tantum quarta funerali Ecclesiae defuncti Parochiali tradita.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Favore Capituli Cathedralis observatum fuit, quod in dubium revocari posse videtur num Collegiatae Capitulo, quia in proprio coemeterio defunctum tumulavit eadem competant iura Ecclesiarum in quibus, ante publicorum coemeteriorum constitutionem proprium sepulchrum elegerat defunctus. Etenim ex eo quod aliquis in publico

(1) Indubium est emolumenta funeralia pertinere, dempta quarta parochiali, ad Ecclesiam in qua defunctus sepulturam habuit aut sibi elegit. Et quamvis nunc, post erectionem coemeteriorum, pene omnes in eisdem publicis coemeteriis tumulentur, tamen emolumenta funeraria tribuuntur illi ecclesiae in qua defunctus sepulturam habuit. Ita dici debeat istam ecclesiam non amisisse ius funerandi, sed, variato loco, illud exercere in publicis coemeteriis.

coemeterio tumuletur, non sequitur ut Ecclesiae coemeterii emolumenta omnia funeralia debita sint, immo ea reservantur Ecclesiae domicilii morientis; secus Ecclesia publici coemeterii suos faceret fructus eorum funerum omnium, quae eo in loco celebrantur.

www.libtool.com.cn

Revera defuncti Vidua duos emit loculos prouti fieri solet in publico coemeterio; ex quo putandum esse videtur loculos Coemeterii Collegiatae comparari non posse sepulchris gentilitiis in ecclesiis existentibus, antequam publica coemeteria erigerentur. De coemeterii habemus legem edictalem Sacrae Congregationis Consultationis anni 1817 per litteras circulares promulgatam, quibus cautum est; « Maneant sarta tectaque emo- « lumenta parochialia, quae proveniunt ex constitutione aut ex « legitima consuetudine; quibus aliqua innovatio fieri nequit istis « provisionibus. » Ex recitatis verbis eruitur quod perspectum sit tum iuribus Ecclesiarum parochialium relate ad Ecclesias, in quibus defuncti vel habebant vel elegerant proprium sepulchrum, quarum iura ad funerum emolumenta percipienda intacta manserunt; tum iuribus Ecclesiae parochialis defuncti relate ad publica coemeteria. Et ideo si coemeterium Collegiatae uti publicum habeatur, electio sepulturae nihil eidem proderit, nec comparanda est Ecclesiis, in quibus olim gentilitia sepulchra locum habeant. His accedit quod in Cathedrali Ecclesia defuncti corpus latum fuerit, ibique omnes convenerint ad officium defunctorum canendum ac demum funera tertia, septima, et trigesima ab obitu diebus Capitulum ipsum celebraverit.

Favore autem Capituli Collegiatae observatum fuit haberi electionem sepulturae, et ius atque consuetudinem dioecesanam. Quoad electionem etsi Capitulum Cathedralis contendat hanc defuncti voluntatem sibi innotuisse cum iam ad cadaveris associationem properabat, valida non affert argumenta, quibus huiusmodi electionem penitus excludat. Provisoriam corporis depositionem suadere nititur; sed ipsi contradicit factum emptionis duorum loculorum; quo vidua innuere videtur

se tumulari velle in eodem coemeterio quod defunctus elegit, et in quo iam a Novembri 1874 quiescit.

Dubium remaneret an coemeterium Collegiatae uti publicum haberi possit. Ex actis tamen quaestio haec resolvi nequit; eo quod si coemeterium istud publicum sit relate ad parochianos Collegiatae, tale non est relate ad parochianos Cathedralis, quae proprium et ipsa habet. Ergo relate ad parochianos Cathedralis tamquam privatum coemeterium habendum est illud Collegiatae proprium: eo quod electione sepulturae opus sit, ut illuc deferantur Cathedralis Parochiani. Insuper decernendum manet num, quoniam coemeterium hoc Collegiatae Ecclesiae proprium est, sepulchrum ibi electum eadem ipsa iura Ecclesiae Collegiatae conferat, quae electio vel existentia sepulchri gentilitii olim conferre solebant Ecclesiis, in quibus sepulchra existebant.

Ad huiusmodi resolvendam quaestionem recurrendum est ad loci Constitutiones Synodales et consuetudines quae magnum in re pondus habent quaeque iam notae sunt. In transactione enim diei 25 Ianuarii anni 1232 constituta sunt iura Ecclesiae parochialis defuncti erga aliam, in qua ipse sepulturam elegisset; et quarta funeralis reservata fuit parocho domicilii. In Synodo Dioecesana actum est de iuribus Parochi domicilii erga Parochiam in qua sepulchrum extitisset, et functiones a primo explendae enumeratae sunt, portionis canonicae ab ipso percipiendae, quantitate praestituta. Proinde cum dictum fuerit in citato Synodi articulo, parochum domicilii teneri ad elevationem cadaveris, ad funus peragendum in propria Ecclesia et ad exequias continuandas usque ad portam civitatis vel loci, quoties contingat aliquem in una parochia decedentem in alia legitimam ob causam tumulari; cumque constitutum sit nihil parocho domicilii competere ultra quartam iurium omnium funeralium, haud dubium videtur emolumenta omnia tumulantis Ecclesiae propria esse, servata Ecclesiae domicilii quarta funerali.

Quibus deductis, propositum fuit enodandum dubium, quod in calce exscribitur. Ast EE. Patres *dilata* responde-

runt, sub die 13 Maii 1876 insimul ab Ordinario exquirentes, an erectio coemeterii praecesserit vel subsecuta fuerit Constitutiones Synodales anni 1875, et mandarunt transmittere copiam omnium articulorum earumdem constitutionum, qui funera et sepulturas respiciunt.

www.libtool.com.cn

Articuli Constitutionum transmissi fuerunt, et tresdecim numero sunt. In primo et secundo articulo commemoratis fidei dogmatibus, quibus innituntur preces solvendae pro defunctis et funebres exinde ceremoniae ab Ecclesia statutae, praecipitur observantia absoluta precum, quae funerum occasione in rituali romano descriptae reperiuntur. In tertio et quarto sermo fit de nuncianda morte fidelium tintinnabulorum sonitu, deque observandis praescriptis civilis legis circa tumulationis faciendae tempus. In quinto et sexto praecipitur ut defunctorum cadavera de more leventur praesente presbytero, atque prohibita humatione nocturno tempore facienda, meminit pauperes et divites eadem pietate et religione tumulandos esse. In septimo, octavo et nono, prohibitâ dilatione sepulturae sub praetextu non percipiendi iura parochialia mandatur, ut cadavera supra baram deferantur, et ne avaritiae suspicio inolescat, prohibetur parochis excitare fideles ad fundanda anniversaria etc. Decimus articulus qui numero est 350 relatus fuit in Voto Ordinarii in principio huius causae. Tandem in undecimo duodecimo et decimotertio enumerantur qui ecclesiasticâ debent sepulturâ privari ,monentur Parochi ut proprium instruant gregem, quod neque ex commessationibus, neque pompis funereis, sed ex bonis operibus, precibus etc. defunctorum animae, levamen recipiunt, pro quibus meminit et parochos teneri fundere preces. (1)

(1) Non solum Ecclesia sed natura ipsa nos erga defunctos reddet pios et misericordes. S. Gregorius *Serm. 1. de consolat. mortuorum* ita loquitur: « Iacet corpus exanime, ac gelidum, homo sine homine, cadaver sine spiritu acclamatur, nec respondet, vocatur et non exaudit, deperditis vitalibus functionibus, qui fuit non est, nemo suorum adiuvat, nec ipse auxilium postulare potest, quam ob causam nos eo magis commovere aequum est. Potest enim qui fame aut siti laborat, vel ex puteo vel ex profluente recreari, qui nudus est foliis vestes contexere, qui aegrotat, maiorem in aliis miseriam cogitando se consolari,

Ordinarius praedicta retulit quoad Constitutionum Synodalium articulos, quoad alia ab EEmis. Patribus exquisita ait: « quod dicta erectio indubitanter praecessit memoratas constitutiones. Sane ex certis documentis constat, Capitulum SS. Petri et Ursi consuluisse die 17 Novemb. 1781 de translatione coemeterii, quod olim prope Ecclesiam erat, ad agros ubi nunc habetur, quod quidem ab Episcopo Petro Francisco de Sales, approbatum est die 24 eiusdem mensis, ex illoque tempore iugiter in eo coemeterio cadavera parochianorum S. Laurentii, seu S. Ursi, quod idem sonat, tumulata esse. Item constat iam ab anno 1790 processionem ad praedictum coemeterium quotannis die 2 Novembris factam esse. Itaque certo certius est erectionem coemeterii paroeciae S. Laurentii, ubi nunc permanenter quiescit cadaver S. Gerensani, praecessisse Constitutiones Synodales anni 1835.

« Praestat alia ad causam opportuna adiicere: 1. Non potest in dubium vocari, quin coemeterium S. Laurentii habendum sit uti proprium parochianis Collegiatae. Nemo enim in eo, praeter hos parochianos, sepelitur, aut saltem nonnisi ex venia eiusdem Capituli. Ideo expensis dumtaxat Fabricae Collegiatae sartum tectum habetur; nullum vero ius in illud sibi vindicat Municipium. E contra coemeterium Cathedralis non est commune tantummodo parochianis S. Ioannis, sed etiam parochianis S. Stephani in Suburbio A. Est publicum ita ut ipsius tutelae Municipium expensis suis prospiciat. Praeterea ipsum Cathedralis Capitulum fassum est coemeterium S. Laurentii esse privatum, prout patet ex hisce verbis: *quod cum sit Collegiatae proprietas valde elegans est.*

« 2. Ex eo quod coemeterium S. Laurentii censeatur privatum, deducit Capitulum Collegiatae suam Ecclesiam iisdem

et captivus in captivitate, et peregrinus sub frigido coelo respirat. At mortuus cum anima sensuque careat, nec quo se vertat, nec quid imploret amplius, nec vim habet implorandi. Nil mirum igitur, si insit a natura in humanis pectoribus singularis erga defunctos pietas, ac miseratio. »

« potiri iuribus, quibus gauderet, ubi sepulchra in Ecclesiis « permitterentur. Aequum enim non est, ut per mere civilem « legem Ecclesia prohibeatur a iure percipiendi funeralia emo- « lumenta. Ad rem fortasse facit decisio S. Congreg. Concilii « in Arim. *funerum 16 iunii 1827*, prout legitur in *Instit.* « *Can. lib. 3 cap. 5* §. *6 de Quarta funerali* cl. Septimii « Vecchiotti·

« 3. Quoad antiquam consuetudinem erogandi Capitulo « Ecclesiae Collegiatae in Cathedrali funeribus adstanti libel- « las quinque, et libellas sex Capitulo Cathedralis eadem de « causa ad Ecclesiam Collegiatam sese conferenti, advertendum « anno 1871 actum esse in utroque Capitulo de emolumentis « funeralibus augendis, remque totam ad Episcopum delatam « fuisse; morte autem ipsius intercedente, nihil definitum fuit.

« 4. Denique monendum est, utcumque in aliis scriptis « praedixi, ex quantitate cerae exequiarum causa consum- « ptae nunc superesse dumtaxat valorem 60 libellarum ita- « licarum; pecuniae vero summam ab haerede solutam esse « 100 libell.

« Dignentur itaque EE. PP. super iure ad perceptionem « horum emolumentorum sententiam suam elicere, cui stabit « utrumque Capitulum.

« Nihil dico de missis celebratis diebus obitus, et diebus « 3. 7 ac 30. Cum enim funeralia haec officia peracta fue- « rint in Cathedrali Ecclesia, huic evidenter debentur stipen- « dia. Huiusmodi autem celebrationi sese non opposuit Capi- « tulum Collegiatae, quia iam annuerat transactioni a me « propositae hoc modo, ut omnia emolumenta, non exceptis « stipendiis quatuor dictarum missarum, in duas aequales « partes distribuerentur.

« Si autem mihi liceat precibus uti, oro, ut constitutio- « nes Synodales anni 1835 sartae tectaeque, in quantum « fieri potest, hac in causa serventur, ne nervus Ecclesiasticae « disciplinae disrumpatur. »

Quibus cognitis iterum enodandum propositum fuit

Dubium

An Capitulum Cathedralis A. emolumenta omnia funeris percipere debeat solutis tantum libellis quinque Capitulo Collegiatae, vel potius quarta funeralis tantum ei competat in casu.

www.libtool.com.cn

Resolutio. Sub die 25 Augusti 1877 iterum agitavit causam, atque respondere duxit S. C. C:

Negative ad primam partem: affirmative ad secundam salvis eleemosynis Missarum ac emolumentis funerum diei 3, 7 ac 30 et amplius.

Ex quibus colliges. I. Electionem sepulturae liberam esse omnibus *adultis* dummodo a iure (1) non prohibeantur, quia electio est actus propriae voluntatis.

II. Non eligentem aut non habentem maiorum suorum sepulturam sepeliendum esse in propria parochia, ubi sacramenta recipit.

III. Parochiali Ecclesiae deberi semper quartam canonicam seu funerariam, ratione administrationis sacramentorum, ubicumque defuncti cadaver sepeliatur, sive in electa, sive in maiorum suorum sepultura.

IV. Uxorem viduam, quatenus absque electione sepulturae decedat, etsi maiorum sepulcrum habeat, sepeliendam esse in sepulcro mariti: *ut quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, et quod Deus coniunxit, homo non separet.*

V. Praeter iuris dispositionem, in huiusmodi enodandis quaestionibus quoad emolumenta funebria, magnum habere pondus tum loci Constitutiones Synodales, tum consuetudines in eodem loco iamdiu inductas.

VI. In themate transactionem antiquissimam inter duo Capitula quae constantem obtinuit observantiam, nec non illius Dioecesis Synodales Constitutiones dubium dirimere videntur iuxta S. C. Concilii resolutionem.

(1) Religiosis professis a iure interdicitur electio sepulturae, *cum velle et nolle non habeant*, sed tumulandi sunt apud sua monasteria.

IURIUM PAROCHIALIUM

www.libtool.com.cn

Die 25 Augusti 1877

COMPENDIUM FACTI. Plebanus Ecclesiae S. Mariae Plani Civitatis A. per Secretariam S. Rituum Congregationis Sacratissimo Principi haec exposuit. « Intra Paroeciam Sanctae « Mariae Plani Civitatis sunt quinque Ecclesiae dictae filia- « les, quae non habent rectores, nec SSmum Sacramentum, « praeter dies, in quibus solet solemnizari *dies festus* San- « cti Titularis uniuscuiusque Ecclesiae, aut aliae functiones « ex fidelium devotione; quaerit itaque: = 1. *An functiones, « quae fiunt in eisdem Ecclesiis spectent ad Parochum pro « tempore.* 2. *An Parochus posset nominare alium Sacer- « dotem ad functiones, et Sacrum faciendum ipso impe- « dito.* »

Hoc habito libello S. R. C. sollicita fuit Episcopum pro informatione et voto rogare, qui obtemperans mandatis retulit. « Illud pro facti specie contestor revera inter fines Paroe- « ciae quinque reperiri Ecclesias; et ut me praeteream de « duabus ruri positis, ac de una iugiter clausa quia fatiscens, « quae per antea S. Eligio erat dicata; de duabus publicis « Ecclesiis in Civitate positis verba faciam, una SSmo Cru- « cifixo et S. Sabino dicata, in qua Beneficium patronatus « familiaris fundatum existit cum ufficiatura Missarum et « Pia Unio eiusdem Crucifixi, quae de Ecclesiae ufficiatura « occupatur ob devotionem et populi commodum, cum Eccle- « sia sit ampla et spectabilis. Alia Ecclesia habetur in platea « ubi opificia funium abundant, et affluit multitudo extraor- « dinaria, et etiam in ista habetur pia Unio sub invocatione

« S. Sebastiani. In hac temporum perversitate incredibilis et « aedificatione digna habetur pietas illarum pauperum gen- « tium pro stipe Missarum unciatim colligenda; signatim vero « prae caeteris se distinguit sollicitudo et largitas eximii et « religiosi viri de suo peculio in officiatura procuranda et au- « genda, in supellectilibus acquirendis, in Doctrina Christiana « illi miriadi pauperum puerorum per sacerdotes *charitative* « conquisitos imbuendo se enixe occupat, et tanta pietate « movetur ita ut eius memoria in benedictione erit. Num- « quam satis dicam de bono spirituali, quod in dicta Eccle- « sia procuratur cum frequenti officiatura missarum, sacra- « mentorum dispensatione, suffragiis pro defunctis, Doctri- « nae Christianae institutione ceterisque omnibus quae in « multis Ecclesiis desiderarentur. Hinc ut divinus cultus au- « geatur, et animarum lucra curentur, tenerem ut Sacerdo- « tibus illam Ecclesiam aeque ac aliam S. Sabini desuper « recensitam Regentibus, et Moderatoribus, Parochus inhi- « bire nequeat, ne ibidem Sacerdotalia munera expleant, sive « quia generaliter officium et potestas Parochi nihil cum illis « commune habet, sive quia statim ac Episcopus Ecclesias « illas tamquam loca sacra haberi voluit, in quibus sacra mi- « nisteria complerentur, obicem nullum ponere Parochi que- « ant, ne Sacerdotes addicti ibidem sua officia absolvant, ser- « vatis tantummodo Parocho iuribus Parochialibus scilicet « Communione Paschali, Matrimoniis, Baptismo, caeterisque, « quae ut Pastor ei spectant. Hinc licebit in Ecclesia capsulas « habere, et oblationes et eleemosynae erogandae erunt in be- « neficium Ecclesiae prout respondit ista S. C. C. 28 *Junii* « *1774 et 8 Maii 1745,* et recenter ista S. R. C. respon- « dendum censuit: *Nihil obstare quominus functiones, in* « *sacello publico peragantur de licentia tantum Episcopi,* « ut simili modo contentiones et iurgia penitus arceantur.

« Quibus praeiactis et de facto et de iure, prono alveo « fluit, functiones, quae fiunt in Ecclesiis publicis, licet fi- « liabus, non spectare ad Parochum dummodo non sint de « functionibus Parochialibus, et multo minus alium nominare

« poterit posthabitis Sacerdotibus, qui iugiter Ecclesiae de-
« serviunt. Ne tamen aliquid in mea informatione desidere-
« tur, dicam, quod urbanitatis titulo ad maiorem functionum
« splendorem, praesertim in expositione SSmi Sacramenti
« non praetermissa fuerit invitatio Parochi, sed eo impedito
« vel nolente a Sacerdotibus Ecclesiae functiones expletae ri-
« te fuerunt. Quibus praeiactis concludam cum requisito voto,
« ut functiones et quae parochialia minime laedant, exer-
« ceri et institui valeant, de *venia* tantum *scientia et con-*
« *sensu* Episcopi, ideoque ad Parochum non spectare, et
« consequenter ipsum nec posse nominare alium Sacerdotem
« ad functiones et sacrum faciendum. »

Postea rescriptum fuit: « *Eidem Episcopo, qui referat quaenam fuerit praecedens observantia, et an Synodales Constitutiones quidquam disponant super propositis quaestionibus.* » Quibus mandatis iussa faciens A. Praesul sub die 18 Maii iam effluxi retulit: « Quoad praeteritam observan-
« tiam habemus curante piae Unionis S. Sebastiani Guber-
« natore quando Sacerdos praesto non erat, dum hodie ha-
« bemus, Plebanum S. Mariae invitasse, et quandoque ipso
« impedito (rite necne) suum Capellanum suffecisse.

« Rebus tamen sic stantibus devotione Gubernatoris eius-
« dem et incredibili fervore crescente novae functiones indu-
« ctae, cultus adauctus, Doctrinae Christianae rudimenta
« tradita, SSmi Sacramenti solemnis expositio quadraginta
« horarum, et exemplar dicti divini cultus augmentum. Hoc
« tamen non semper probante Plebano qui talia non faciens
« in Ecclesia sua satis dissita, et populo incommoda non in-
« differenter in Ecclesia S. Sebastiani ea omnia videt accre-
« scere. Hanc tamen Ecclesiam affluenti illi genti circum-
« stanti absolute necessariam, neglectam, et derelictam plo-
« rarem deficiente concordia Parochum inter et gubernato-
« rem regentem illam piam unionem, qui licet homo vulga-
« ris et rudis, tamen non parcens expensis fere semper de
« suo factis, mirum in modum de sacris suppellectilibus deque
« functionibus occupatur, et per Sacerdotem Rectorem,

« aliosque Sacerdotes ad doctrinae sacrae instructionem, ad Sa-
« cramenta illi genti procuranda et ad functiones complendas pro-
« videt » Quibus expositis prosequitur. « Cum de iure constitu-
« to agendum sit, habemus responsum S. R. C. diei 10 Octobris
« 1640 in Bisinianensi, quoad functiones solemnes in Ecclesia
« simplici, intra fines alicuius Paroeciae, spectare ad Rectorem
« ipsius Ecclesiae. Et alterum consimile in Ripana 14 Iunii 1845
« pro ecclesiasticis functionibus, quae parochialia iura non
« laedant; nec non in Cusentina diei 26 Aprilis 1834 decer-
« nitur pro solemnibus functionibus in Ecclesiis Parochiali-
« bus vel succursalibus, requiri consensum Parochi, in aliis
« Ecclesiis consensum Rectoris. Nihil denique super proposi-
« tis quaestionibus nostrae Constitutiones Synodales dispo-
« nunt. »

www.libool.com.cn

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHI. Neminem latet Parochum privative quoad omnes circa Sacramentorum administrationem, oblationum exactionem, funeralium et omnium actuum et iurium parochialium exercitium, fundatam habere intentionem (1) in iure, non tantum in Parochiali Ecclesia, verum etiam intra totius Paroeciae fines *Cap. Dilectus de Capellis Monachorum, cap. 1 et 4 De Sepulturis, cap. 2 De Parochis. Clem. Dudum* §. *Verum de sepulturis*. Hinc ad eum pertinere Missas canere, et populo cum Venerabili in iis benedicere tradunt Monacelli *form. leg. tom. 2 tit. 13 form. 1. num. 59* Pignattelli *consult. 103 n. 16 tom. 10;* eaque ratione ritus omnes benedictiones et functiones ad eos spectare, qui curam animarum habent tradit *Bass. de sodalit. quaest. 12 n. 10.* Et ideo quamvis functiones huiusmodi non recen-

(1) Iuristae ad significandam praesumptionem, quae stat pro aliqua persona ob aliquam eiusdem personae qualitatem, dicunt personam illam *habere intentionem in iure fundatam*. Sic, loquendo de iurisdictione, dicitur Parochus habere intentionem in iure fundatam, quia, eo ipso quod parochus sit, censetur habere iurisdictionem in totam paroeciam quoad sacramentorum administrationem, et quoad omnia iura parochialia. Ex qua iuris praesumptione consequitur, quod alius, non ille, probare debeat, talem actum eximi ab eius iurisdictione.

seantur inter intra parochialia, pertinent tamen ad functiones parochiales *Monacel. loc. cit. n. 54 et seq.* Pari ratione censetur Parochus legitimus administrator oblationum et eleemosynarum, quae quolibet in loco intra paroeciae fines largiuntur ut tradidit S. C. C. *in Ferrarien. Confraternitatis 14 Septembris 1782* §. *ad secundum.*

www.libtool.com.cn

Quamobrem ratione sui officii, et ad sua iura protuenda, valet Parochus impedire quominus clerici, aliique Capellani, ne in Oratoriis seu Ecclesiis sitis intra limites Parochiae, quacumque ex causa praesumant sine sua praesentia vel saltem consensu, Missas sive votivas sivè alias, privatim vel cum cantu celebrent. *Innocent. in cap. Finali de cens. Mantic. decis 294.*

Etiam interdicere potest Parochus Confraternitatum Capellanis ne in illarum Ecclesiis Confessiones audiant, ministrent sacramenta, mortuos sepeliant, aut solemnes pro illis Missas, vel alia officia celebrent praesentibus cadaveribus ibidem tumulandis sine expressa Ordinarii et parochi licentia, Barbosa *de iur. eccl. lib. 2 cap. 11 n. 105.* aliique.

Videretur proinde ex adductis, quod Parocho competat ius exercendi omnes functiones in praefatis ecclesiis et praesertim quia ipsae perpetuum non habent rectorem Card. *Petra Tom. 2 ad Constit 1 Anastas. sect. 2. n. 20, 23.* et ideo ipso impedito, alium delegare posse qui eius vices gerat.

Ea quae Parochi iuribus adversantur. Assistentia iuris qua fruuntur parochi super ecclesias intra Paroeciae fines sitas, non est absolute intelligenda, ita ut eisdem Parochis liceat pro lubito iura parochialia exercere, et ecclesiasticas functiones peragere in quavis ex eisdem ecclesiis. Nam huiusmodi iuris intelligentia id tantum operatur ut Parochus sit solus in tota Parochia in exercitio iurium parochialium; absque eo quod in huiusmodi exercitio quisque alius umquam se posset immiscere. Doctores sic interpretantur hanc parochialem iurisditionem Pignat. *cons. 103 num. 15 et seq. tom. 10,* Monacelli *loc. cit. part. 2. tit 13 form. 1. n. 54 et seq.* Rota in *Gerunden. Anniversariorum 3. Decembris 1708* §. *Neque, corum Scotto.*

Et iure meritoque « cum nulla ecclesia citra Cathedralem « fundet intentionem suam de iure super subiectione alterius « Ecclesiae etiam fundatae intra limites suae Parochiae, praeterquam in ordine ad iura parochialia, adeo ut si ultra ea « vellet vindicare aliquod ius in aliena Ecclesia, deberet probare ex iure speciali hoc sibi competere ut tenent communiter canonistae in *Cap. Dilectus de Capell. Monach.* quos « referunt et sequuntur Valenzuol. cons. 65 n. 10, Card. « de Luca de Paroch. disc. 31. n. 6 et plenissime Rota « decis. 551 n. 11. cum seqq. part. 5 rec. tom. 2 ubi reiecto Hostiensi testatur de communi. » Rota *decis. 990 n. 1 et 2 coram Molines.*

Idem tradidit passim S. C. C. ut videre est in *Nullius seu Nonantulana iur. par. 13 Ianuarii 1685 dub. 4, Comen. iur parochialium 9 Iulii 1714.*

Quod confirmatur per decreta S. C. Rituum Urbis et Orbis 10 Decem. 1703 relatis a Monacelli *loc. cit. sub n. 46*; in quibus discrimen positum est inter functiones mere parochiales, ac mere sacerdotales, ceu videre est penes Bened. XIV *Instit Eccl. 105* quarum doctrinam per partes more suo doctissime exponit. Ne occasio dubitandi adhuc superesset super praecipuis functionibus idest an essent parochiales nec ne dubia sequentia in S. Rituum Congr. proposita fuere: X *An celebratio Missarum solemnium per annum sive pro vivis sive pro defunctis sit de dictis iuribus parochialibus. XI An expositio quadraginta horarum et benedictio quae fit super populo sit de iuribus mere parochialibus XIII An functiones in praecedentibus octo dubiis videlicet a dubio V ad XII expressae peragi possint in Oratoriis privatis contradicente parocho.* (1) Responsum fuit ad X. *Negative*

(1) En alia dubia ex Decreto Urbis et Orbis S. C. Ritus excerpta, ex quibus dignoscitur quae sint parochiales et quae sacerdotales functiones.

V. An benedictiones et distributiones Candelarum, Cinerum et Palmarum sint de iuribus mere parochialibus.

VI. An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum et similium, sint de iuribus mere parochialibus.

VII. An functiones omnes Hebdomadae sanctae sint de iuribus nere parochialibus.

prout iacet; ad XI. *Negative;* ad XIII. *Satis provisum in superioribus;* nempe affirmative ut explicat Bened. XIV *loc. cit.* qui postquam reprobavit distinctionem functionum quae dicuntur de iure et de officio parochi tamquam a doctoribus inventam *sub n. 6* pergit. « *Accedit.... quod Concistoriales advocati pro veritate consilium ferentes, asseruerunt nullum a Parocho impedimentum afferri posse, ne functiones illae in aliis ecclesiis indicantur, quamvis intra suae Parochiae limites positae fuerint.* »

www.libtool.com.cn

In casu eo fortius id retineri posse videretur, quia Parochus non docuit de subiectione dictarum ecclesiarum ex iure speciali sibi competente, verum etiam ex Episcopi depositione patet praefatas ecclesias regi a Sacerdotibus de consensu et scientia Ordinarii. Et ideo licere videretur eisdem Ecclesiis functiones peragere quae parochialia iura minime laedant, ceu tenuit S. C. Congr. in *Realina Sacrarum functionum diei 12 Ianuarii 1844;* in qua propositis dubis *1 An liceat Capellano novenas, triduos et alias functiones cum expositione et benedictione SSmi Sacramenti explere in Oratorio S. Dominici* (iuris patronatus gentis Ricciae) *indepenter a Parocho in casu.* II *An liceat eidem Capeliano Missas solemniter canere independenter a parocho in casu.* « Responsum fuit: Ad I et II *Affirmative in omnibus ad formam decretorum Urbis el Orbis S. Rituum Congr. diei 10 Decembris anni 1703, salvo tamen iure Episcopi super licentia benedicendi populum solemniter cum SSmo. Sacramento prout de iure.* »

Minime Parocho iuvat dicere sibi spectare doctrinae christianae explanationem et eleemosynarum, quae intra fines

VIII. An celebratio Missae solemnis feria quinta in Coena Domini sint de dictis iuribus parochialibus.

IX. An prima pulsatio campanarum in sabbato sancto, sit de dictis iuribus parochialibus.... Quibus dubiis S. Rituum Cong. respondit:

Ad V. ***Negative.***

Ad VI. ***Negative, sed benedictiones mulierum et fontis baptismalis fieri debere a Parochis.***

Ad VII. ***Negative prout iacet.***

Ad VIII. ***Negative prout iacet, sed spectare ad Parochos.***

Ad IX. ***Negative prout iacet, sed spectare ad Ecclesiam digniorem ad formam Constitutionis Leonis X. 22. §. 14.***

ecclesiae largiuntur administrationem. Nam etsi ad onera parochialia doctrinae explanatio pertineat, tamen de Episcopi consensu in alia Ecclesia fieri potest. Et revera si eam tradere possunt Confraternitates laicorum, quas ad hoc institui a locorum Ordinariis praecepit S. Pius V. in *Constit. 137 Bullar. Tom. 2.* confirmata a Gregorio XIII. Clem. V. et Paul. V. potiori ratione valent ea docere Rectores praefatarum Ecclesiarum de consensu Ordinarii, cui ex Bulla Bened. XIV, cuius initium *Etsi minime,* omnis cura et diligentia commissa fuit ut populus Doctrina Christiana erudiatur.

www.libool.com.cn

Neque Parochus se ingerere valet in administratione oblationum ceu patet ex citato decreto Urbis et Orbis ex resolutione dubii 28 «ibi» *An possit Parochus se ingerere in administratione oblationum vel eleemosynarum in saepe dictis ecclesiis recollectarum, vel capsulae pro illis recipiendis expositae clavem retinere*: responsum prodiit « *Negative* »

Neque obiiciatur quod Parochus solemniter in quibusdam solemnitatibus celebraverit vel functiones peregerit in dictis Ecclesiis et eo impedito suffecisse capellanum. Actus enim celebrationis et aliarum functionum exercitium non probat, quod eas peregerit tamquam Parochus iure superioritatis prout esset iustificandum; cum constet ex Episcopi testimonio parochum inibi sacras functiones exercuisse quando fuit a Gubernatore invitatus. Ex quo actu minime obligatoria consuetudo argui potest ex traditis per Rotam, *coram Cavaler. decis. 386 n. 1 Calaguritana Decimar. S. Petri 21 Iunii 1697* §. *Absque, coram Molines.*

Ergo si ex adductis patere videtur Parocho S. Mariae nullum competere ius functiones peragendi in Ecclesiis intra fines suae Paroeciae sitis, consequitur ipsum non posse alium sacerdotem nominare ad functiones peragendas et ad sacrum itandum ipso impedito.

Quibus in utramque partem animadversis, quaesitum fuit ab Eminentissimis Cardinalibus quonam responso esset dimittendum

Dubium.

An Parocho S Mariae Plani ius sit peragendi sacrum et functiones omnes sive per se, sive per alium in casu. »

www.libtool.com.cn

Resolutio. Sacra Congr. Concilii sub die 25 Augusti 1877, causâ cognitâ, respondere duxit:

Negative, nisi agatur de functionibus mere parochialibus et amplius. (1)

Ex quibus colliges. I. Ex fundata intentione, quam in iure habent Parochi quoad exercitium iurium parochialium, Doctores autumant id erui posse, quod Parochus in tota Paroecia debeat esse solus in hoc exercitio; neque alius Sacerdos unquam se immiscere possit, neque eumdem Parochum his in iuribus exturbare.

II. Huiusmodi ius non extendi ad alias functiones, quae parochiales non sunt sed sacerdotales; proinde nequiret Parochus, nisi id sibi competeret ex aliquo privilegio vel pacto in fundatione posito, prohibere functiones Sacerdotales Rectori alterius ecclesiae intra fines paroeciae positae, a paroecia tamen non dependentis.

III. Proinde in themate, cum Parochus haud docuerit de subiectione dictarum ecclesiarum ex speciali iure sibi competente, prohibere non posse quominus Rectores peragant omnes functiones in eisdem ecclesiis, dummodo iura parochialia non laedant.

(1) Canonistae distinguunt Iura parochialia a functionibus parochialibus. Inter iura mere parochialia « illud pri» mum locum obtinere, *ait Bened. XIV. » Constit. 105.* ut diebus festis ad Pa» rochiam accedat populus ubi Missae sa» crificio intersit. *Cap. 2. de Parochis.* » Id tamen consilium potius, quam prae» ceptum nunc existimatur. Secundo ut » populus manu sui Parochi Sacramenta » percipiat. At nunc Eucharistiam in » Paschate. Viaticum graviter aegrotan» tibus, postremam unctionem, et matri» monii sacramentum solus parochus ad» ministrat, uti praecipit Tridentina Sy» nodus. Tertio ut fideles in sua quique » parochia post mortem sepeliantur, nisi » proprium alio loco familiae sepulchrum » habeant, aut tumulum sibi in alia non » designaverint. Tunc autem pro Con» stitutionibus et consuetudine Dioece» sum quaedam parocho emolumenta con» ferenda iubentur. Quarto ut parochiae » solvantur decimae et oblationes, quae » iuxta leges et instituta Dioecesum in» dicuntur. »

Functiones autem parochiales dignosci possunt ex decretis S. Rituum Cong. quae relata fuere in nota p. 610, 611 et ex quibus eruitur eas esse Parochiales functiones quae non declarantur sacerdotales per eadem decreta.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

www.libtool.com.cn

DECRETUM

Feria II die 8 Aprilis 1878.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni, in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico Vaticano die 8 Aprilis 1878 damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Earle Carolus Joannes, B. A. The Spiritual Body. — *Latine*: Corpus spirituale: The Forty Days. — *Latine*: Quadraginta dies. Londini 1876.

Brière Abbé (sub falso nomine Georgii Perdrix). Le vrai mot de la situation présente. Paris 1877.

— Lettre adressée à monsieur l'abbé Pouclée Official Diocésain de Chartres.

Bernardo (di) Domenico. Il divorzio considerato nella teoria e nella pratica, Vol. unico. Palermo, 1875.

Cerruti Giuseppe canonico penitenziere della Cattedrale di Novara. La Chiesa Cattolica, e l' Italia, storia ecclesiastica e civile dalla venuta di San Pietro, Principe degli Apostoli, a Roma sino all'anno 30 del fortunoso Pontificato di

Pio IX. Vol. I. II. Torino, tipografia Cavour, 1877. *Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.*

Minghetti Marco. Stato e Chiesa. Ulrico Hoepli editore, Milano, 1878.

www.libtool.com.cn

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, Sanctitas Sua Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 9 Aprilis 1878.

ANTONIUS CARD. DE LUCA Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.

S. Ind. Congreg. a Secretis.

Loco ✠ Sigilli

Die 26 Aprilis 1878. ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

Philippus Ossani Mag. Curs.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC DECIMO VOLUMINE CONTINENTUR

www.libtool.com.cn

LITTERAE APOSTOLICAE

Epistola Encyclica Sanctissimi D. N. Pii divina Providentia Papae IX ad Archiepiscopos, Episcopos, Clericos, Monachos, universosque Fideles Patriarchatus Babiloniensis Chaldeorum. . . . *pag.* 3

Allocutio, Sanctissimi D. N. Pii Papae IX habita die 12 Martii 1877 ad S. R. E. Cardinales in aedibus vaticanis. . . . . » 49

Allocutio Sanctissimi D. N. Pii divina Providentia Papae IX habita die 22 Iunii 1877 ad S. R. E. Cardinales in aedibus Vaticanis. . . . . » 161

Litterae Apostolicae; ad R. P. Sire e Congregatione S. Sulpicii Parisii, qui litterae dogmaticae de Immaculata Conceptione ut in primarias mundi linguas verterentur curavit. . . . » 209

Litterae iussu Sanctissimi Patris Pii Papae IX datae ad D. Eduardum Hautcoeur Praesulem Domesticum Sanctissimi D. N. Pii Papae IX, Rectorem Universitatis Catholicae insulensis. . . . . » 257

Allocutio SSmi D. N. Pii divina Providentia Papae IX habita in Consistorio secreto die 28 Decembris 1877. . . . . » 417

Allocutio SSmi D. N. Leonis XIII habita in Consistorio secreto die 28 Martii 1878. . . » 577

Responsio Eminentissimorum Cardinalium. . . . . » 580

Epistola Encyclica SSmi D. N. Leonis XIII ad Patriarchas, Primates etc. . . . . » 585

EX ACTIS CONCISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 12 Martii 1877. . . . . » 62

Breve Sanctissimi D. N. concedens plenariam indulgentiam occasione sui quinquagesimi anni Episcopalis honoris. . . » 69

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones, quibus sunt praepositi. . . . » 167

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones quibus sunt praepositi. . . . » 211

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones, quibus sunt praepositi. . . . » 305

Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones, quibus praepositi sunt. . . . » 369
Nominationes Episcoporum et Ecclesiarum descriptiones, quibus praepositi. . . . . » 418
Provisio Ecclesiarum. . » 582

www.libtool.com.cn

EX AEDIBUS VATICANIS

Litterae Emi Card. Ioannis Simeoni Secretarii Status SSmi Patris Pii IX ad Apostolicos Nuntios. » 105
Litterae protestationis ad Diplomaticum Guberniorum coetum datae, occasione qua, demortuo Victorio Emmanuele, filius eius primogenitus regis Italiae nomen assumpsit. . . . . » 481
Litterae circulares Emorum. Cardinalium ad Diplomaticum Guberniorum coetum litteris patentibus apud S. Sedem instructum. . . . . » 529

EX S. CONG. S. R. U. INQUISIT.

Instantia nonnullorum Italiae Episcoporum quoad *Regium exequatur*. . . . . » 90
Dubia et resolutio circa usum linguae russiacae in Catholica liturgia. . . . . » 572

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Decretum, quo varii prohibentur libri. . . . . » 150
Prohibitio libri quoad studiorum directionem a Summo Pontifice Gregorio XVI peracta . » 152
Decretum: quo varii prohibentur libri. . . . . » 295
Decretum quo varii prohibentur libri. . . . . » 527
Decretum quo plures prohibentur libri . . . . . » 614

EX SACR. CONGR. CONCILII

Census; disceptatur an initus sit iusta ecclesiasticas dispositiones; ita ut validus aut invalidus renunciari debeat. . . . . » 38
Decretum; quo iniungitur aliqua additio formulae professionis fidei ortodoxae facienda. . » 71
Distributionum et Onerum; in qua disceptatur an qui in una Ecclesia beneficium possidet, in alia vero est Canonicus honorarius, quoties in Ecclesia beneficii praesens est, distributiones lucretur et cum abest fructus percipiat et providere debeat pro Missis turnatim celebrandis, atque etiam pro adventitiis. . » 75
Capellaniae; quaeritur an per legem civilem 15 Augusti 1867 bona dotem Capellaniae constituentia libera facta sint; ita ut absque ullo onere vendi alienarique possint. . . . . » 82
Canonicae institutionis; quaeritur cuinam danda sit ex duobus praesentatis canonica institutio in parochiali beneficio. . . » 110
Super Eleemosynis Missarum, quaeritur an consuetudo recipiendi plures eleemosynas pro unica Missa cantata in die commemorationis omnium Fidelium defunctorum conservari possit. » 120

Postulatum Circa Concursus ad Paroecias; disceptantur tria dubia quoad affixionem edicti concursus, quoad Examinatorum suffragia, et quoad dignioris electionem. . . . . » 127

Concordiae, Indulti et Condonationis; dubitatur an concordia quoad distributiones perceptas confirmanda sit, et an indultum ab assistentia chori concedendum. . . . . » 135

Circa Patrimonia Sacra; in qua disceptatur an sacerdotes qui, post legem italicam, inscriptionis hipothecariae renovationem omiserunt, sacra patrimonia adhuc possideant. . . . . » 173

Remotionis Impedimenti; quaeritur an locus sit remotioni impedimenti sponsalium in curia Episcopali propositi, ob matrimonii promissionem. . . . » 185

Solutionis; ex qua apparet quibus ex causis, et quibus concurrentibus circumstantiis, Canonico Theologo ob neglectum munus multa sit infligenda . » 218

Dubia Circa S. Scripturae explanationem et honorarium; in quibus generales normae pro deputando Religioso, qui negligentis Theologi vices suppleat, nec non pro determinanda multa Canonico Theologo infligenda, et supplenti Religioso tradenda. » 227

Institutionis; quaeritur cuinam ex tribus canonicatum postulantibus institutio in eodem danda sit. . . . . » 232

Consuetudinum seu Distributionum et Missae Conventualis; quaeritur an improbanda sit consuetudo canendi Missam Conventualem post Nonam diebus festis, et an Canonici examinibus actu vacantes, vel Episcopum in Dioecesis visitatione comitantes, vel celebrantes et adsistentes pro Missa conventuali canenda, non redeuntes in chorum ut adsistant ad sextam et Nonam, distributiones inter praesentes percipere queant. . . . . » 240

Dismembrationis Paroeciae; discutitur an dismembratio iure ab Episcopo facta sit, et an confirmanda vel infirmanda sit sententia Metropolitani, qui nullitatem eiusdem dismembrationis declaravit. . . . . » 260

Iuris Suffragandi; quaeritur an in electione iudicum et examinatorum prosynodalium ius voti habeat canonicus qui proponitur ab Episcopo ad officium istud, et an pro aliis ius hoc exercere valeat. . . . . » 273

Irregularitatis; Sacerdos qui ex fortuita igneae balistae explosione digitum pollicem manus sinistrae amisit dispensationem ab irregularitate petit. . . » 279

Sponsalium; in qua quaeritur an concedenda sit *restitutio in integrum* et an confirmanda vel infirmanda fuerit sententia Curiae Episcopalis, emissa super validitate sponsalium. . » 312

super dispensatione sponsalium: in

qua exposcitur a SSmo Patre dispensatio super sponsalia, causas ad hoc adducendo. . » 319

Paroeciae: in qua disseritur an ecclesia saecularis mutata sit in regularem, eo quod per longum tempus eidem Ecclesiae inservierint clerici Regulares, et in quodam Bulla Clementis IX *Regularis* enuncietur. . . . » 322

Matrimonii: acriter diuque disputatum est ut probaretur matrimonii inconsummatio ad hoc ut peti posset dispensatio super matrimonio rato et non consummato. . . . . » 376

Servitii choralis; quaeritur an canonici teneantur adesse Completorio, tempore Quadragesimae, an obstringantur ad praesentiam Missae de vigilia vel feria, et an obligentur ad mutandam matutini horam . . . . . » 427

Matrimonii; disceptatur an ex impotentia viri matrimonium nullitate laboret, vel utrum dispensatio petenda sit super matrimonio rato et non consummato. » 435

Legati; disceptatur an haeres teneatur solvere annuam praestationem monialibus relictam sub conditione, quatenus nempe Ordines religiosi per legem civilem dissolverentur. . . » 451

Matrimonii; in quo diu dubitatum est an matrimonium consummatum fuerit nec ne pro dispensatione petenda. . . . . » 463

Iuris revocandi dioecesanum: disceptatur an Ordinarius *originis* repetere possit suum dioecesanum ab alio Ordinario, in cuius Dioecesi clericales vestes induit. » 474

Adscriptionis seu Incardinationis; disceptatur an iuvenis clericus expulsus e Seminario a suo Episcopo recipi et ordinari possit ab alio Episcopo in cuius Dioecesi domicilium constituit. » 485

Dubia super matrimonio; quaeritur an conservari possit consuetudo adversus Constitutionem *Dei miseratione,* permittendi novas nuptias post unam sententiam; et quid agendum quoad mulierem, quae ex lege civili nequit a viro discedere, dum id iubetur a lege ecclesiastica ob impotentiae impedimentum. . . . » 504

Praebendae Theologalis; cupiens theologus exhonerari ab explananda S. Scriptura, expetit an possit lectionibus scripturalibus sufficere lectiones Theologiae Dogmaticae *gratis* in Seminario peragendas. . . . . » 509

Institutionis; quaesitum est an et cui danda esset institutio in parochiali beneficio inter varios praesentatos. . . . . » 534

Decimarum; disceptatur inter duos parochos cuinam ius competat exigendi decimas personales a familia, quae in civitate et rure vitam degit. . . . . » 542

Capellaniae; discutitur an Episcopus iure dederit institutionem in beneficio, nondum expleto tempore, patronis ad praesentandum concesso. . . . . » 559

Funeris emolumentorum: disquiritur cuinam competant emolumenta funeris ex duobus Capitulis id sibi vindicantibus. . » 593

Iurium Parochialium; disputatur an porochus prohibere possit aliquas functiones in ecclesiis filialibus. . . . . » 605

www.libtool.com.cn

EX S. CONGR. DE PROP. FIDE

Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide super visitatione SS. Liminum. . . . . » 202

Instructio super dispensationibus matrimonialibus. . . . » 291

EX S. CONG. EPIS. ET REGUL.

Aperitionis Oris, Pensionis et Suspensionis; disceptatur an sustineri possit decretum Ordinarii suspensionem a divinis Parocho infligens; an in casu locum habeat arbitrium aperitionis oris et an pensio ab Archipresbytero praestanda sit. . . . . » 246

Exemptionis; qua sancitum est hospitii cuiuslibet exemptionem haud admitti, nisi vel ex iure vel ex privilegio vel saltem ex immemorabili consuetudine eius existentia ostendatur. . . . » 401

Declarationis rescripti; qua praecipue constituitur in subiecta materia sensus clausulae sub dependentia Ordinarii. . . . » 406

Legati pii; qua evincitur dispositiones testamenti ad piam causam factas, adiecta clausula irrevocabilitatis, donationis inter vivos naturam induere, nec posteriore testamento revocari. . . » 514

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

Decretum; quo aliquod peragentibus pium precum et virtutum exercitium in honorem Patriarchae S. Ioseph a die 16 vel 17 Februarii usque ad diem 19 Martii, eaedem conceduntur indulgentiae, quae concessae fuerunt perficientibus idem exercitium pro integro mense Martii. . . . . » 48

Decretum; quo septem indulgentiarum anni conceduntur christifidelibus qui pro semihora exeuntis et pro semihora exorientis anni Sanctissimae Trinitati gratias egerint etc. . . . » 92

Cameracen; dubia quaedam quoad confraternitates SSmi Rosarii. . . . . » 141

Abellinen; super inventionem corporum nonnullorum martyrum in Ecclesia Collegiata loci vulgo Atripalda nuncupati. . . » 282

Ianuen: dubia super translatione indulgentiarum. . . . . » 521

Parisien; in qua resolvitur dubium quoad indulgentiam concessam orantibus ante imaginem SSmi Cordis Iesu. . . . . » 560

Geneven; resolvuntur tria dubia super nonnullis operibus iniunctis, rite persolvendis ad indulgentias consequendas. . . . . » 563

EX S. CONGR. RITUUM

Dubia quoad expositionem SSmi Sacramenti. . . . . » 94
Dubium praefecti caeremoniarum Archibasilicae Lateranensis quoad lectiones de scriptura, occasione, qua festum S. Iosephi et Dominica III Quadragesimae in unam eademque diem simul inciderint. . . . . » 95
Ratisbonen; authenticae declarantur litterae diei 30 Maii 1873 eiusdem Congr. quibus Equiti Friderico Pustet commissa fuit nova editio Librorum cantus Gregoriani. . . . . » 157
Neapolitana; beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Iossa laici neapolitani. . . . . » 159
Veronen; beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei sororis Magdalenae Marchionissae de Canossa institutricis filiarum a Charitate. . . . . » 160
Baiocen. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Eudes Missionarii Apostolici et Institutoris Congregationis Iesu et Mariae, nec non ordinis Beatae Mariae Virginis de charitate Refugii. . . . . » 256
Ambianen. dubia quaedam quoad thurificationem altaris in quo asservatur SS. Sacramentum. » 298
Murana seu Compsana: beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Gerardi Maiella, laici professi e Congregatione SS. Redemptoris. . . . . » 300
Pictavien. beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Hubert Fournet, Sacerdotis fundatoris Congregationis Fidelium Crucis, vulgo Sororum S. Andreae. . . . . » 303
Augustana in Pedemonte, confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Vullermo Leaval Parocho Moriacii, beato nuncupato. . . . » 304
Concessionis Tituli Doctoris et extensionis eiusdem tituli ad universam ecclesiam, nec non officii et Missae sub ritu duplici de comm. Doctorum Pontificum in honorem S. Francisci Salesii, Episcopi et Principis Geneven. » 332
Decretum concessionis tituli Doctoris pro eodem S. Francisco Salesio. . . . . » 362
Additio ad elogium martyrologii romani quinto Kalendas Ianuarii facienda in festo S. Francisci Salesii Episcopi, Confessoris et Ecclesiae Doctoris. . . . » 366
Decretum; Taurinen. Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Iosephi Benedicti Cottolengo, Canonici collegiatae Ecclesiae SS Corporis Christi et Fundatoris Instituti Parvae Domus Divinae Providentiae. . . . . » 368
Breve; SSmus Pater titulum Doctoris in honorem S. Francisci Salesii confirmat, ita ut in universali Ecclesia Catholica semper ipse doctor habeatur. . » 411

www.libtool.com.cn

Buthenen beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Guillelmae Aemiliae de Rodat institutricis Congregationis Sororum a S. Familia nuncupatarum. » 480

Decisio respiciens Sacerdotem Tertiarium Ordinis S. Francisci quoad usum Kalendarii Franciscani. . . . . » 574

Nullius S. Martini ad Montem Ciminum; Abbas et Ordinarius quaerit an conservanda sit consuetudo, qua fit ut in feria V in Coena Domini Missa solemnis celebretur et communio distribuatur a Parocho dum Ordinarius privatim celebret primo mane. . . . . » 575

Decretum; Neapolitana seu Pinnen. Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Nuntii Sulpritii adolescentis e Dioecesi Pinnensi. . . . . » 576

APPENDICES

Appendix I. Loquimur in ea de conditionibus ad censum recte i n eundum, et Constitutionem « *Cum onus* » nec non appositas declarationes S. Pii V referimus. » 42

Appendix II. In quo duo eduntur Brevia Pauli Papae III ad Michaelem Angelum de Bonarotis; ad innuendum utrum, RR. Pontifices omnibus bonis artibus in fensi fuerint, ceu nonnulli calumniatores dictitant. . . » 197

Appendix III. quoad facultates, quibus pollet S. Congreg. Concilii, et quoad vim obligandi quam eiusdem Congregationis resolutiones habent. . . . . » 492

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.

www.libtool.com.cn

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Beneficium quoad unionem.
Canonicus quoad servitium Chori.
Canonicus Theologus quoad distributiones.
Census.
Clericus quoad domicilium.
Concursus ad Paroecias.
Consuetudo.
Decimae.
Distributiones.
Domicilium.
Donatio quoad causam piam.
Eleemosynae Missarum.
Episcopus quoad ius revocandi Dioecesanum.
Episcopus quoad iurisdictionem.
Excommunicatio quoad recursum ad laicam potestatem.
Exemptio quoad iurisdictionem parochialem.
Hypotheca quoad sacra patrimonia.
Indulgentiae.
Iurium Parochialium.
Ius ferendi suffragium.
Iuspatronatus.
Legatum pium.
Matrimonium quoad dispensationem.
Missa conventualis.
Paroecia quoad dismembrationem.
Paroecia quoad regularitatem.
Patrimonia Sacra.
Pensio ecclesiastica.
Regulares quoad beneficia saecularia.
Sepultura.
Sponsalia.
Testamentum.

Beneficium quoad unionem.

Reditus cuiuslibet Beneficii suppressi aliisque uniti, ratione Ecclesiae parochialis, in qua existebant, eiusdem ecclesiae utilitati, animarumque bono cedere omnino debent, *pag.* 410.

Media omnia sunt adhibenda ne Parochus vel rector Ecclesiae ex unione lucrifaciat, *ibid.*

Clausula in Pontificiis rescriptis adiecta *sub dependentia Ordinarii* eo modo est interpretanda, ut Ordinarius rerum omnium quae in rescripto comprehenduntur certior fiat, et veram realemque pervigilantiam exerceat, *ibid.*

Haec sed potestas non eo usque est extendenda ut quaevis praepediatur subiectis ordinaria administratio, *ibid.*

Canonicus quoad servitium Chori.

Canonici tenentur vi sui muneris non solum in choro psallere, sed etiam omnibus divini officii horis, quae septem sunt, interesse, *pag.* 434.

Abusus censetur consuetudo quaelibet, qua fieret ut Canonici tantum adessent in choro aliquibus divini officii horis cunctasque lucrarentur distributiones, *ibid.*

Nam scitum est Tridentinum *Sess. 24 cap. 12 de ref.* praestituisse, quod non obstantibus quibuscumque consuetudinibus, distributiones recipiantur tantum ab illis, qui statis horis interfuerint, reliqui eisdem distributionibus carere deberent, exclusa quavis collusione aut remissione, *ibid.*

Ministri a choro abscedentes ut altari adsistant pro Missa cantata atque Vesperis, habentur ceu moraliter praesentes; nec punctaturis subiici possunt uti absentes a choro, *pag.* 559.

Canonicus Theologus quoad distributiones.

Non est de iure tertii exceptio Capituli contra Canonicum Theologum allata, quia licet stricto iure dici possit Theologum ab Episcopo unice pendere quoad ministerium, ad Capitulum tamen pertinent sacristiae administratio et Ecclesiae Capitularis decus quae tueri valet et debet, *pag.* 225.

Nisi Episcopale decretum praeiverit, Theologo negligenti mulcta infligi non potest quoad praeteritum, *pag.* 226.

Episcopi decretum quoad distributiones a Theologo omittendas, licet latum fuerit in capitulari Concilio, et uniuscuiusque distributionis summam non constituerit in specie, satis explicitum tamen est cum mandaverit, amitti debere a Theologo distributiones singulis lectionibus respondentes in sacristiae utilitatem convertendas, et Canonico Theologo applicari posse, *ibid.*

Decreto eiusmodi praeexistente, mulctam ad eas quoque lectiones, quae ante litem coram S. Congregatione contestatam omissae fuerunt, protendi posse, *ibid.*

Cum agitur de obligationibus Canonici Theologi, iudicandi normae hauriendae unice sunt a Concilio Tridentino *Sess. 5 cap. 1 de Ref.* et a *Constit. Sa. Me.* Benedicti XIII quae incipit *Pastorali officio, pag.* 231.

Iuxta hanc constitutionem, deficiente Canonico Theologo, et aliis de clero saeculari, potest Ordinarius deputare provisorie Religiosum qui S. Scripturam explanet, *ibid.*

Pensio Religioso Scripturam legenti assignanda est pro tertia parte fructuum Theologalis Praebendae, *ibid.*

Inter causas excusationis a legendo, consuetudo legitima recensetur, deque hac iudicium remittitur arbitrio Episcopi; ast quaecumque sit consuetudo, cavendum est ne lectiones sint infra numerum quadragenarium in singulis annis, *ibid.*

Quae Theologo ex suppressis beneficiis adsignantur, non mercedis

et honorarii ratione muneris constituti speciem praeseferunt, sed veri augmenti praebendae Theologalis iam existentis, nisi aliter in concessione assignamenti expresse disponatur, *ibid.*

www.libtheol.cn

Census.

Ad censum ineundum iuxta sacros canones, variae concurrere debent conditiones; quibus fit ut census ab avaritia immunis reddatur, et licitus iustusque evadat, *pag.* 42.

Inter has conditiones apprime recensetur *numerata pecunia;* ut nempe pecunia numeretur coram testibus et notario in actu celebrationis instrumenti, ibid.

Quapropter ex pretio antea recepto, quamvis integro iustoque, nulliter constituitur census, quia ex piana constitutione anticipatae pretii solutiones haud fieri patiuntur, *ibid.*

Clericus quoad Domicilium.

Ut quis vere acquisivisse domicilium dici possit, animum pandere debet se perpetuo mansurum illo in loco in quo actualiter suum transtulerit domicilium, *pag.* 491.

Quapropter domicilium huiusmodi ab eo non acquiritur, qui licet ad alium locum se transtulerit cum tota familia atque suppellectili, ibique maiorem bonorum suorum partem habeat et per longissimum tempus inhabitet, animum tamen ibi perpetuo manendi non pandiderit, *ibid.*

Etiam clericus, absque sui Episcopi licentia potest proprium domicilium *valide* constituere in aliena Dioecesi, quamvis *illicite* id ageret praecipue si in prima Dioecesi ordinatus fuisset titulo beneficii residentiam quaerentis, aut alicui Ecclesiae aut loco pio adscriptus inserviret, *ibid.*

Ideoque potest Episcopus quemlibet ordinare clericum ratione domicilii, neque per se et formaliter prohibetur ex lege prohibente ordinare aliorum subditum: quia clericus quicumque ratione domicilii acquisiti in Dioecesi, fit subditus eius Episcopi, et ad ordines promoveri queit, *ibid.*

Concursus ad paroecias

Ex decreto C. Tridentini *Sess. 24 cap. 18 de ref.* eruitur edictum ad concursum haud esse praecise necessarium: habetur enim « ibi » *Et si Episcopo aut Synodo provinciali, pro regionis more videtur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari pag.* 134.

Haud ex iurisprudentia canonum determinatum fuit quanto tempore edictum manere debeat affixum: sed sufficere ut maneat per aliquod tempus tam ad Valvas Cathedralis, quam ad Ecclesiam beneficii conferendi, *ibid.*

Proindeque illa verba decreti

Concilii Compostellani *per viginti dies ad minimum praefigatur* designat terminum edicti, non autem tempus affixionis. *ibid.*

Ex praefato Tridentini decreto colligitur etiam quod Examinatores pro conferendi paroeciis haud esse possint pauciores quam tribus, non autem quod iisdem praecise tres esse debeant. *ibid.*

Episcopus et eius Vicarius voto decisivo carent dum agatur de constituenda concurrentium idoneitate; sed iidem possunt tantum accedere ubi vota sunt paria, vel singularia, *ibid.*

Vota dicuntur singularia cum quisque examinator unum approbet, ita ut singuli singulos approbent, 134.

Examinatores possunt tantum renunciare quot fuerint reperti idonei, non vero designare digniorem; cum ipsa S. Congr. Concilii in una *Abulen.* declaraverit *non spectare ad Examinatores, sed ad Episcopum eligere ex approbatis magis idoneum, ibid.*

Consuetudo.

Consuetudo neque dici neque allegari potest uti immemorabilis quoad ea, quae superveniunt de novo et in quibus initium datur; sed in istis ad summum allegari potest centenaria, *pag.* 508.

Defectus rationabilitatis, quae prima est et essentialis praerogativa consuetudinis efficit ut nequeat induci consuetudo quae abusibus locum praebeat vel iisdem propter quos abolita fuit vel aliis novis quibuscumque, *ibid.*

Constitutiones pontificiae, quae decreto irritanti muniuntur, nedum destruunt praeexistentes immemorabiles consuetudines, verum etiam omnem irritant contrarium actum: ita ut neque inchoari permittant consuetudinem, *ibid.*

Constitutionem *Dei miseratione* muniri decreto irritanti facile deprehenditur, praecipue ex ipsius Constitutionis verbis *sublata eis* (iudicibus nempe ordinariis et delegatis) *et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, ibid.*

Decimae.

Decimae personales, ubi adhuc in usu sunt, ex iure communi solvi debent illi parochiae, a qua, ex obligatione, sacramenta ecclesiastica caeteraque spiritualia administrantur. *pag.* 548.

Nam sicut Parochus propriâ personâ proprioque ministerio sacramenta et bona administrat spiritualia, sic convenit ut ille in cuius favore haec omnia fiunt, solvat eidem parocho decimas de illis rebus quae propriâ personâ proprioque ministerio acquisivit. *pag.* 549.

Eiusmodi decimae personales debentur proprio parocho, etsi parochianus, absque animo tamen transferendi domicilium, extra illam

paroeciam resideat quacumque de causa, ut puta sive animum recreandi vel aliqua negotia perficiendi gratiâ. *ibid.*

Quando lis est inter ecclesias quoad decimas parochiales, magni ponderis censenda est loci consuetudo; legitur enim in *Cap. 20 ad Apostolicae, de decimis:* « quoniam a diversis diversa consuetudo tenetur, tu eligas in hoc casu quod per consuetudinem diu obtentam ibidem noveris observatum. »

www.libtool.com.cn

Distributiones.

Distributiones ideo statutae fuerunt ut ad chori frequentiam capitulares allicerentur, *pag.* 81.

Cum ratio distributionis concedendae in frequentia ad chorale servitium consistat, eae debentur interessentibus ac praesentibus officiis divinis, *ibid.*

Ideo in iure receptum est distributiones clericis deberi non respectu tituli, sed ratione habita servitii personalis, nimirum ratione operis et laboris impensi in Ecclesia Christi, *ibid.*

Hinc ille etiam qui in una Ecclesia beneficium possidet, in alia vero Canonici honorarii titulo insignitur, quoties in prima chorali servitio adest, toties distributiones lucrifacit, *pag.* 82.

Nec distributiones tantum cum praesens est, sed et fructus proprii beneficii dum quandoque abest suos facit beneficiarius, dummodo in animarum bonum et Ecclesiae universalis servitium operam praestet, *ibid.*

Ille vero qui absens est tenetur ad providendum pro Missis turnatim celebrandis functionum certarum causa; attamen eiusmodi onus ad adventitia non fertur, *ibid.*

Omnis collusio et remissio quoad distributiones quotidianas, ex iure prohibentur, dum Conc. Trid. edisserit: *qui statis horis interfuerint recipiant* (distributiones) *reliqui vero quavis collusione aut remissione exclusa his careant, pag.* 140.

Collusio quoad distributiones chorales habetur, quando choro adscripti invicem conveniunt de non notandis absentiis; remissio vero quando pars una sponte ac sine ulla conventione distributiones quotidianas alteri parti remittit ac relinquit, *ibid.*

Neque cuilibet easdem distributiones recipere, neque suas facere si receperit fas est, *ibid.*

Haud improbatur consuetudo, qua celebrans et ministri initio *horae tertiae* a choro discedentes pro Missa Conventuali canenda, neque ad recitationem *sextae et nonae* redeuntes, tamen distributiones eisdem horis respondentes percipiant ceu si adfuerint, *pag.* 245.

Canonici examinibus adsistentes, aut Episcopum in Dioecesis visitatione comitantes haud facere suas possunt distributiones inter praesentes; dum his in adiunctis pluries a S. Congr. Concilii resolutum

fuerit, *quod evidens Ecclesiae utilitas* canonicos istos non excuset a choro, *ibid.*

www.libtodayan.cn

Domicilium.

Duo requiruntur ad evincendam domicilii mutationem, idest factum et animus, sive actualis e loco emigratio et animus non redeundi; ita ut si alteruter desit domicilium immutatum fuisse dici nequit, *p.* 549.

Nullum est definitum tempus, utut longissimum, ex peritorum sententia, ad proprium verumque dictum domicilium acquirendum, quatenus vero voluntas desit in eo dem loco perpetuo manendi, *ibid.*

Donatio quoad causam piam.

Dispositio ultimae voluntatis favore Ecclesiae, adiectâ clausula irrevocabilitatis, veram donationis inter vivos naturam induit, ideoque vere ac proprie irrevocabilis est, *pag.* 520.

Ad huiusmodi donationem perficiendam non requiritur donatarii acceptatio: quidquid enim causae piae donatur, ipsi Deo donatum intelligitur, *ibid.*

Itaque piae causae favor eo usque porrigitur, ut absente etiam donatario perfecta intelligatur donatio: cum pro certo tenendum sit, Deum, qui praesens ubique est, illico eam accepto habere, *ibi.*

Donationes inter vivos in priori testamento ad piam causam factae posteriore testamento non destruuntur, *ibid.*

Fortius cum dispositio praecedens bona complectitur disponentis non propria, sed ei tradita ut de his ad piam causam disponeret, *ibid.*

Eleemosynae Missarum.

Per sacros canones prohibetur, quoad eleemosynas missarum, quidquid ad avaritiam pertinet, quodque turpe sapiat quaestum; ceu sunt importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones, *pag.* 125.

Proinde ex iure canonico haud admittitur consuetudo ulla, qua fieret ut pro pluribus eleemosynis una tantum applicaretur Missa; nequit enim sacerdos ullo modo unâ tantum Missâ satisfacere pro pluribus, pro quibus promisit *specialiter et in solidum* celebrare, *ibid.*

Etenim quamvis sacrificium Missae sit virtutis infinitae, tamen Christus, qui est idem sacrificium, non operatur summam suae immensitatis plenitudinem, sed in eiusmodi mysteriis operatur certâ distributione suae plenitudinis, lege infallibili eisdem alligatâ, *pag.* 126.

Verumtamen licet Sacerdoti cuique plures accipere eleemosynas pro unica Missa, quoties id noverint offerentes: cum enim dolus et circumventio absit, omne pactum inter sacerdotem et offerentes haberi debet licitum atque iustum, *ibid.*

Illi enim, qui singuli integra of-

ferant stipendia, et contenti sint ut pro seipsis omnibus una applicetur Missa, perinde agunt ac si ex mera liberalitate pinguem elargirentur eleemosynam, *pag.* 126.

www.libtool.com.cn

Maxima insuper a S. Rota firmata fuit, quod in materia oblationum legitima attendenda sit locorum consuetudo, et mens seu voluntas offerentium, *ibid.*

Episcopus quoad iurisdictionem

Ex SS. Canonibus eruitur quod aliqua Ordinariis iurisdictio conceditur per illa verba in pluribus Concilii Tridentini decretis adhibita, *auctoritate apostolica, seu tamquam Sedis Apostolicae delegatus* et hanc iurisdictionem esse delegatam, *pag.* 272.

Itaque si reperiatur adiecta particula *etiam* ceu quum dictum fuerit *etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, vel etiam auctoritate nostra,* tunc censendum est duplicem habere Episcopum auctoritatem, ordinariam nempe et delegatam, idque erui ex natura dictionis *etiam,* quae unum casum exprimit et alium includit, *ibid.*

Possunt Episcopi iuxta veriorem sententiam utraque potestate procedere, delegatâ nempe et ordinariâ, vel alterutram eligere; neque declarare coguntur qua potestate procedere velint aliquo in adiuncto, *ibid.*

Episcopus quoad ius revocandi dioecesanum.

Cum iure optimo Dioeceses distinctae et unicuique proprii attributi fuerint pastores; ideo exurgit quod ullus Episcopus nequeat alterius Dioecesanum, ne iurisdictio alteretur, ad ordines sacros promovere, *pag.* 479.

Qua de causa Tridentinum *Sess. 23 cap. 8* statuit: *quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus ei permittitur, nisi eius probitas et mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat ordinans a collatione Ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur sit suspensus, ibid.*

Ex *cap. Cum nullus de tempore ordinat. l. 6 et ex Constit. Innoc. XII Speculatores,* colligitur quod Episcopus dicitur proprius alicuius clerici ratione *originis, beneficii,* vel *domicilii. ibid.*

Ex S. C. C. *Larinen.* 30 Augusti 1732 potest Episcopus proprius etiam sub poena, prohibere quominus ecclesiasticus, etsi in minoribus constitutus a sua Dioecesi, absque licentia, discedat, *ibid.*

Ex differentia inter clericum et laicum exurgit quod dum nequit clericus alicui ecclesiae adscriptus aut beneficium possidens, quod residentiam requirat, ad aliam Dioecesim transire absque Ordinarii licentia; liceat tamen laico etiam fi-

liofamilias, quocumque abire et domicilium constituere etiam in loco quo suum domicilium pater non habet, *ibid.*

www.libtool.com.cn

Excommunicatio quoad recursum ad laicam potestatem.

Excommunicationem S. Pontifici reservatam incurrit qui in causis ecclesiasticis ad laicam recurrit potestatem, quae excommunicatio intacta servata fuit in Constitutione *Apostolicae Sedis*, *pag.* 541.

Exemptio quoad iurisdictionem parochialem.

Parochus iurisdictionem habet, quam in iure fundatam appellant, super illis, qui inter propriae paroeciae limites domicilium habent, *pag.* 405.

Parochiale ius huiusmodi ad pias domus etiam extenditur, nec cessat nisi vel de sua natura exemptum sit institutum, vel ob speciale privilegium aut ob centenariam vel immemorabilem consuetudinem tale factum sit, *ibid.*

Cum agatur de parochialibus iuribus excludendis stricte interpretationi locum fit; neque sunt ad consequentiam trahenda quae a iure communi exorbitant, *pag.* 406.

Hypotheca quoad sacra Patrimonia.

Nisi deleatur obligatio princeps, deleri nequit hypotheca; quae est firma accessio contractus, et ius reale in securitatem creditorum bonis perpetuo inhaerens ad cuiuslibet manus ipsa hypothecata bona transierint, *pag.* 184.

Hypothecae renovatio praesefert bonum anterioritatis in creditorum concursu; ex legibus enim recentioribus ille est potior in iure, qui est prior in inscriptione, *ibid.*

Ideoque presbyteri, qui ex negligentia hypothecam non renovent, patiuntur tantum anterioritatis iacturam, non vero obligationis deletionem: ex quo fit quod eisdem presbyteris semper liceat inscriptionem renovare, firmo manente credito, et sacra patrimonia sarta tectaque manent, *ibid.*

Indulgentiae.

Ad consequendam indulgentiam, quam Pius VI illis concessit qui visitaverint et per aliquod temporis spatium oraverint ante imaginem SSmi Cordis Iesu, necesse est huiusmodi imaginem extrinsecus modo sensibili apparere, *pag.* 562.

Venit enim sub nomine imaginis SSmi Cordis Iesu figura sensibilis Cordis carnei, et in pectore imaginis Divini Salvatoris exterius expressa, ceu verba ipsa innuunt atque universalis usus, qui cum revelationibus B. Margaritae Alacoque apprime convenit, *ibid.*

Proindeque omnino reiicienda est illorum opinio, qui figuram SSmi. Cordis Iesu aptius repraesentari putant per imaginem in qua exhi-

beatur Christus lateris sui vulnus ostendens, manu ad pectus admotâ, absque tamen sensibili Cordis figura, *ibid.*

Quoties deerit in decretis aut brevibus indulgentiarum clausula, quae aliter rem limitet, tempus quo indulgentias quis lucrari potest, est integrum diei naturalis spatium, idest a media nocte ad mediam noctem, *pag.* 571.

Quamvis ex indulto S. Sedis liceat aliquando confessionem et communionem peragere pridie eius diei, cui affixa sit indulgentia, non licet tamen, absque ulteriore concessione, preces recitare, aliaque perficere opera iniuncta, neque indulgentia lucrifieri potest ante tempus pro indulgentia lucranda designatum, *ibid.*

Proinde si indultum pontificium determinet quod indulgentiam lucrari quis nequeat intra spatium diei naturalis, sed a primis vesperis usque ad occasum solis, infra hoc tempus preces recitandae, iniunctaque opera perficienda erunt, *ibid.*

Christifideles, servatis aliis conditionibus, possunt cunctas lucrari indulgentias adnexas variis titulis eidem operi pio, quod iterari nequeat aut non soleat, dummodo opus quod iterari non solet alioquin necessarium non fiat, *ibid.*

Hinc etsi una communio unumque ieiunium, quae eodem die iterari nequeunt, unaque confessio, quae iterari non solet, sufficiant ad plures lucrandas indulgentias, tamen confessio iterari debet ab eo qui, nondum praescriptis operibus adimpletis, in lethale inciderit. *pag.* 572.

Quocumque pio opere, etiam levissimo, plures lucrifieri possunt indulgentiae partiales et plenariae; nam sicut Deus aeternam condonat poenam per minimum contritionis actum, sic Summus Pontifex poenae temporalis reatum condonare potest per opus quodlibet a se praescriptum pro lucranda indulgentia, *ibid.*

Etenim frustraneae evaderent indulgentiae, quatenus ad earumdem valorem et consecutionem requireretur opus aequipollens eisdem indulgentiis; tunc enim opus praescriptum poenae temporalis remissionem mereretur, nihilque indulgentiae operarentur, *ibid.*

Iurium Parochialium.

Parochiali Ecclesiae debetur semper quarta canonica seu funeraria ratione administrationis Sacramentorum, ubicumque defuncti cadaver sepeliatur, sive in electa, sive in maiorum suorum sepultura, *p.* 604.

Praeter iuris dispositionem, in eiusmodi enodandis quaestionibus quoad emolumenta funebria, magnum habent pondus tum loci Constitutiones Synodales, tum consuetudines in eodem loco iamdiu inductas, *ibid.*

Ex fundata intentione, quam in iure habent Parochi, quoad exercitium iurium parochialium DD. autumant id erui posse, quod Parochus in tota Paroecia debeat esse solus in hoc exercitio; neque alius Sacerdos unquam se immiscere possit, neque eundem Parochum his in iuribus exturbare. *pag.* 613.

Huiusmodi ius non extenditur ad alias functiones, quae parochiales non sunt, sed sacerdotales; proinde nequiret Parochus, nisi id sibi competeret ex aliquo privilegio vel pacto in fundatione posito, prohibere functiones Sacerdotales Rectori alterius ecclesiae, intra fines paroeciae positae, a paroecia tamen non dependentis. *ibid.*

Ius ferendi suffragium.

Extat iuris principium, quo innuitur in re prohibitiva illud esse permittendum quod expresse a lege non vetatur, *pag.* 278.

Canonici ex iure ita pollent facultate ferendi suffragia ut, ex *cap. Cum in iure de elect.* etiam liceat Canonico, qui se videat ab aliis nominari et praesentari, consentire tali electioni suffragium in sui favorem ferendo, *ibid.*

Idque tamen peragendo haud censendum est quod ambitioni indulgeat; nam ille haud vocat aut nominat seipsum; sed prospiciens sese ab aliis proponi et eligi in publico scrutinio, licet eidem aliorum votis adiicere et proprium suffragium, citra ambitionis vitium, *ibid.*

Verum eiusmodi facultatem generaliter ferendi suffragia aliquando in aliquo canonico circumscribi potest ob aliquam suspicionem a iure non improbatam, ut puta si ageretur de aliquo eiusdem Canonici negotio, ne praeiudicium tertio inferatur, atque ne ille iudex fiat in causa propria, *ibid.*

Quapropter haud permittitur cuilibet canonico ferre suffragium quando agitur de electione suipsius ad officium examinatoris vel iudicis synodalis per vota secreta; quia cum scire nequeat an alii capitulares in eum concurrant, id non esset consentire aliorum electioni, sed seipsum ambitiose eligere, *pag.* 279.

Ideo S. Congr. Concilii videtur noluisse canonicos exuere iure ferendi suffragia, quando fit electio aliorum capitularium ad officium iudicis vel examinatoris, quia agitur de munere gratuito, minime vero de beneficio conferendo; in quo verendum esset praeiudicium *tertii* per votum electoris inferendum, *ibid.*

Iuspatronatus.

Indoles iurispatronatus ita ex canonum sanctione firmata fuit ut tamquam ius individuum habeatur et plures fundatoris vel patroni haeredes loco unius habeantur *pag.* 119.

Indubium est ideo quod iuspatronatus per se consideratum censetur individuum; fieri tamen potest ut in exercitio partes recipiat aequales aut inaequales ex voluntate

fundatorum, aut ex arbitrio possidentium, *ibid.*

Ut computatio suffragiorum recte conficiatur, ob oculos habenda est duplex ratio, quando sive iure sanguinis, sive iure haereditario, sive quolibet alio legitimo titulo, ius nominandi reperitur in diversis familiis per multiplices successiones a variis stipitibus, *ibid.*

Primo enim suffragia in *stirpes*, secundo in *capita* sunt numeranda, ita tamen ut pro quolibet *stipite* vox una tantum tribuatur; et una vox sit omnibus descendentibus ab uno eodemque stipite, cum *ex leg. 45 et 120 ff. de reg. iur. nemo plus commodi haeredi* suo relinquit, quam ipse habet, *ibid.*

Irrita a sacris canonibus habetur nova illa electio, quae facta fuerit, quum aliquibus litigantibus de electionibus inter se celebratis, unum ipsorum mori contigerit, lite pendente super electione superstitis, *pag.* 120.

Ex iure enim ceu attentatum, ideoque nullum censetur quidquid quis innovet lite pendente; vel quum iam per appellationem posita fuit inhibitio executionis sententiae, *ibid.*

Si Ordinarius irrationabiliter deneget praesentato institutionem et res deferatur iudicanda Superiori, contra patronos, tempus non currit, atque post latam sententiam novum integrum terminum est concedendum, *pag.* 542.

Patroni laici intra quadrimestre nominationem cumulare possunt, seu secundum et tertium aut etiam plures praesentare possunt, atque liberum est Ordinario quemlibet ex praesentatis instituere, *ibid.*

Elapso quadrimestri licet ius conferendi beneficium Ordinario sit devolutum, tamen annuente Ordinario patroni devenire possunt ad novam nominationem et praesentationem, *ibid.*

Ipso iure nulla est institutio seu beneficii collatio ab Episcopo facta, spreto patrono, qui infra tempus ad praesentandum concessum reclamet atque contradicat, *pag. 559.*

Principium in iure extat firmatum, quo statuitur, *indultum a iure beneficium non est alicui auferendum Reg. Iur. 71. in 6, ibid.*

Tempus ad praesentandum a iure patronis concessum nullimode abbreviari aut restringi potest per Ordinarios; quia ludex beneficium a iure indultum tollere nequit, *ibid.*

Legatum Pium.

Legatum sub conditione relictum perinde habetur ac pure, id-est sine ulla conditione relictum fuerit, statim ac conditio apposita, expleta vel purificata sit, *pag.* 462.

In conditionibus alicui legato appositis attendi debet nudum factum, omnem posthabendo voluntatis interpretationem, praecipue cum in legati verbis nulla appareat ambiguitas, *ibid.*

Subtilizare ubi res clara sit nihil aliud est quam perniciose er-

rare; vel ut Aristotelis ait: « *verba quando sunt clara, tunc ea declarare, nihil aliud est quam nugas agere, ibid.*

In iure alimentorum materia pia atque favorabilis habetur, quia ad piam causam iudicatur quidquid relinquitur pro sublevando animato corpore, *ibid.*

Ex l. ultim. C. de novat. dici non potest renovatas fuisse antiquas obligationes, nisi simul contrahentes actum seu contractum iniverint cum primo dissonum ac prorsus incompatibile, *ibid.*

Matrimonium quoad dispensationem.

Ad dispensationem obtinendam super matrimonio rato et non consummato duo requiruntur per sacros canones extrema: idest iuridica probatio de non peracta consummatione, et causae legitimae, quibus fretus R. Pontifex dispensationem indulgere solet, *pag.* 399.

Horum iudiciorum, quoad controversam dispensationem fundamentum et basis universa est ut primo ac manifesto constet de matrimonio non consummato: aliter in quocumque dubio tamquam de re interdicta, et supra humanam potestatem posita, Canones non loquuntur, *pag.* 400.

Ut moralis certitudo ad hoc sufficiens in iudicibus insit, qui de existentia aut non existentia huius consummationis sententiam proferre debeant, constare necessum est interfuisse aut non interfuisse copulam carnalem cum claustri virginalis violatione, una cum seminis effusione intra vas ut coniuges fiant una caro, *ibid.*

Ex Doctorum sententia eruitur quod si constet de inconsummatione et de legitimis causis, non distinguitur utrum ambo vel alter ex coniugibus dispensationem petant: nequit enim repugnantia alterius impedire quominus R. Pontifex alteri consulat habenti iustam causam ad dispensationem petendam, *ibid.*

Aliquando ex S. C. Concilii etiam remissa fuit corporalis inspectio, a Constitutione Benedictina. « *Dei miseratione* » volita, in casu quo alter ex coniugibus dissentiens fuisset; dummodo ex aliis gravissimis adminiculis moralis certitudo emerserit, quod copula carnalis impossibilis visa fuerit, *ibid.*

Certum est solam impotentiam perpetuam et antecedentem, sive naturalis sit sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva, sive ante matrimonium contrahentibus nota fuerit, sive ignota, matrimonium dirimere utroque iure tum naturali, cum ecclesiastico, quatenus tamen certo probata fuerit, *pag.* 449.

Potentia enim perfectae copulae habendae pertinet ad essentiam matrimonii; quia per matrimonium datur utrique coniugi potestas in corpore alterius respectu ad carnalem copulam; quamvis actus carnalis copulae non sit de essentia matrimonii, *pag.* 450.

www.libtool.com.cn

Matrimonii inconsummatio probatur ex iure canonico per inratam coniugum atque *septimae manus* depositionem; ex quo exurgere possit in animis iudicum moralis certitudo, quae sufficit ad prudenter recteque iudicandum, *pag.* 450.

Inter causas quibus dispensatio concedi solet super matrimonio rato et non consummato adest et impotentia viri: ne uxor invito cogatur ad coelibatum perpetuo servandum, quod esset contra ius, *ibid.*

Viri impotentia, si eadem adstruatur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non exigit, ex DD. sententia, certam et concludentem probationem; sed sufficit eandem esse probabilem, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit, et ad gratiam moveri, *ibid.*

Ex communi Canonistarum et Theologorum sententia accensetur inter causas pro dispensatione matrimonii rati timor et periculum futuri scandali et fornicationis, *ibid.*

Semper firmum, immotumque servatur principium, quod ad dispensandum matrimonium duo concurrere debent; scilicet matrimonium consummatum non fuisse, et adesse legitimas dispensationis causas, quibus rite probatis S. Pontifex dispensationem indulget, *pag.* 473.

In conficiendis processibus matrimonialibus rigide servanda sunt ea omnia quae praescripta habentur a sacris canonibus, praesertim vero a *Constit. s. m. Bened. XIV, Dei miseratione* ac ab institutione S. C. Concilii diei 20 Augusti 1840; secus, si nempe aliqua solemnitas negligatur, processualia acta nullitatis accusari possunt, *ibid.*

Aliquando tamen Apostolica Sedes super huiusmodi solemnitatibus dispensat, dummodo tamen gravissimae adsint causae; atque defectus in processu occurrentes eiusmodi non sint, ut veritatem aliquo modo possint impedire, *ibid.*

Hinc concluditur quod Sedes Apostolica, gravissimis occurrentibus causis, ac praesertim si aliter fieri non possit, dispensat ab iis solemnitatibus processus matrimonialis, quae rei substantiam minime afficiunt, ac dummodo alio pacto de rei veritate indubitanter constare possit, *ibid.*

Praeter omnem dubitationem positum est Constitutionem *Dei miseratione* latam fuisse ad radicitus evellendos abusus *subnascentes ex infernalis hostis astutia* et hominum malitia; quibus et animarum saluti pernicies et sacramentis ecclesiae iniuria infertur, *pag.* 508.

Missa Conventualis.

Missa conventualis ex generali rubrica Missalis Romani est canenda post recitationem *horae Tertiae;* neque generaliter admittitur ulla causa aut consuetudo, qua fieret ut Missa haec post *Nonam* caneretur, *pag.* 245.

Sacra Rituum Congregatio pluribus resolutionibus confirmavit quod Missa conventualis celebrari

debeat immediate post *Tertiam* iuxta rubricas Missalis Romani; neque oblivisci debet decreta Congregationis huius vim legis habere, quae invectas consuetudines deleant, et obligent in conscientiam, *ibib.*

Paroecia quoad dismembrationem.

Antiquâ iurisprudentiâ retentum est quod Paroeciae dismembratio haberetur ceu remedium extremum, quo necessitati fidelium prospici posset, cum id fieri nequiverit neque per coadiutores, neque per Parochi vicarium, *p.* 271.

A quo iuris rigore S. Concilii Congregationem temperamentum paullatim accepisse colligi potest ex variis eius nuperrimis resolutionibus; ex quibus elucet quod evidens Ecclesiae necessitas mitius iudicata fuerit, ita ut non confunderetur cum absoluta necessitate, idque magis consonum esse Tridentino, *pag.* 272.

Hinc recentiori praxi factum est ut facilius dismembratio alicuius ecclesiae concedatur, quoties satis pateat utilitas in bonum fidelium et reditus sufficientes adsint, quibus novo Parocho, et novae Ecclesiae prospici possit, *ibid.*

Proindeque non adeo facile a S. Sede improbatur dismembratio, quoties ab Ordinariis peracta fuerit, ob aliquem causarum vel solemnitatum defectum, *ibid.*

Paroecia quoad regularitatem.

Censetur et est regularis illa ecclesia, quae per Regulares fundata aut constructa fuerit; nam eo in casu eadem habetur ceu Membrum Monasterii seu Conventus; ita ut Superior Regularis dicatur eius Praelatus vel Rector, *pag.* 330.

Haud vero regularis dici potest Ecclesia saecularis, quae proprium habeat rectorem, quatenus precario Regularibus concessa fuerit eo consilio ut in eadem divina perageret officia; cum insimul stare queant ecclesiam esse saecularem et nihilominus officiari a Regularibus, *ibid.*

Pariter Ecclesiae concessio puta Regularibus facta, haud secumfert necessario ipsius immutationem de statu saeculari ad regularem, cum agi queat de simplici usu Ecclesiae eidem Religiosis concesso ut inibi divinum exerceant cultum, *ibid.*

Per Romanorum Pontificum Bullas haud conceduntur privilegia vel exemptiones, si ad hoc *principaliter* datae non fuerint; sed in eisdem Bullis tum privilegia, tum exemptiones nominentur modo enunciativo vel praesuppositivo; cum de verbis enunciativis aut praesuppositivis traditum sit quod novam dispositionem non importent, *pag.* 331.

Patrimonia Sacra.

Sacra patrimonia sunt suapte naturâ perpetua; hinc ope iuris solummodo deleri nequeunt, sive per assecutionem beneficii, sive per bona postea quaesita, sive quia eadem

SS. patrimonia divendita fuerint a presbyteris, dum ipso iure venditio eiusmodi nulla sit, *pag.* 184.

Hinc ad extinguenda SS. patrimonia requiritur omnino Ordinariorum licentia dum Conc. Trid. *Sess. 11 cap. 2* clare edixerit: « *atque illa* (SS. patrimonia) *deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extingui vel remitti nullatenus possint, pag.* 185.

Quapropter etiamsi graviter peccent presbyteri, qui post ordinationem retrodonant sacrum patrimonium, renunciant, vel alienant, et castigari per Episcopum possint, nullam tamen incurrunt suspensionem, *ibid.*

Et ideo quamquam ss. patrimonia ex facto sacerdotum haud amplius existerent, haud censendum est presbyteros istos irregularitatem incurrisse, quia ex iure ille qui ordinatur *sine titulo incurrit suspensionem latae sententiae, quam violans efficitur irregularis;* non vero ille, qui post ordinationem, quocumque modo sacri patrimonii expers fiat, *ibid.*

Ad incurrendam irregularitatem requiritur quod haec in iure expresse contineatur pro una specie determinata; nec sufficit, hanc latam fuisse pro casu simili vel minori; numquam enim poena pro uno crimine lata incurritur pro altero, quod simile aut aequale aut etiam maius videatur, *pag.* 185.

Pensio Ecclesiastica.

Possunt Episcopi pacta vel conventiones inire de solvenda pensione in actu collationis beneficii vel antea; dummodo pensio istaec u finem laudabilem vergat, *p.* 255.

Eiusmodi enim pacta et conventiones labe simoniaca eatenus inficerentur, quatenus libertate carerent, aut Episcopi tantum utilitatem suam respicerent, vel inter ipsas partes stipularentur nulla interveniente iusta causa, *ibid.*

Parochi excusantur a solvenda pensione, quatenus huius pensionis causâ, congrua parochialis eidem integra non remaneret; quae in centum ducata a Tridentino *Sess. 24 de ref. cap. 13* constituitur, et quae iure communi inspecto talis esse debet, ut rectori reditus ad sustentationem sufficientes suppeditet, *ibid.*

Secunda pensio invalide imponitur quoties mentio haud facta fuerit de alia vel aliis pensionibus alicui beneficio antea impositis; praesumitur enim verosimilem defuisse Papae intentionem, atque noluisse duplici onere Ecclesiam gravare, *ibid.*

Regulares quoad Beneficia saecularia.

Regulares ob praesentium temporum vicissitudines extra claustra degentes, non aequiparantur sacerdotibus saecularibus in beneficiorum assecutione, sed ea, de licentia superiorum, ac de Ordinarii consensu, possunt tantum retinere ad nutum eiusdem Ordinarii. *pag.* 541.

Ad validitatem nominationis dictorum Regularium in beneficiis in-

rispatronatus, requiritur ut apponatur conditio dispensationis ab inhabilitate habendi beneficia. *ibid.*

Hinc patet ex institutione S. Poenitentiariae quoad hoc, incapacitatem in regularibus ablatam minime fuisse, sed solummodo concessa fuisse Ordinariis facultatem eosdem ad nutum deputandi in administratione beneficiorum, *ibid.*

Sepultura.

Electio sepulturae libera est omnibus adultis, dummodo a iure non prohibeantur, quia electio est actus propriae voluntatis, *pag.* 604.

Non eligens aut non habens maiorum suorum sepulturam sepeliendus est in propria Parochia, ubi sacramenta recipit, *ibid.*

Uxor vidua, quatenus absque electione sepulturae decedat, etsi maiorum sepulchrum habeat, sepelienda est in sepulchro mariti: ut quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulchrum, quia una caro sunt, et quod Deus coniunxit homo non separet, *ibid.*

Sponsalia.

Nulla atque irrita efficiuntur secunda sponsalia etiam iuramento confirmata, si alia quae praecesserint adhuc in suo robore manent, *pag.* 195.

Ex DD. sententia nulla pariter fiunt secunda sponsalia, etiamsi eisdem accesserit carnalis copula, et pars illa cum qua contracta fuere ignara fuerit priorum sponsalium; vel quoque si sponsus noverit sponsam fuisse a priori sponso defloratam cum promissione matrimonii, dummodo iste prior in coniugii proposito permaneat, *pag.* 196.

Quod eiusmodi sententia haud sit basi destituta ex eo colligitur quod per sponsae culpam sponsi ius laedi non debeat; nam lata fraudibus sterneretur via, quatenus copulâ carnali, quae facile admitti posset, priora sponsalia, rite inita, infirmari possent, fidesque prior eludi, *ibid.*

Rite praesumendum est sola spe futuri matrimonii honestam puellam suae virginitatis iacturam facere istoque facto, quod verbis est potentius, suam praestare repromissionem in matrimonio, *ibid.*

Inter causas, quibus sponsalia dissolvi licet, apprime cooptatur sponsae defloratio ab alio peracta; tum quia notabilis in muliere supervenit mutatio, tum quia nefas sit ducere corruptam, *pag.* 196.

Proindeque vigore sponsalium haud obstringitur matrimonium contrahere, qui sponsalia iniit cum puella, quae se virginem esse finxit, cuiusque ignoravit impudicitiam: quia in iure magno in pretio habetur exceptio defloratonis ab alio perpetratae, et quia ex regula iuris *quod latenter* et per vim vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere, *ibid.*

Verumtamen censetur suo iuri

cessisse, qui scienter et voluntarie sponsalia cum deflorata iniit: eoquod cum ea sic contrahendo mores eius approbare videatur, *ibid.*

Praesumi debet quod puellae, quae iacturam suae virginitatis faciunt (quod factum verbis potentius agnoscitur) praestiterint suam repromissionem, et quod id gesserint sola spe futuri matrimonii, *pag.* 318.

Proinde sponsalium contractus censetur perfectus, ita ut vir ab eo resilire nequeat, sed polliciti matrimonii fidem servare teneatur, quoties ex parte istius promissio ineundi coniugii praecesserit et ex parte honestae mulieris postea corpus traditum fuerit, *ibid.*

Inter causas, quibus aliquando a S. Sede dispensatio indulgetur, cooptatur animorum dissociatio ante litis initium exhorta, et per litem aucta, parentum ostinata oppositio, et matrimonii praeparatio cum alia muliere, ad quam serio vir animum adiecerit suum, *pag.* 319.

Testamentum.

Ex iure semper innuitur, *quod ultima voluntas defuncti modis omnibus conservari debet:* et *disponat unusquisque super suis, ut dignum, et sit lex eius voluntas*, *pag.* 89.

Attamen eruitur *ex leg. 99. ff. de verb. obl. Quidquid adstringendae obligationis causa dictum est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum esse intelligendum est*, *ibid.*

Ideoque quoties alicuius testamentariae dispositionis obiectum ex verbis testatoris haud liquide pateat, aptari posse videtur illud iuris principium: quod (testator) *voluit expressit, quod noluit non expressit, ibid.*

Ex iure communi pariter scatet quod natura cuiuslibet actus, qui fit sub conditione resolutiva, talis sit ut idem actus illico evanescat, existente conditione, et res in pristinum statum revertantur, *ibid.*

Nam sicut conditio suspensiva existens retroponit, quasi ab initio contractum esset, ita conditio resolutiva retro tollit, quasi ab initio nihil actum esset, *pag.* 90.

www.libtool.com.cn

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. A. *Magister.*

—

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Patriarcha Constant. *Vicesgerens.*

nitentem quandoque complicem suum sanctiore spiritu renovatum, se vero adhuc in sordibus volutari.

Nec quisquam me laxioris sententiae arguat: iis enim in angustiis atque necessitate quibus infelix poenitens versatur, ius ad Sacramentum reconciliationis habere diffitebitur nemo, Confessarium vero etsi peccatis indulgeat, etiam Sacramentorum administratione velle abuti, rem dubiam esse, idque poenitenti non innotescere; hunc insuper aut tali Confessario aut nemini toto fortasse vitae suae decursu posse peccata exponere in propatulo esse: quid ergo infelix poenitens erit acturus? Respondeant rigidioris sententiae patroni.

Regerere enim et usque ad nauseam repetere, Benedictum XIV tantummodo mortis articulum excepisse, legem esse clarissimam, manifestissimamque, legem non dare exceptioni locum, ideoque Ballerinii sententiam diris esse devovendam, est semper id unum respondere: poenitenti in casu articulum mortis esse expectandum, quo possit confiteri; haec vero neque Ecclesiae, neque Benedicti XIV, neque Pii Papae IX mens unquam fuit, aut esse potuit. Credite fratres.

Quaecumque autem sit lex contra absolventes complices lata, illud semper certum erit, sub lege non omnes casus comprehendi; legem dare exceptioni locum; legem subiacere necessitati, non e contra; mentem legislatoris ea semper clausula esse intelligendam, nisi aliud ratio et circumstantiae suadeant; de voluntate legislatoris in quibusdam casibus non costare, sive casus dari, quos si legislator praevidisset a lege excepisset etc. Casum vero Ballerinianum iis omnibus defendi nemo non videt. Concludendum igitur: *Legibus omissum quod est, non omittatur religione iudicantium.* L. Quamvis ff. de in ius voc.

Quod si ultra hac in controversia progredi velimus, eamque ex ipsa theologorum agendi ratione in aliis quaestionibus enucleare; Tridentini nonne lege cautum est, non habentes potestatem in casus reservatos, eos non posse absolvere nisi in mortis articulo, prorsus ut cautum est in Benedictinis Constitutionibus? « Veruntamen pie ad-
» modum, ne hac ipsa occasione
» aliquis pereat, in eadem Ecclesia
» Dei custoditum semper fuit, ut
» nulla sit reservatio in articulo
» mortis; atque ideo omnes sa-
» cerdotes quoslibet poenitentes
» a quibusvis peccatis et censuris
» absolvere possunt; extra *quem*
» *articulum* sacerdotes cum *nihil*
» *possint* in casibus reservatis, id
» unum poenitentibus persuadere
» nitantur, ut ad superiores et
» legitimos iudices pro beneficio
» absolutionis accedant ». Sess. XIV, cap. 7 de Poenitentia..

Et tamen quanta et quot casus non excipiunt theologi? Illum enim mortis articulum interpretantur et de militibus qui ad bellum profi-

ciscantur, et de iis qui longam navigationem suscipiant, et de iis qui gravi vel periculoso morbo correpti sint, et de mulieribus quae in difficili partu versentur, et de iis de quibus timetur ne in amentiam prolabantur, atque etiam de iis qui captivi apud infideles detineantur sine probabili spe aut libertatem recuperandi, aut ibi inveniendi Sacerdotem a quo possint absolvi.

www.libtool.com.cn

Certum est autem, horum neminem in articulo mortis reperiri; et tamen a reservatis et censuris posset per simplicem sacerdotem absolvi: Quod si comparationem instituere velimus inter eos qui, nunc praesertim temporis, longae navigationi se committunt, vel apud infideles in captivitate nunc pariter temporis degunt, et inter mulierculam illam infelicissimam, de qua Ballerinius loquitur, quaero an non in aequali, ne dicam potiori difficultate haec alium inveniendi sacerdotem prae illis versetur? Si ergo illos absolvere licet, quare complici hanc absolvere non licebit?

Hisce tamen non obstantibus, Confessarius modis omnibus tenetur sibi consulere, et facultates opportunas saltem, ad cautelam, sibi comparare; etiamsi enim in casu quo versatur, absolutionem complici impertiri possit, tamen id potest ex circumstantia particulari quae exceptionem constituit; lex autem in quantum possibile est, observari debet; hinc ipse quam cito aut ad Episcopum loci, aut ad Romanum Pontificem se convertat, quo deinceps iuxta legem absolutionem complici conferre in Domino valeat.

Sed et illud addo, Gousseti effatum neque ad rem allegari. Imprimis enim vir clarissimus et ipse excludit necessitatis casum, *secluso necessitatis casu;* deinde *periculum novi lapsus, aut saltem gravis tentationis* timet non in una vel altera Confessione, sed *in directione talis poenitentis;* directio autem supponit continuationem confessionum; tertio affirmat, avertendos esse fideles ab illo confessario, *a quo semel sollicitati fuere;* numquid in actu Sacramentalis confessionis? In casu vero nostro non agitur de confessario sollicitante, sed de complicem absolvente; quod non supponit necessario lapsum ob sollicitationem in actu vel occasione Confessionis; demum Goussetus loqui videtur de iis locis ubi adest confessariorum copia; a quibus enim, secus, averterentur fideles ne illum adeant confessarium?

Verum de hac quaestione satis; sunt enim aliae quaedam circa complicum absolutiones enucleandae, de quibus tamen breviter.

Et 1. Quid dicendum de absolutione illius Confessarii, qui complicem quidem agnoscit, ab eo autem non agnoscitur?

Eiusmodi absolutionem invalidam esse, et Confessarium, si eam impertierit, maiorem quoque excommunicationem incurrere, apertissima

Benedicti XIV verba suadent; affirmat enim, nonnisi in casu *extremae necessitatis* confessariorum eiusmodi absolutionem validam esse; hic vero nullam apparere absolvendi necessitatem ; addit insuper, se illi auferre quamcumque auctoritatem et iurisdictionem *adqualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam ;* quod correlativum *qualemcumque* etsi fortasse indigitet personam cuiuscumque gradus, nobilitatis etc. indigitare etiam potest personam in quocumque statu subiectivo versetur; demum ex Benedicti constitutionibus certum est, Confessarium complicem carere facultate absolvendi sui complicis peccatum; hic autem est vere et proprie complex peccati.

2. Quid de absolutione Confessarii qui peccatum cum complice ante ordinationem commisit ; illud vero hic nunc primum confitetur ?

Et hanc absolutionem invalidam esse, et Confessarium excommunicationem incurrere respondendum est. Benedictus enim dum affirmavit se Confessariis complicibus quamlibet in peccatum turpe complicis jurisdictionem et potestatem auferre, Confessariorum nomine non intellexit eos qui confessarii essent dum peccato se commaculaverunt; ex quo deduci posset, quod cum ex. gr. Titius dum peccatum commisit nedum non esset Confessarius, sed nec sacerdos, prohibitione Benedicti non obstringitur, sed eos qui Confessarii sunt dum peccatum absolvunt.

3. Quid de Confessario absolvente peccatum turpe complicis iam ab alio rite absolutum, quodque tamen vel cum aliis peccatis , vel solum, iterum clavium potestati subiicit ?

Circa eiusmodi absolutionis valorem theologos discrepare reperio, neque in rationibus adducendis concordes.

Scavinius ex. gr. absolutionem valere putat, quod *cesset omnino in hoc casu indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur iurisdictionem Confessario abstulisse.* Tract. X. Disp. 1. Cap. II. Art. III. Q. 3. quae ratio valet tam pro poenitente qui iterum Confessario complici peccatum turpe complicitatis cum aliis peccatis, quam pro illo qui solum complicitatis peccatum confitetur.

Alii e contra putant, in eiusmodi peccatum licet aliunde absolutum , numquam ferri posse absolutionem Confessarii complicis, sive cum aliis peccatis, sive solum iterum poenitentiae clavibus subiiciatur.

Atque si solum illud iterum complex confiteatur, absolutionem inde habitam nullam omnino esse aperte contendit cl. Ballerinius scribens, loc. cit. pag. 539 Nota a) *rem eo redire ac si quis solum peccatum reservatum confiteatur non habenti facultatem in reservata , de quo dictum est absolvi non posse, quia sic nulla adest Sacramenti apta materia.*

Si vero alia quoque peccata con-

fiteatur, perinde erit, ac si quis reservata simul et non reservata afferat, quando scilicet materia partim apta proponitur, partim inepta; tunc autem utique poenitens absolvi potest.... verum absolutio tum ex rei natura, tum ex mente absolventis in solam materiam aptam cadit.... In casu praesenti.... nihil opus est ut peccatum illud iam remissum clavibus iterum subiiciatur; ac propterea accusatio eius ceu quid mere Confessioni impertinens accidit.

Ex qua Cl. Ballerinii ratiocinatione illud concludendum esse videtur, absolutionem numquam cadere in peccatum complicitatis licet alias rite absolutum, atque complicem ea tantum ratione absolvi a Confessario posse, quod cum peccatum complicitatis sit quid mere Confessioni impertinens, in illud veluti in materiam Sacramenti non aptam absolutio non cadat.

Balleriniana igitur sententia, si rite perpendatur, recidit in sententiam eorum, qui decertant, peccatum complicitatis a Confessario complice numquam directe absolvi posse.

Ut veritatem dicam, anceps haesi cui sententiae adhaererem; at perpensis, pro ingenii mei mediocritate, utriusque partis rationibus, iisque cum lege collatis, vera mihi illorum sententia visa est, qui propugnant, Confessarium numquam posse directe absolvere complicitatis peccatum.

Revera Benedictus XIV Confessariis in peccatum complicis omnem potestatem abstulit: *sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam.* Lex vero est generalis, nil distinguens, limitans nihil; atque de cetero peccatum complicis, dum illud clavibus subiicitur est semper peccatum complicis, sive illud ab alio fuerit rite absolutum, sive non. 2. Ideo Benedictus prohibuit quominus peccatum turpe a Sacerdote complice absolveretur, ne mala, scandala, pericula iterum in peccata relabendi, et irreverentiae Sacramento poenitentiae irrogarentur. At nonne haec contingere possunt et renovari sive peccatum fuerit ab alio absolutum sive non? Ipsa peccati confessio, non aliud quidquam, pericula renovat. Neque in huiusmodi poenitente qui sine ulla necessitate peccata sua iterum Confessario complici, quem fugere debet, et quem scit esse fugiendum, (Poenitentes enim postquam Confessariorum suorum malitiam et improbitatem experti sunt, nullam in posterum existimationem habent) exponit, et sine ulla prorsus necessitate etiam complicitatis peccatum, dispositiones necessarias ad rite Sacramentum percipiendum (praesertim si mulier sit) tam facile admitterem; non enim in casu locum habet ratio pudoris et verecundiae, cum peccatum ab alio iam absolutum supponatur; et potius putarem malitia quadam ad illud iterum

Confessario complici (nisi tamen id fiat post plurimum temporis intervallum, in confessione quadam generali, post perspectam Confessarii ad Deum conversionem) confitendum induci, quam ratione virtutis et poenitentiae.

Non satis igitur Sacramenti honori et animarum periculis Benedictus XIV consuluisset, si Confessario permisisset audire et absolvere peccatum complicis licet aliunde rite absolutum.

Neque de cetero rationes pro contraria sententia decertantium solidiores videntur: Scavinius dicit, ideo validam censeri deberi absolutionem in casu, quod cesset omnino indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur iurisdictionem Confessario abstulisse.

Sed pace tanti viri; cuiusnam indispositionis suspicio cessat? Poenitentis? et quonam id probat argumento? Quod ne alii Confessario peccatum illud exposuerit? Sed quid, si id fecerit, quod sciret a Confessario complice illud absolvi non posse, et non alia de causa sanctiori? Quid, si ab ipso complice ad alium confessarium missus fuerit, ut ipse excommunicationis periculum evadere possit, et fortasse sollicitationis, et si neutiquam castus, ne compellatur poenitentem turpissimo peccato deterrere? Atque hisce omnibus posthabitis, profecto non video cessare indispositiones in illo complice, qui vix obtenta ab alio confessario peccati absolutione, iterum ad Confessarium complicem revertitur; peiora potius mala timeo; factum enim huiusmodi nescio an aliquod conversionis indicium praebeat; certissimum autem obdurationis in malo, saltem aliquando. Et expertus loquor.

Certum est autem, absolutionem quam ab alio Confessario poenitens habuit, relate ad Confessarium complicem nil dicere, aut ad summum eum excommunicationis poenam velle evitare, non autem a peccato cessare.

Velle autem absolute affirmare, Benedictum XIV ob unicam hanc indispositionis suspicionem inductum fuisse ad privandum Confessarium auctoritate in peccatum complicis, nescio an undequaque verum sit; ni fallor enim, verba Benedicti aliquid gravius, quam suspicionem indispositionis, dicunt. Occasio furem constituit, inquit proverbium quoddam italicum: (L'occasione fa l'uomo ladro) quamvis ille non sit fur, neque ad furandum dispositus.

Quid insuper? Si valeret eiusmodi ratio pro poenitente qui a peccato iam fuerat ab alio absolutus; valeret etiam pro illo poenitente, qui oblitus peccati complicitatis, dum alii confessario actus suos confiteretur, ab eo tamen fuit indirecte absolutus; etenim et in isto cessare dicenda est indispositionis suspicio. At id nemo dixerit.

Quin et illud addam, suspicionem indispositionis esse non posse rationem, qua eiusmodi quaestio sit dirimenda. Si enim illa ratio vale-

ret, valeret etiam ratio contraria, id est dispositionis necessariae quae in poenitente requiritur, certitudo. Atqui si certitudo dispositionis necessariae dat poenitenti ius ad absolutionem peccati complicitatis, dato quod Poenitens habeat dispositiones necessarias, poterit de peccato ab ipso confessario complice directe absolvi. Ratio enim, qua Confessarius prohibebatur complicem absolvere, omnino cessavit. At *cessante ratione legis, cessat lex*. L. *Quod dictum ff. d. pactis*. Ratio igitur a cl. Scavinio adducta, ni tamen fallor, undequaque nutat, et auctoritate tantum extrinseca defendi posse videtur.

Verum quominus huic argumento Lectores omnimodis acquiescant, impedit contraria sententia, quae a non spernendae notae theologis defenditur, et intrinsecis rationibus solidius innititur; manifestum autem est, sententiam tum intrinseca tum extrinseca auctoritate gaudentem pluris faciendam illa esse, quae tantum extrinseca fruitur (1).

(1) Inter illos qui pro contraria sententia decertant allegatur etiam Roncaglia. *Universa Moralis Theologia Tract. XIX. Cap. III. De Sacramento Poenitentiae. Regulae in praxi observandae Reg. V.* At, ni opinio me fallit, immerito. Imprimis enim Roncaglia nullimode loquitur de Benedicti XIV Constitutionibus, sed de prohibitione quadam synodali suae Dioecesis, quae ita apud ipsum legitur; *Confessarii socium criminis, et a peccato, in quo ipse participans seu cooperans fuit, numquam absolvant, in his enim casibus illos omni facultate privamus.* 2. Eiusmodi prohibitione nedum peccatum contra sextum Decalogi praeceptum sed etiam alia peccata graviora comprehendebantur *in delictis gravioribus, quae solent cum socio patrari, puta in furto, homicidio etc.* secus ac statutum sit in relatis Benedicti XIV Constitutionibus. 3. Affirmat eiusmodi peccata posse a confessario complice absolvi tantummodo indirecte: *si quis iam absolutus fuerit ab alio confessario quoad crimen commissum, potest iterum idem peccatum exponere Confessario, qui fuit socius vel particeps in eodem crimine, etenim cum iam directe fuerit absolutum, non obstat non esse in illo confessario potestatem illud absolvendi, nisi indirecte.* 4. Addit demum: Illud advertant confessarii, in ordine ad eos, in quorum peccato fuerunt socii, cooperatores, seu participes, taliter se habere, ac si non fuissent approbati: « unde in synodo » dicitur quod illas *numquam absolvant*, sicut nec peccatum, in quo fuerint socii etc; adeo- » que talis confessarius nullam habet auctoritatem et circa crimen complicitatis et circa » personam complicis. Ita etiam suadet ratio talis prohibitionis, ideo enim prohibentur con- » fessarii ab absolvendo socio criminis, tum quia timeri potest deesse in poenitente sin- » cerum dolorem, dum peccatum confitetur Confessario, quem in eodem habuit socium vel » cooperatorem, tum quia si refricetur memoria de peccato cum illo commisso, maxime si » sit in genere luxuriae, periculum adesse potest in lethalem complacentiam labendi; » tum quia indecens est iudicem esse peccati illum, qui in eo fuit cooperator. Haec » autem suadent omnino auferri potestatem a Confessario in ordine ad totam illam con- » fessionem, in qua explicandum est peccatum, cuius fuit socius etc. » Fortasse ex hisce postremis verbis *in ordine ad totam illam confessionem, in qua explicandum est;* putarunt aliqui Roncallium validam statuisse etiam absolutionem directam peccati complicis ab alio confessario absoluti. At falso, nam superius Roncallius ipse dicit, id fieri non posse *nisi indirecte;* et de absolutione directa numquam loquitur. Ut autem liberius loquar, rationes a cl. viro adductae mihi videntur vel nihil probare, vel probare etiam peccatum complicis absolvi non posse neque indirecte: Etenim perículla illa quae timet, locum habere possunt tam in prima peccati confessione, quam in secunda; ea autem quae subdit: *in ordine ad totam*

Haec autem spero lectores facilius admissuros. Huic tamen affinis alia est quaestio, de qua nescio quodnam sint prolaturi iudicium; quid scilicet sentiendum sit de valore absolutionis circa alia peccata, quae una cum complicitatis peccato poenitens Sacerdoti complici confiteatur. Sententiam meam sincero animo exponam, et tanti fiat quanti valet. Dico igitur, eiusmodi absolutionem nullam esse. Et en rationes quibus nitor.

1. Certum omnino est, Benedictum XIV Confessario in peccatum complicis quamlibet auctoritatem abstulisse, ita ut statuerit eius absolutionem nullam atque irritam esse omnino; excommunicatione insuper Confessarium mulctasse qui complicem suum audire et absolvere ausus esset. Lex haec est absoluta, clara, aperta, nullisque ambagibus obnoxia.

Ut igitur dicatur valida absolutio complicis quoad alia peccata quae una cum peccato complicitatis iterum confitetur, oportet aliquo modo dignoscere legislatorem prima tantum vice, non ceteris illam potestatem Confessario abstulisse. Id autem non aliunde dignosci posse arbitror, quam vel ex lege ipsa, ex qua aliquid huiusmodi deprehendatur, vel ex alia aliqua sanctione a legislatore circa rem profecta, vel ex eius mente utcumque manifestata, vel ex aliis legibus, quibus lata in casu lex contradicat, et cum quibus conciliari oporteat. At in facto nihil horum haberi res est manifesta.

Et quoad legem. Per Constitutionem Sacramentum Poenitentiae Confessarius *quacumque auctoritate ac iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam privatus exstit, ita ut absolutio, si quam impertierit nulla atque irrita omnino sit*. Id autem ita firmiter atque absolute, *ut nec in vim cuiusque Iubilaei, aut etiam Bullae, quae appellatur cruciatae sanctae, aut etiam cuiuslibet Instituti, confessionem dicti complicis huiusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum, et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in eiusmodi peccati et poenitentis genere iurisdictione careat, et absolvendi facultate privatus existat, habendus sit pro Confessario legitimo et approbato.*

Benedictus XIV igitur qualibet potestate privat Confessarium complicem in *eiusmodi peccati et poenitentis genere*. Negari autem non potest, peccatum complicitatis contra sextum licet alias confessum, esse idipsum peccatum quod iterum

illam confessionem in qua explicandum est etc. mihi in animo ingerunt, non cogitasse doctissimum virum, eo temporis momento quo scribebat, pauca admodum explicanda esse Confessario compliei de peccato complicitatis, hoc enim novit ipse ut poenitens; ideoque circa eiusmodi peccatum, sive in prima sive in secunda confessione eadem brevitatis ratio servanda esset, *ne si refrigetur memoria etc.*

poenitentiae clavibus subiicitur, atque poenitentem esse illam ipsam identicam personam, quae cum Confessario peccavit.

www.rbook.com.cn

Cum igitur absolutio nulla atque irrita declaretur in universum, idque nedum ex verbis legis, sed et sententia probatissimorum auctorum, patere arbitror, nullam atque irritam eam esse, licet peccatum complicitatis aliunde fuerit absolutum; Benedictus enim duo expresse coniungit, *peccatum* et *poenitentis genus*, quae duo semper et in omni casu verificantur si poenitens confessario complici peccatum complicitatis accuset.

Si autem latarum Constitutionum finis attendatur nonne ad eamdem conclusionem luculentius deveniemus? Finis enim est, ut iterum verba legis producam, *a sacerdotali iudicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem, Sacramentorum contemptum, Ecclesiae iniuriam longe submovere, tam exitiosa huiusmodi mala* (non hodie vel cras, non primum vel secundo, sed *prorsus eliminare, et quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, Daemonis potius quam Dei ministri, loco eas per sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes, in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt.*

Quaero autem, an iterum confessario complici turpe peccatum subiicere non sit dare occasionem novae turpitudini, quam prorsus eliminare a sacri tribunalis sanctitate vult Benedictus? quaero, an non sit Confessarium exponere mortali complacentiae, poenitentem seductionis novo periculo, iisque omnibus quae Benedictus cavenda prorsus ideoque semper decernit? Nemo id negaverit, vel ille tantum qui inficiari velit tum Confessarium, tum poenitentem esse Adae filios, qui insuper propriam fragilitatem reapse sunt experti. Ergo si magnus Benedictus facultatem Confessario complici fecisset peccatum complicis aliquando audiendi et absolvendi, non admodum sacramenti sanctitati et animarum periculis consuluisset, cum altera vice eadem renovari possent. At, si haec dicantur, ad quid tantus verborum apparatus, ad quid tanta ostensio zeli? ad quid illud *prorsus eliminare?* Eliminasset hodie, non cras, praesertim si agatur de poenitentibus et confessariis, qui sanctitati non admodum studere satagunt.

Nec quisquem dicat, quod si ita res se habeat, sequeretur poenitentem Confessario complici in aeternum esse prohibendum, cum ipsa confessionis occassione possent pericula renovari; nam huic responderem non ita rem se habere; cum Confessarius et etiam poenitens occassione destituantur opportuna sermonis inchoandi, et aliquid dicendi quod proprium peccatum respiciat; difficillime autem Confessarium se

ad inopportunam interrogationem de peccato habito conferre, ne sollicitationis aliquando accusari possit, et si ad saniorem mentem reversus sit, ne scandala et pericula renovet.

www.libtool.com.cn

In hac itaque altera complicitatis peccati confessione finis a Benedicto XIV intentus integer omnino manet, ratio legis integra omnino servatur; at *manente ratione legis, manet ipsa lex.*

Qua de causa optime mihi ratiocinari videtur auctor tractatus casuum reservatorum in Dioecesi Gandavensi dum scripsit pag. 84: « Observa, quod nequidem Confes» sarius suum complicem absolvere » possit, dum complex peccatum il» lud, solum tamquam materiam li» beram, iterum in confessione expo» nit; generatim enim adempta est » iurisdictio pro simili peccato; et » deinde inspiciendo finem, ob quem » illa potestatis restrictio facta est, » qui est ad cavendum novum pe» riculum, praesertim sollicitationis, » tam bene periculum hoc adesse » potest, dum subiicitur peccatum » clavibus, tanquam materia libera, » quam dum subiicitur tanquam ma» teria necessaria; in iis autem quae » sunt ad cautelam, si dubium sub» sit, practice pars tutior est eli» genda; et consequenter in casu » non posset confessarius compli» cem absolvere. »

Neque minus me praestantissimorum theologorum opinio movet, qua defenditur, a Confessario complice numquam *directe* absolvi posse complicitatis peccatum, licet aliunde rite confessum et absolutum. Ex quo concludere licitum erit, peccatum illud semper esse sacerdoti complici reservatum; at si peccatum complicitatis Confessarius numquam absolvere potest, quomodo valida putanda erit ceterorum peccatorum absolutio, quando Benedictus XIV nullam aque irritam universam illam absolutionem declaravit, in qua potestati clavium peccatum complicitatis subiicitur?

Dicet quis, id de prima vice esse intelligendum? Sed in qua Constitutionum Benedicti parte ista limitatio deprehenditur? Et quare, si eiusmodi limitatio si admittenda, non potest a complice *directe* absolvi ipsum complicitatis peccatum ab alio iam absolutum? Si enim Benedictus de prima tantum absolutione loquitur, nulla ratio aderit quare idipsum peccatum a confessario complice non possit post primam absolutionem aliunde habitam directe absolvi. Dicet fortasse, hanc alteram absolutionem numquam vocari posse directam, quod ab alio peccatum illud iam fuerit absolutum, et poenitentiae clavibus iterum subiiciatur tanquam materia libera, et sufficiens, non autem necessaria? Sed quis unquam docuit, idem peccatum non posse altera vice directe absolvi? Nonne si dubitetur an materia confessioni subiecta sit sufficiens, vel poenitens sine absolutione dimittitur, vel adi-

gitur ad confitendum aliquod aliud peccatum licet centies fortasse confessum et absolutum, in quod proinde feratur ipsa absolutio, ut habeatur materia certa et apta Sacramenti? Ex lege itaque a Benedicto XIV lata circa praesentem quaestionem nihil omnino deprehenditur, validam esse eiusmodi absolutionem.

At certissimum est, nullam aliam sanctionem ab eo profectam esse, qua hoc caput declaravit, et nunquam mentem sua manifestasse qua mitiori sensu accipiendum esse praescripserit. Quin imo, si verum est, Benedictum XIV, olim interrogatum ab Episcopo Brugnatensi, an sacerdos posset complicem de peccato turpi iam ab alio absolutum absolvere, respondisse, complicem a sacerdote complice absolvi non posse, etiamsi centies ab alio absolutus fuisset, si inquam, id verum est, verbalem utique sanctionem habemus, qua contraria sententia expungitur, illaque, quam defendimus, confirmari. Quaenam vero sunt aliae leges, quibus haec sententia contradicit, et cum quibus proinde conciliari oportet? Ignorantiam meam profiteor, nullas agnosco.

Quod enim responderi forte poterit, peccatum complicitatis iam aliunde absolutum esse materiam aptam, et quid mere confessioni impertinens, et absolutionem tum ex rei natura tum ex mente absolventis in solam materiam aptam cadere, ut affirmat doctissimus Ballerinius, est respondere, absolutionem numquam cadere posse in peccatum complicitatis neque directe neque indirecte. Cuius ratio alia esse non potest, quam quod si in complicitatis peccatum absolutio quomodolibet caderet, universa absolutio foret invalida. Sin minus enim ad quid restrictio illa mentalis absolvendi cetera peccata, excluso peccato complicitatis? Nonne enim in eiusmodi absolutione peccatum complicitatis tum ex rei natura tum ex intentione absolventis excipitur, et minime absolvitur? Istud vero qua de causa, nisi quia complicis absolutio omnino prohibetur? atqui tamen absolutio complici collata ex lata lege nulla atque irrita est in universum.

Dices ne cum Roncallio, quod cum peccatum illud iam directe fuerit absolutum, non obstat esse in illo confessario potestatem illud absolvendi nisi indirecte? Verum iam animadversum est, Roncallium de Benedicti Constitutionibus non loqui, sed de lege Synodali suae Dioecesis; ratio proinde adducta expendenda est ad tramites latarum Constitutionum; cum autem in illis interdicatur absolutio peccati complicitatis, indeterminate, absolute, et quidem ad eum finem, qui ibi exponitur et ad eliminanda ea animarum pericula quae ibi cavenda prorsus praecipiuntur, quae tamen in altera peccati illius accusatione renovari possent, ut compertum est, nihil omnino Roncallii ratio valet.

Fortasse ne Benedictus distinxit absolutionem directam inter et indirectam? Fortasse ne apparet invalidam statuisse primam non ceteras absolutiones? locutum esse de prima tantum accusatione et non de reliquis? Quin e contra ex verborum sensu et ex fine latae legis omnino deprehenditur, de peccato complicitatis inter confessarium et doenitentem agi nec debere nec posse.

Dices: peccatum complicitatis fuisse per directam absolutionem aliunde habitam omnino sublatum, illud que amplius non existere, Lege vero prohiberi absolutionem peccati existentis?

Quare ergo theologi praestantissimi putant, illud peccatum numquam posse directe absolvi etsi aliunde fuerit absolutum? Dicendi ne sunt hi sine ratione loqui? Dato autem quod peccatum illud amplius non existat, nonne dum iterum poenitentiae subiicitur, *tanquam peccatum subiicitur*, ex cujus confessione ea mala renovari possunt quae lege cavenda prorsus praecipiuntur? tanquam peccatum neutiquam a complice absolvendum? *In ejusmodi peccati et penitentis genere* inquit Benedictus.

Quid ergo agendum Confessario, ad cuius pedes complex provolvitur?

Confessarius de more interroget complicem de postremae confessionis tempore et de absolutione, et si ex responsione noverit, post peccatum confessionem apud alium confessarium peregisse, atque absolutionem reportasse illum audiat; sin minus advertat ut alii Sacerdoti peccata sua accuset; si poenitens obedire renuat, Ecclesiae legem de non absolvendo complice, de nullitate absolutionis, et de excommunicationis poena ipso facto incurrendae aperiat, et dimittat. Huius sapientissimae legis cognitio Ecclesiae et Romanis Pontificibus summam animi venerationem conciliat, a relapsu poenitentem praeservat, horrorem insuper de admisso peccato cordi ingerit. Decursu vero confessionis vix confessarius advertit, (et in hoc attente vigilare debet) poenitentem etiam peccatum complicitatis iterum accusare velle, illico silentium imponat, dicatque de eiusmodi peccato sermonem inter se haberi non posse: quod si respondeat poenitens, vel illius fuisse in postrema confessione oblitum, vel rubore victum studio praetermississe, ei suggerat quod supra dictum est, et dimittat.

Verum hoc in facto, praesertim in parvis oppidis, ubi duo sunt tantummodo Sacerdotes, neque admodum amicitia coniuncti, timor subrepere posset Confessario complici apud alium Confessarium dedecus incurrendi, si ad eum complicem suum remittat, praesertim si puella sit, et alterius Confessarii consanguinea; haec insuper omnino nolit Confessario illi peccatum suum confiteri. Quid agendum in casu?

De timore dedecoris apud alium confessarum incurrendi nullimode Confessarius complex sollicitus esse debet, caveatque ob timorem eiusmodi absolutionem complici impertire; etenim in Constitutionibus relatis eiusmodi timor fuit praevisus, cum praescribant complicem etiam in mortis articulo a Confessario complice absolvi non posse si adsit alius sacerdos licet non adprobatus ad confessiones; de cetero vano timore angeretur, cum sigillo Sacramentali quaelibet infamia tegatur.

Si autem puella sit alterius Confessarii consanguinea, Sacramentis frequenter assueta, quae insuper ultra oppidum egredi non possit ut peccata sua extraneo confiteatur, ad oppidum vero Confessarii raro accedant, eaque nullis suasionibus moveri possit ad Confessarium consanguineum adeundum; ni a Confessario complice absolvatur haec duo certissime sunt timenda; vel puella Sacramenta sacrilege recepturam, vel si plurimo tempore sacramentis abstineat suspicionem maximam de peccato cum Confessario habito ingessuram parentibus praesertim, et infamiam tum sibi tum Confessario comparaturam. His positis, Benedictus XIV facultatem Confessario complici fecit in mortis articulo complicem absolvendi, si secus infamia et scandalum vitari non possit; periculum igitur infamiae fuit potissima et unica ratio quae sapientissimum Pontificem induxit ad temperandum legis rigorem. Neque dicamus id esse sancitum tantummodo pro mortis articulo, nam et in hoc puncto magnus Benedictus non respexit ad salutem aeternam morientis, quam absolute consequi potuisset per absolutionem alterius Sacerdotis, sed ad infamiam quam Confessarius complex certo certius incurrit, ni confessionem morientis ipsemet audiat et absolvat. Apertissima sunt eius verba: « Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem proinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. »

Benedictus igitur fidelium scandalum et Sacerdotis infamiam vult omnino eliminare; ergo si aliquo in casu eiusmodi ratio evidentissime habeatur, arbitror non agere contra legem Sacerdotem qui complicem suum absolvat; at omnino evidens puto, in casu proposito infamiam et scandala vitari non posse nisi per continua sacrilegia quae infelix puella comittat.

Confessarius igitur curet imprimis aliam modis omnibus accire in oppi-

dum confessarium, cui puella peccata sua confiteatur; quod si haberi non possit, eam serio ut consanguineum adeat adhortetur; legem de non absolvendo complice aperiat, bis vel ter sine absolutione dimittat, atque interea facultates opportunas quaerat illam absolvendi. Quod si ad has obtinendas diuturnum tempus sit necessarium, et puella timorem atque ruborem consanguineo sese aperiendi vincere nequeat, ideoque sacrilege ad Confessionem semper accedat, puto eam posse a peccato complicitatis indirecte absolvere, ea tamen conditione ut ei onus imponat subiiciendi alii Confessario illud peccatum vix occasio opportuna sese exhibuerit, quo directam absolutionem referat. Aliter enim non video quomodo vel sacrilegia, vel infamia tum confessarii tum poenitentis possint evitari. Paucis; pro hoc casu militant plus minus omnes eae rationes quae pro casu militant a cl. Ballarinio supra proposito, atque iisdem criteriis est resolvendus.

Exinde vero Confessarii serio considerent in quantis angustiis sese et poenitentes suos coniiciant ob eiusmodi peccata, et caveant, summopere caveant.

Non puto tamen iisdem cautelis et anxietatibus esse Confessario agendum si dubitet, an qui confitetur sit suus complex; quandoquidem, dubio perseverante, absolvere eiusmodi poenitentem licere, multa suadent. Et 1. Suadent verba legis, quae prohibet absolutionem complicis in sensu vero et proprio, qui scilicet uti talis a Confessario certe cognoscatur; at poenitens, de cuius complicitate dubitatur, non potest dici complex in sensu vero et proprio, non est enim certus.

2. Suadet natura ipsius legis quae est poenalis; poena vero non incurritur nisi ob crimen certum; at peccatum commissum cum eo de cuius complicitate dubitatur, non est certum relate ad legem, qua prohibetur absolutio peccati ab ipso confessario cum suo poenitente commissi, ideoque non afficit peccatum tantummodo, sed peccatum una cum persona.

3. Suadet finis legis, qui est removere scandala, periculum seductionis, irreverentia Sacramenti etc. quae omnia absunt in casu, ut patet. Ob haec, inquam, Sacerdos poterit absolvere poenitentem, de quo dubitat an sit suus in peccato turpi complex, non autem vel quod sit durum, imo durissimum, Sacerdotem adigere ad se prodendum et turpitudinem suam manifestandam cum ingenti honoris iactura; cum enim Confessarius sit iudex qui non tenetur de negata absolutione rationem reddere poenitenti, posset, quin ei ullimode manifestet, poenitentem sine absolutione dimittere, et legem observare; atque de cetero si eiusmodi ratio valeret in praesenti casu valeret etiam in casu quo Confessarius agnoscat quidem suum complicem, ab eo autem non

cognoscatur; nonne enim etiam hoc in facto durissimum esset Sacerdotem adigere ad se prodendum!

Neque quis instauret difficultatem opponendo, eiusmodi Sacerdotem absolvere cum potestate dubia atque denegari in casu facultatem absolvendi non in poenam delicti, sed ad cautelam; quando autem agitur de iis, quae ad cautelam deserviunt, casus dubii non sunt excludendi. Nam quoad 1. potestas certa, qualis est potestas absolvendi peccata legitime collata, Sacerdoti non amittitur nisi per crimen certum; si enim certa potestas posset per dubium crimen impediri, posset innocens aliquando poena mulctari. Fac enim quod poenitens de quo dubitatur, non sit reapse complex, nonne poena irrogaretur tum Confessario, tum poenitenti, si ob eiusmodi rationem, dubio perseverante, hic sine absolutione dimittatur? *In dubio non praesumitur delictum. L. Marito ff. pro seq.* ideoque nec poena irroganda.

Quoad rationem vero desumptam ex cautela, ea refunditur in finem quem sibi in lege ferenda legislator praestituit. Atqui finis apprime in casu servatur; Sacerdos enim certe cavebit se prodere, et turpitudinem suam manifestare, dato etiam quod per opportunas interrogationes tandem detegat poenitentem esse reapse suum complicem.

Confessarius igitur qui *per aptas atque prudentissimas interrogationes*, quas instituere debet ad veritatem assequendam, detegere nequivit an reapse poenitens sit suus complex, tuto illum absolvat. Ipse enim hoc in facto agit partes actoris contra se; *at actore non probante reus absolvitur*. L. Extat 25 ff. de iur. fidei. Dubio autem perseverante, crimen nullimode probatum dicendum est.

At lex diserte excipit mortis articulum, quo confessarius complex potest complicem audire et absolvere, si tamen deficiat quicumque alius sacerdos, qui confessarii munus obire possit.

Duo ergo sunt necessaria, et ut poenitens complex in mortis articulo sit constitutus, et ut desit alius quicumque sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, qui eius confessionem possit excipere.

Iam vero articulus mortis dicitur quando mors proxime morali certitudine instat; periculum autem quando sub dubio et timore probabili expectatur.

Quid igitur? Articulus mortis, de quo in nostra Constitutione, comprehendit ne etiam mortis periculum?

Respondendum est affirmative. Non enim censenda est pia Mater Ecclesia discrimini voluisse aeternam filiorum suorum salutem committere; at profecto commisisset si tantum in mortis articulo huiusmodi poenitentes permisisset absolvere; quis enim praevidere potest, praesertim in nonnullis morbis, quantum mors distet? Aliquando

a periculo ad articulum, ipsamque mortem repente fit transitus; aliquando ab articulo ad sanitatem; incerta hinc cum valde sit morborum varietas, possent sine absolutione ad tribunal Dei poenitentes sistere et in aeternum perire.

His adde quod incredibili anxietate angerentur Confessarii qui in similibus casibus reperirentur; nescirent enim, ut plerumque nesciunt etiam artis medicae periti, an infirmus versetur in periculo vel in articulo mortis; ideoque an in illo infirmitatis statu possit, nec ne absolvi etc. quae omnia aliena sunt omnimodis a sensu et Ecclesiae pietate. Confessarius hinc in similibus casibus vel Medici iudicio, vel propriae experientiae acquiescat, et si viderit infirmo mortis periculum imminere vel imminere iudicet, neque alius adsit sacerdos, tuto complicem audiat et absolvat; tuto, inquam, antequam maior morbi vis superveniat; quo enim maior vis morbi, eo difficilius confessio bona instituitur, cum infirmo vel mens, vel animus, vel vires corporis deficiant, ut experientia constat.

De cetero etiam in relato testimonio Tridentini Patres de articulo mortis loquuntur, et tamen theologi ad periculum aptant, ut ceteris praetermissis, videre est apud S. Ligorium *Theologia Moralis*. Tract. IV. Cap. II. n° 558 §. II.

Qui vero in periculo mortis etiam in praesenti quaestione versari censeantur supra dictum est.

Sed ut absolutio a Sacerdote complice in mortis articulo collata valida censenda sit, deesse debet alius quicumque sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, qui illum audire et absolvere valeat. Hinc plurima quaestionum capita.

Et 1. quid si adsit quidem alius sacerdos, sed sit vel suspensus, vel excommunicatus?

Huic quaestioni ut fiat satis, sunt tria probe consideranda; primo quidem nomine sacerdotis non adprobati ad confessiones in comuni usu loquendi illum venire, cui facultas excipiendi fidelium confessiones nondum collata fuit, non autem eum qui ob admissa scelera fuerit ea privatus, vel illum cui nequeat conferri; secundo hanc legem esse odiosam, ideoque stricte interpretandam; tertio demum, Benedictum per eiusmodi absolutionem collatam a Sacerdote licet ad confessiones non approbato voluisse nedum sacramenti sanctitati, nedum aeternae morientis saluti, sed etiam eius quieti et tranquillitati aliquo pacto consulere.

Iam vero si dicamus in casu, Confessarium excommunicatum vel suspensum praeferendum esse Confessario complici, puto eum Sacramenti sanctitati et decori non admodum consuluisse; quaestio enim esset instituenda quis sit magis improbus, sacerdos excommunicatus et suspensus, vel Confessarius, qui semel fortasse, miseranda libidine abreptus, cum moriente peccavit,

Neque quis dicat, id Benedictum sancivisse etiam in poenam Confessarii complicis; nam hoc etiam dato et non concesso, certe id sancivit sine sacramenti dedecore; credibile ne est, eum voluisse facultate absolvendi Confessarium iniquum privare, ut eam conferret alteri fortasse iniquiori? Dices ne sanctiori ratione acturum sacerdotem suspensum et excommunicatum? sed credibile ne est in mortis articulo a Confessario complice poenitentem suum in infernum demersum iri? Est illud momentum a quo pendet aeternitas; est momentum, quo etiam iniquissimi deterrentur; et est momentum, quo confessarii complices, ni prorsus omnem conscientiam abiecerint, horribilibus stimulis anguntur, dum vident animam illam de aeterna salute ob reciproca crimina periclitari; quare modis omnibus eam ab aeterno interitu eripere satagent. In hoc igitur casu non puto Benedictum XIV voluisse Confessario complici potestatem adimere; in peiori enim conditione morientem, ni fallor, constituisset. Quid insuper? Poenitens in articulo mortis constitutus, scit sacerdotem illum esse vel suspensum vel excommunicatum, eum itaque quodammodo horrescit, atque cum eiusmodi animi horrore, nescio qua animi quiete Confessionem sit peracturus; omnes enim dum moriuntur meliores atque sanctiores, quos noverint, habere ad se sacerdotes volunt, ut cum animi securitate atque maiori fiducia agere possint quae sibi agenda sciunt. In casu vero quid de his?

Utique respondebis, morienti perspectam esse sui Confessarii malitiam, ideoque in pari conditione versari; nam prorsus id nego: quandoquidem Confessarii sui moribundo nota sunt quaedam determinata peccata contra sextum: de sacerdote vero suspenso vel excommunicato novit Deus quae per vicos et plateas vulgata fuerint; ideoque potiori existimatione circa proprium Confessarium quam erga alium feretur; illi potius quam huic securius peccata accusabit, ab illo potius quam ab isto monita salutis se auditurum sperabit.

De cetero manifestum esse puto in comuni usu loquendi receptum esse, per sacerdotem non adprobatum ad Confessiones intelligi eum, cui nondum eiusmodi facultas facta fuit, non autem suspensum vel excommunicatum; cum autem, ut dixi, lex sit odiosa, stricto sensu eam interpretari debemus.

Equidem quis dicturus erit, etiam suspensos et excommunicatos dici posse non adprobatos ad confessiones, et tales esse reapse; nam quod dici possint concedo; quod usu comuni loquendi dicantur concedere non possum; hi enim dicuntur sacerdotes suspensi, presbyteri suspensi, Religiosi suspensi ab audiendis confessionibus; Benedictus XIV autem certe usus est comuni loquendi ratione. Hisce addo,

www.libool.com.cn

quod plurimam sapientiam animique pietatem in tanto ac tam perspicaci Pontifice cernimus, si intelligamus eum contulisse sacerdoti nondum ad Confessiones approbato facultatem excipiendi morientis in casu confessionem, ut modis omnibus consuleret tum sacramenti sanctitati, tum decedentis ex hac vita paci et quieti; at perspiceremus, si eam facultatem publicis peccatoribus, quales plerumque sunt sacerdotes suspensi et excommunicati, contulisset? Non credo.

Demum Benedicti verba satis clara videntur, ut ea omnino sint intelligenda de simplici sacerdote nondum ad Confessiones approbato. Dicit enim in Constitutione *Apostolici muneris* §. 2. « Edicimus, ac declaramus » interdici reipsa ac prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos » non defuerit etiamsi forte iste » alius *simplex tantummodo sacerdos fuerit,* sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nibilominus *ipse sacerdos simplex* confessionem excipere » ac absolutionem impertiri. Et in » Constitutione *Apostolicae Sedis* » ipsis verbis repetitur: Si alius » Sacerdos *licet non approbatus ad confessiones, possit excipere morientis confessionem* ».

Loquuntur igitur RR. Pontifices de simplicibus sacerdotibus, de iis nempe qui ad confessiones nondum approbati sunt, quales certe non intelliguntur neque suspensi neque excommunicati.

Neque minoris ponderis argumentum deducitur ex periculo scandali et infamiae, quod Benedictus vult omnino vitari dum dicit: « Si » casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiae... eius» modi fuerint, ut alius Sacerdos » vocari et accedere sine gravi » aliqua exoritura infamia, vel scan» dalo nequeat » Atqui nemo difficillimum non putabit evitari posse scandalum et infamiam, dum fideles viderint publice suspensum vel excommunicatum excipere morientis confessionem, et Parochum qui optime novit nullum alium Sacerdotem adesse, qui illud necessarium officium adimplere valeat, vel se subtraxisse, vel renuisse, vel excusationes adduxisse. Porro quae difficillima sunt, in lege pro impossibilibus habentur, neque praecipiuntur.

Paucis: Lex haec est odiosa et stricte interpretanda: verba tum Benedicti tum Pii Papae IX obvio sensu, possunt, imo debent intelligi de Sacerdote nondum ad confessiones approbato, idque nedum ex significatione verborum, sed etiam Ecclesiae sensu, quae administrationem sacramentorum sacerdotibus notorie indignis, quales plerumque sunt suspensi et excommunicati, non vult committere, neque eos iis Sacerdotibus praeferre, qui quamvis indigni et ipsi sint, tamen eorum iniquitas soli Deo nota est; per hos Sacerdotes suspensos et excommunicatos minime paci et tranquillitati

morientis Romani Pontifices consuluissent; non sunt ergo hi in casu Confessario complici praeferendi; qua de causa hic, praesente sacerdote publice suspenso vel excommunicato ita agere potest ac debet veluti si nullus alius adsit sacerdos qui morientis confessionem excipere possit, ideoque illum audire et absolvere

Quin et illud addo, me nescire quibus argumentis innitantur contrariae sententiae patroni; dicere enim, ut aliqui dicunt, (et nullam aliam rationem reperi) verba Benedicti esse prorsus generalia, eaque comprehendere quemlibet Sacerdotem licet suspensum vel excommunicatum, est rem dicere quae adhuc probari debet. (1)

Verum non in hoc tantummodo casu confessario in articulo mortis licitum erit complicem absolvere, sed et in aliis de quibus breviter:

Et 1°. poterit absolvere si morientis confessionem alius audire recuset; tunc enim putandus est alius sacerdos abesse.

Hinc optime Salmanticenses: « Si » praesens sit (alius Sacerdos) et » nolit absolvere, idem est ac si » non esset copia Confessoris; sed » dum non est copia confessoris, » potest quilibet Sacerdos in tali » articulo poenitentis confessionem » excipere; ergo si sacerdos voca- » tus accedere renuat ad audien- » dam confessionem personae prae- » dictae, poterit Sacerdos complex » absolutionem illi impendere. »

2°. Poterit, si moribundus alii

(1) Quid dicendum de sequenti casu? In oppido N. sunt duo Confessarii, quorum quisque suam amasiam habet, et ne peccandi occasionem deserant, neve suspicionem aliquam suae turpitudinis ingerant, excommunicationem insuper in absolventes complices latam evitent, paciscuntur inter se, ut unusquisque alterius complicem audiat atque absolvat, nulla de eiusmodi diabolico pacto puellis facta mentione.

Quid de harum absolutionum valore?

R. Absolutiones eiusmodi validas esse. Constitutiones enim loquuntur de absolventibus complices proprios, non alienos. Porro puellae non sunt complices propriae confessarii qui eas audiunt et absolvunt. Sacerdotes vero absolvi reciproce se non possent, quod complices reapse sint in turpissimo sermone et pacto. Id autem respective ad legem sermonem instituendo.

Quantum enim attinet ad dispositiones necessarias quae in poenitente requiruntur, ut valide absolvatur, eiusmodi absolutiones prorsus esse invalidas quis umquam in dubium revocare poterit? Sacerdotes enim interesse habent ne puellae peccatum deserant, ideoque nescio quasnam correctiones instituant, remediaque suggerant; puellae peccatum relinquere vel nolunt, vel non curant, atque ideo ad dictos Sacerdotes accedunt, quia absolutionem repetitam et amplissimam de repetitis peccatis et repetendis referunt. Dolor igitur et propositum non peccandi de cetero in praedictis poenitentibus vix, aut ne vix quidem, concipi potest.

Attamen si Confessarius aliquando inveniscat, puellas turpissimum pactum detexisse, nullimode sine excommunicatione illis eas absolvere licebit, cum enim pactum ad hoc initum sit, ut puellae tuto cum propriis confessariis peccata perpetrent, absolutio reputanda est veluti explicitum ad peccatum incitamentum, et Confessariorum pacti puellae ipsae fiunt participes; quare hi Confessarii nedum essent habendi ut complices absolventes, sed etiam uti ad turpia sollicitantes.

sacerdoti peccata sua accusare renuat, nullisque suasionibus ad confessionem cum eo instituendam induci valeat.

Nullimode enim permittendum est ut sine absolutione moriatur, vel exponatur periculo sacrilegam confessionem instituendi; atque de cetero causae gravissimae adesse possunt quare alteri confiteri peccata recuset. Hinc iterum Salmanticenses dicunt in casu ita sese agendum veluti *si alius Sacerdos revera abesset*. Appendix Cap. VI. n. 259.

3°. Poterit infirmum complicem audire et absolvere si hic simulata prius, vel instituta cum alio confessione sacrilege, expectet tempus, quo ei Sacrum viaticum deferatur, et publice petat se antea velle sacerdoti complici peccata confiteri, vel ut vulgo dicitur, reconciliari; sine scandalo enim, infamiae periculo, et quin infirmum sacrilegae comunioni exponat, ab illo audiendo Sacerdos se subtrahere nequit. Cum autem contra infirmum plurima indispositionis indicia hoc in casu militent, quaerat sacerdos complex modis omnibus illum disponere, et loquatur sicut bonus dispensator multiformis gratiae Dei. Postquam autem ad sinceram peccatorum detestationem animique dolorem disposuerit, quod in mortis articulo assequi non est adeo difficile, illum absolvere non vereatur. Ut plurimum verecundia est causa rei huius; praesertim si puella sit, si uxor quae bono nomine fruatur; huic autem titulo, in mulieribus praesertim, quaeque in mortis articulo sint constitutae, valde deferri debet.

De cetero Confessarius hoc in casu potuit, ad scandali et infamiae periculum vitandum, poenitentem audire; et durante eadem causa, nempe mortis articulo, illum absolvere, quia iudicium incoeptum perfici debet, cum iure incoeptum fuit.

4°. Poterit pariter poenitentem complicem absolvere, si, dum non sit nisi unus alius Sacerdos, certo sciat, eum fuisse in peccato luxuriae infirmi complicem; siquidem et hic recusaret infirmi confessionem audire cum eadem obstringatur prohibitione, eademque conditione versetur, et aliter agendo Confessarius propriam nequitiam proderet. Hoc igitur in casu agendum est veluti si nullus alius adsit Sacerdos.

5°. Ita Parochus complicem absolvere poterit, quamvis adsit alius Sacerdos ad Confessiones adprobatus, si poenitens in mortis articulo constitutus publice petat, se velle Parocho praesenti confiteri, vel si absit per aliquem advocetur, nullamque habeat se recusandi causam, veluti si in Ecclesia, aut in via, aut in platea, aut in aliquo alio loco nulla occupatione impeditus reperiatur; non posset enim sine scandalo et infamiae periculo confessionem infirmi declinare. Idque

multo magis si alius Sacerdos non sit ad confessiones approbatus.

Quid autem si poenitens confessionem incoeperit, et antequam Confessarius ei absolutionem impertiatur omnino cesset mortis periculum?

Auctores plerique pro valore absolutionis decertant eo innixi principio quod iudicium incoeptum compleri debet. Id vero probant, desumpta similitudine a iudicio civili vel criminali, ex Cap. *Relatum 19,* et ex Cap. *Gratum 20 de officio et potestate Iudicis Delegati;* quorum primum ita legitur: « Nos itaque consultationi vestrae respondentes, quod si lis fuerit ante praedecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus expiravit. Si vero ante litiscontestationem decessit, non est a iudicibus quos delegaverat, ex delegatione huiusmodi procedendum. »

Cap. vero Gratum ita se habet: « Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod cum in casu priori citatione facta, negotium sit quasi coeptum, et maxime si delegatus non sit certus de obitu delegantis, potest et debet in causa procedi, tenebitque quod iustititia fuerit praevia definitum. »

Cum igitur, inquiunt affirmantes, confessio sacramentalis sit iudicium, ab eo perfici debet a quo fuit incoeptum.

Atque ad eiusmodi sententiam confirmandam plerosque citant auctores, quos inter S. Alphonsum de Ligorio Theol. Mor lib. VI Tract. IV. de Sacramento Poenitentiae n. 563 V.

Quin tantorum auctorum sententiae contradicam, nonnulla mihi liceat exponere quae utique expositae sententiae adversantur, an vero subvertant, nescio.

Et 1°. Verum quidem esse in civilibus vel criminalibus statutum esse iudicium compleri ab eo debere qui illud incoepit; atque idipsum esse generice tenendum de sacramentali iudicio. At verum pariter est, nulla alia lege prohiberi, iudicia ab iis perfici posse qui ea incoeperunt. Quin imo eiusmodi iudicia incoepta comuni lege, atque undequaque constabilita perfici, non excluso iudicio sacramentali inchoato a simplici sacerdote quod ab ipso perficiendum est, licet alius interea approbatus superveniat: Ecclesia enim in casibus similibus potestatem idoneam Sacerdoti etiam simplici confert.

At in casu nostro res, ni tamen fallor, diversimode se habet. Sacerdoti complici in extrema tantummodo necessitate absolvere complicem permittitur, deficiente scilicet quocumque alio sacerdote, licet non adprobato ad confessiones, et ad vitandum scandalum vel infamiae periculum; ipsum teneri removere scandali et infamiae pericula, quae realia esse debent, non idealia; atque praesentem excommu-

nicationem incurrere, si hisce post habitis, absolutionem complici impartiri ausus fuerit. Benedicti verba manifesta sunt.

» Quod si idem Sacerdos aut » quovis modo sese nulla gravi ne» cessitate compulsus ingesserit, et » ubi infamiae vel scandali pericu» lum timetur, si alterius sacerdo» tis opera requirenda sit, ipse ad » id periculum avertendum congrua » media adhibere de industria ne» glexerit, atque ita personae in di» cto crimine complicis, *eoque in* » *articulo,* ut praefertur, *constitu*» *tae* sacramentalem confessionem » excipere, ab eoque crimine ab» solutionem largiri, *nulla*, sicut » praemittitur, *necessaria causa co*» *gente,* praesumpserit; quamvis hu» iusmodi absolutio valida futura » sit.....nihilominus sacerdos ipse » violatae ausu eiusmodi temerario » legis poenas nequaquam effugiet » atque in synodo Dioecesana lib. VII. cap. n. XV 4 « Declaravimus, inquit, » ad rem de qua agimus, perinde » esse nullum adesse sacerdotem, » praeter illum, cum quo poenitens » inhoneste peccavit, aut eum tan» tum adesse, quem idem poeni» tens constitutus in mortis articu» lo, eligere nequit sine periculo » seipsum infamandi, aliisque ma» lam sui suspicionem ingerendi, » atque ideo in eo rerum statu, non » prohiberi diximus, sacerdotem » suae impudicitiae complicem ab» solvere; eumdem tamen simul mo» nuimus, ne praedictae infamiae » aut scandali pericula sibi confingat » quae revera absint: Quin imo vo» luimus ut ea, cum potest, ante» vertat et removeat; secus enim » poenas non effugiet in nostra » prima Constitutione inobedienti» bus inflictas.»

Ex his vero constat. 1°. non esse in intentione legislatoris ut Confessarius confessionem complicis excipiat, eique sacramentalem absolutionem largiatur. 2°. id permitti tantummodo in mortis articulo, et deficiente quocumque alio sacerdote. 3°. eum teneri ad eliminanda scandali et infamiae pericula quae timeri possint. 4°. excommunicationem incurri ob absolutionem non ob peccatorum auditionem 5°. nullam esse legem, quae statuat iudicium eiusmodi ab eo compleri debere a quo incoeptum fuit, sicut extant pro aliis iudiciis, de quibus in Capp. *Relatum* et Gratum. 6°. Contrarium ex lata lege erui.

At pariter certum est, pro poenitente in casu quodlibet mortis periculum cessasse, antequam absolutionem recipiat....Absolvi ne a Confessario complice poterit?

Equidem dices: iudicium incoeptum compleri debet? Quid vero si ex lege constet, illius iudicii iudicem complicem esse nec posse nec debere, et tantum, extremae necessitatis causa permitti? quae de caetero causa ante iudicii complementum omnino cessavit? Sententiam doctiores dicant.

Illud ego animadvertam, S. Al-

phonsum loco cit. non loqui de sacerdote complice, sed de simplice, sacerdote: *Si confessarius approbatus superveniat iam incoepta confessione cum sacerdote simplici, quia tum compleri debet iudicium iam incoeptum;* atque citat pro sua sententia tresdecim auctores, quos inter Lugo, Sanchez, Lacroix.

At inter Sacerdotem simplicem in casu, et Sacerdotem complicem magnam intercedere differentiam nemo non novit. Non vides enim ipsum Benedictum illum huic omnimodis praeferre?

Quin imo, cum S. Alphonsus immediate post subiungat: *VI et ultimo casu, quo Sacerdos approbatus fuisset complex infirmi in peccato turpi; tunc enim omnino praeferri debet Sacerdos simplex:* et nihil omnino pro complice excipiat, magna suspicio ingeritur, an S. Alphonsus pro complice eamdem ac pro simplice sacerdote opinionem tenuerit, et illum scilicet debuisse iudicium incoeptum complere.

Quidquid tamen de hisce sit, extra legem a Benedicto statutam egredi cl. Gury videtur, cum proponit casum Confessarii qui complicis confessionem excipiat, etiam alio sacerdote praesente; facti tamen poenitet antequam absolutionem impertiatur; innixus tamen principio quod iudicium ab eo complendum sit a quo fuit incoeptum, absolvit complicem; atque, iuxta praefatum auctorem, quin excommunicationem incurrat. Ita enim ratiocinatur: « 1°. Non incurrisset poenam pro » sola confessione incoepta, quia » non incurritur illa poena, nisi » confessio absolutione compleatur. » 2°. Neque incurrisset absolvendo » post mutatam voluntatam in me» lius et contritionem de illo pec» cato elicitam, nam nemo incurrit » excommunicationem per actum, » qui ex una parte omitti amplius » non potest, et ex altera parte om» ni culpa caret, imo factus est obli» gatorius. Etenim tunc incurritur » excommunicatio quando sine ulla » necessitate absolutio a complice » impertitur. At Albinus, audita » Theresiae confessione, eam absol» vere cogitur: ergo excommunica» tionem non incurrit. »

Ista praestantissimi Theologi resolutio merito ab auctoribus reprehenditur. In casu enim nullimode Albino suffragatur principium, quod iudicium ab eo perficiendum sit a quo fuit incoeptum; principium enim eiusmodi tum solum vim habet, cum iuridice iudicium incoeptum fuit, non vero contra legem; cum iudex auctoritate legitima pollet iudicium incipiendi, non autem cum sine ulla auctoritate, et inique prorsus illud incoepit. Id nedum ex citatis Capitibus *Relatum* et *Gratum*, in quibus sermo est de iudicio incoepto ex delegatione et legitimo mandato, apparet, sed etiam ex evidentissima ratione. Si enim iudicium incoeptum compleri debet etiam a iudice qui illud incipiendi nulla praeditus est aucto-

ritate, poterit iudex quilibet alienam provinciam invadere, in extraneosque iudicia inchoare, eo quod, etsi inique et iniuste, tamen iudicium ab eo compleri debet a quo fuit inceptum. At hoc in casu ad quid tot sanctiones in codicibus civilibus, canonicis et criminalibus de nullitate actorum ob incompetentiam iudicis et Fori? Et in ipso sacramentali iudicio nonne sacerdos, qui confessionis decursu animadverteret, poenitentem suum aliquo esse reservato peccato irretitum, ex principio allegato, posset illum absolvere quin ad Superiorum remittat, vel petat opportunas facultates? De cetero novi ab ipso auctore principii expositionem citatam respui: Nam Casus Conscientiae Tom. II. N. 631 omnino affirmat, iudicium tum compleri debere cum iuridice fuit incoeptum « Ratio est, quia quando con» fessionem audire incepit, id tan» tum ex iurisdictione a Pontifice » habita facere potuit. Atqui iuris» dictio valens tempore inchoatae » confessionis perdurat, donec poe» nitens absolvatur; nam collata est » pro confessione peragenda; non » peragitur autem confessio, nisi ad » complementum deducatur.

Cum iis vero omnino pugnare deprehenditur resolutio casus ab auctore exhibita. Nam in casu Albinus sine ulla iurisdictione Confessionem audire incoepit; ergo nullo pacto iudicium complere potest, et complicem absolvere; ideoque latae excommunicationi subiacet. Neque ei suffragatur quod eum incoeptae confessionis ante absolutionem poenituit, contritio enim coram Ecclesia non sufficit ad tollendam excommunicationem, quam quis incurrit propter legem, cuius violationi adnexa censura est. Sed neque admitti potest, absolutionem in casu factam esse actum obligatorium tum ex allegata ratione, tum quia absolutio fit actus obligatorius, cum nulla suppetit ratio ipsam vel differendi vel omnino negandi, ut patet cum Confessarii rem agunt cum indispositis, vel peccata reservata, vel censuras reservatas habentibus; in casu vero nullimode Albinus ad absolvendum complicem procedere poterat.

Unica igitur ratio quae Albino in casu faveret haec esset, si scilicet confessionis decursu adverteret infirmum complicem viribus destitui, ita ut non amplius alteri confessario peccata esponere valeret; tunc enim ex eiusmodi superveniente necessitate, quae in lege optime consideratur, posset sine excommunicatione absolutionem infirmo complici largiri; eiusmodi enim superveniente necessitate, ita agere potest veluti si nullus alius adsit sacerdos; nova enim infirmitas cum nullimode fuerit praevisa, et ab Albini agendi ratione sit plane independens, novam ei rationem agendi suppeditat, et ei confert auctoritatem iudicium complendi, quia convalidat actionem antea invalide positam iudicium inchoandi. Ab ex-

communicatione tamen non censerem immunem ob infamiam quam timeret absolutionem omittendo; nam eiusmodi casus in lege Benedicti praevisus fuit, et minime exceptus; valide tantummodo Confessarius absolveret.

Neque ea probanda esse censeo quae subdit, hanc excommunicationem scilicet, incurri, *quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur:* Si enim vera haec sententia esset, vera esset etiam haec altera: Ergo cum aliqua necessitate absolutionem complex valide impertitur. Atqui tamen haec propositio e diametro opponitur Benedicti XIV constitutionibus, in quibus casus necessarii ad valide complicem absolvendum duo tantummodo sunt, mortis articulus, et scandali et infamiae periculum.

Ex iis vero sequitur, Albinum et invalide Theresiam, ni tamen in articulo mortis constitutam, ut supra dictum est, absolvisse, et excommunicationem incurrisse (1).

Sed persequamur cetera. Pluries animadversum est; peccatum huiusmodi esse peccatum contra sextum Decalogi praeceptum et non aliud.

Ut autem a complice absolvi nequeat, peccatum illud debet esse externum, mortale, et utrinque mortale.

Externum quidem; consideranti enim universas Benedicti Constitutiones illico apparebit, agi in iis de

(1) Editor Georgius Ioseph Manz in editione prima huius Operis, quam paravit Ratisbonae anno 1865 ad verba cl. Gury: *tunc incurritur excommunicatio quando sine ulla necessitate absolutio a complice impertitur*, hanc notam apponit: *Ne hoc principium perperam intelligatur, perpendantur circumstantiae in casu appositae.* Verum quantumvis circumstantiae perpendantur nil melius solutio se habet. Non enim solutio datur ad secundum quaesitum: *quis e duobus sacerdotibus praeferendus in secundo casu, num complex an excommunicatus?*; cui auctor respondet: *praesente excommunicato publico complex valide et licite absolveret, si secus periculum infamiae publicae aut scandali secuturum esset. Periculum autem illud facile evenire posset, si sacerdos complex excommunicato locum cederet; hoc enim esset argumentum non obscurum turpitudinis suae praebere;* ex quibus intelligunt lectores, praestantissimum Gury in ea fuisse sententia, quod, remoto scandali et infamiae periculo, sacerdos publice suspensus et excommunicatus praeferendus in casu ipsi complici sit; qua de causa, ni alter fuisset publice suspensus et excommunicatus, Albinus semper indebite, atque sine ulla necessitate praeripuisset locum Flaviano suspenso, et bona editoris intentio nullomodo auctori suffragatur.

Attamen non ad secundum quaesitum, sed ad tertium per illa verba Gury respondet; hoc autem ita se habet: *An vero censuram effugisset Albinus, si loco Flaviani indebite accepto complicisque audita confessione, ipsum facti poenituisset, et deinde tamen ob circumstantiam inchoatae confessionis absolvisset?* Et respondet ut supra. Ergo in Quaesito: 1. Supponitur Albinus indebite locum Flaviani accepisse; quare nullimode consideranda est circumstantia quod hic fuerit etiam publice suspensus vel excommunicatus, ex quo proinde oriri scandali et infamiae periculum potuerit, et proinde Albinus debite, iuste, et licite ei locum praeripuisset. 2. Supponit Gury, Albinum complicem absolvere ob circumstantiam inchoatae confessionis, et nulla alia de causa; ad quam circumstantiam universam responsionem coarctat. Aliae igitur circumstantiae locum non habent, quia ab ipsomet excluduntur: Ego vero potius puto, cl. Gury casum resolvisse Ituriagae, a quo casus proponitur tom. V. cap. 50. iudicio, quam suo.

peccato quod contemptum sacramento, Ecclesiae iniuriam, animabus nova damnationis pericula inferat, sacerdotesque per illud maiori peccatorum mole animas onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefario submergant; quae de peccato tantum externo intelligi possunt et debent. Apparet insuper sacerdoti non licere audire vel absolvere complicem, quae prohibitio supponit Confessario notam esse Poenitentis complicitatem, saltem ut plurimum, antequam confessionem incipiat; haec autem cognitio in peccato mere interno non haberetur; demum Benedictus locutus certe est de complicibus obvio et vulgari sensu, ii autem sunt qui in una re animum operamque spondent. De cetero in suo conceptu formali complicitas communicationem consilii, virium collationem, actionis communem executionem dicit, atque complicitas mere interna vix aut ne vix quidem cogitari potest.

Plerique auctores disputarunt an turpiloquium esset inter peccata in citatis Constitutionibus prohibita adnumerandum, atque sententiam negantem amplexi sunt. Verum eorum opinio a theologis reiicitur et iure merito. Nam 1°. Lex loquitur *de peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum:* negari autem non potest turpiloquium ad eiusmodi peccati genus pertinere.

2. Neque negari potest, turpiloquium esse plerumque omnium peccatorum contra Sextum fontem atque funestissimam originem. Corrumpunt enim bonos mores colloquia prava.

3. In confessione eiusmodi peccati confessario complici occasionem praeberi inopportunas interrogationes instituendi, periculum mortalis complacentiae, praesertim si poenitens affirmet se interne consensum praebuisse, et fortasse sollicitationis; qua de causa ea omnia mala timenda sunt, quibus per praefatas Constitutiones Benedictus occurrere satagit. Praeclare hinc argumentantur Salmanticenses « Intentio seu finis » memoratae constitutionis, ut liquet » ex ipsius contextu, est omnem » turpitudinis occasionem a Sacer- » dotalis iudicii et sacri tribunalis » sanctitate prorsus eliminare; sa- » cramentorum contemptum et Ec- » clesiae iniuriam longe submovere, » animarumque periculis, quae ex » absolutione complicis oriebantur » vigili providentia occurrere. Sed » haec omnia inveniuntur in qua- » libet actione mortaliter culpabili » in materia luxuriae; nec Pontifex » omnem turpitudinis occasionem, » sed praecise aliquam de medio » tolleret, si de quibusvis turpibus » actionibus in materia gravi non » loqueretur. Loc. cit. n. 287.

4. Theologi magni nominis huic sententiae subscribunt, inter quos S. Alphonsus ita de quaestione loquitur: *Certe dicendum sentio cum pluribus doctis, quos consului super hoc iudicio ab aliis immerito in dubium revocato* loc. cit. n. 554.

5. Rationes a contrariam sententiam defendentibus adductae non ita solidae esse videntur quae refutari nequeant. Prima est, quod Benedictus XIV loqui videatur de peccato turpi consummato; turpiloquium vero non censeri esse peccatum contra castitatem satis consummatum, sed tantum inchoative seu reductive.

Secundo: quod per peccatum turpe ac inhonestum iuxta communem sensum ac intelligentiam, quid plus intelligatur, quam turpiloquium; si quis enim alium de turpi peccato accuset, menti auditorum certe quid plus occurrit quam quod obscaenum colloquium ab eo factum fuerit.

3. Quod ubi Pontifices voluerunt turpiloquium includere, de illo expressam mentionem fecerunt, ut patet ex statutis contra confessarios sollicitantes, si hi cum poenitentibus illicitos ac inhonestos sermones habuerint. Ergo a contrario, cum ubi egerunt de confessario complice quoad absolutionem socii vel sociae in peccato turpi ac inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum, quoad turpiloquium nihil expresserint, hinc coniicere fas est, hoc non intendisse comprehendere sub huiusmodi peccato turpi ac inhonesto; et sic nomine istius non venire turpiloquium.

4. Neque per hoc, subiungunt a fine legis argumentando, aperitur via huic interpretationi quoad peccata mere turpiora et graviora, cum enim ultra haec dentur alii actus externi praeseferentes non modicam turpitudinem practicam ac inhonestatem exercitam, de his quoque accipiendo ac intelligendo verba *peccatum turpe ac inhonestum contra sextum*, tum mens Pontificis, cum finis Constitutionum eiusdem satis attingi videntur, etiamsi non includatur turpiloquium.

Verum quoad primum difficultatem patere arbitror tum Benedictum, tum Pium Papam IX generice loqui: *absolventes complicem in peccato turpi*, hic dicit, *complicis in peccato turpi ac inhonesto contra sextum Decalogi praeceptum commisso* dicit ille: sed turpiloquium esse peccatum turpe atque inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum nemo negaverit; unde ergo excipi lege poterit? Neque ex citatis verbis aliquid desumitur, quod in iis sermo sit de turpi peccato opere consummato, ut consideranti patet.

Indubium vero esse puto, Romanos Pontifices voluisse quodlibet turpe peccatum per verba citata sub lege comprehendere, neque turpiloquium excludere, quod est aliquando, ratione scandali, ipsa fornicatione et adulterio gravius, atque principium et causa ceterorum peccatorum. Credibile ne est ipsos peccatorum originem exclusisse? Addo quod in suo genere, turpiloquium est peccatum consummatum; addo quod in turpiloquio complices sunt reapse complices,

sicut sunt reapse complices alicuius rebellionis, qui eam verbis tantummodo fovent.

Quod vero mihi turpiloquium sub lege videtur evidenter includere, sunt Benedicti verba : *cupientes a sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem eliminare*; certum vero quisquam arbitrabitur, turpiloquium turpitudinis occasionem in poenitentiae sacramento praebere. Qua de causa etiamsi dici velit peccatum *inchoative seu reductive*, sub lege tamen comprehenditur ea ratione quod turpitudinis occasionem praebeat. Nullimode vero spernenda illa consideratio est, quod hi sacerdotes ideo tantopere a Benedicto detestentur, quod *daemonis potius quam Dei ministri, loco* animas *per Sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, maiori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt;* quibus a peccatorum consuetudine, et a gravioribus peccatis Benedictum cavere velle nemo non videt. At finge turpiloquium sub lege non comprehendi, atque a Confessario complice posse absolvi; nonne centies peccatum huiusmodi repeti poterit, centies pravis consensibus locum praebere, et ad graviora peccata conducere, Confessarium vero in ea conditione collocari ut illud vel non redarguat, vel ad graviora poenitentem inducat, cum hic nullum de eo horrorem sit concepturus, aque fortasse ad ipsam sollicitationem impellere; si enim haec plerumque contingit ex turpium peccatorum accusatione, ex inclinatione, quae in poenitente conspicitur ad eiusmodi peccata, nonne difficillimum erit eiusmodi scelere Confessario sese abstinere, cum hinc ipse huiusmodi peccato sit inclinatus, illinc vero poenitentem in eodem complicem cognoscat? Proinde nonne uterque iis omnibus periculis expositus reperitur, quae Benedictus deflet amare? Unde ergo excipi lege poterit?

Solidior autem altera difficultas non videtur. Quaero enim an turpiloquium non sit, etiam iuxta communem sensum et intelligentiam, peccatum turpe ac inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum; quaero an turpiloquium non sit in sexto Decalogi praecepto prohibitum? Utique : At nonne in sexto Decalogi praecepto dicitur : non moechaberis? Fortasse ne quod iuxta communem sensum et intelligentiam quid plus per eiusmodi negativum praeceptum intelligitur, inde turpiloquium excludes? Neutiquam, sin minus et impudicos tactus excludere deberes et plurima alia peccata.

Atque animadverte, Benedictum peccati gradus non recensere, neque enumerare; non dicit enim, ut dicere debuisset, si turpiloquium voluisset excludere, qui concubuerit cum foemina vel eam obscene tetigerit; sed mentem ad ipsum Dei prae-

ceptum convertens, *contra sextum*, inquit, *Decalogi praeceptum:* Atqui sextum Decalogi praeceptum comprehendit etiam turpiloquium; etiamsi iuxta communem sensum et intelligentiam quid plus dicere videatur, et reapse dicat; ergo et nostra lex.

3. Quid autem tertia difficultas? Ideo enim Romani Pontifices cum contra sollicitantes legem indixerunt de turpiloquio mentionem diserte fecerunt, eo quod sollicitatio praecipue, et plerumque verbis perficitur; ineptum enim fuisset alios sollicitandi modos recensere, qui rariores, quique, ut ita dicam, sub naturali et obvio sollicitationis conceptu non cadunt. At exinde nihil; sicut enim ad falsam conclusionem deveniret ille qui, ex quo dum de sollicitantibus agitur, mentio nulla fit de aliis, praeter sermones turpes, sollicitandi modis, argumentaretur turpes ex. gr. tactus, turpissimos aspectus sub lege non cadere, eo quod iuxta communem sensum, sollicitatio verbis completur, ita falso ratiocinantur qui turpiloquium excludunt, quod per peccatum turpe et inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum quid gravius communiter homines intelligant. Romani Pontifices in lege contra absolventes complices ferenda, non ad actionem individuam quae peccatum constituit, respexere, sed ad peccati genus; *contra sextum Decalogi praeceptum;* cum autem sexto praecepto quaelibet peccati species in materia luxuriae interdicatur, inter quas et turpiloquium, patet et hoc sub lege comprehendere voluisse.

Haec quapropter causa est, quare RR. Pontifices de turpiloquio nihil expresserunt, scilicet, quia peccati genus proscripsere, nulla de speciebus singulis, nulla de actibus individuis, facta mentiones, quos si expressissent, turpiloquium praetermittendo, utique coniicere licitum fuisset, hoc excepisse; non autem cum peccati genus recensuerint, singulis actibus non recensitis.

Quarta difficultas autem nihil aliud affirmat, quam quod legis finis servari possit turpiloquium excludendo, eo quod cum praeter peccata graviora, ex gr. fornicationem, adulterium etc. dentur alii actus pravi ac inhonesti, scilicet tactus, aspectus turpes; si de iis etiam lex accipiatur, necessarium non erit turpiloquium includere. Verum nescio an haec serio dic possint. Cum enim lex generice loquatur de aliquo peccatorum genere, qua ratione hoc includitur, excluditur vero illud? Atque si eiusmodi commentum legi divinae, vel etiam aliis legibus applicetur, quanta subtrahi possent, quae tamen sub lege concluduntur? Si ex. gr. in quinto praecepto eadem ratiocinandi methodo uti vellem, atque dicere: Finis huius mandati optime servari potest, etsi ab eo excludantur alapae seu ceterae verberationes; cum enim ultra haec dentur

alii actus praeseferentes graviorem noxam, ex. gr. vulnera, percussiones gravissimae, de iis quoque accipiendo verba « *non occides* » finis praecepti servatur, etiamsi non includantur alapae; quam expositionem nescio an in faciem suam arguens admitteret. Atque idipsum dicito de ceteris mandatis, atque de ceteris legibus sive humanis sive divinis: singulae enim hominum noxae habent gradus quosdam pravitatis; haec levior, illa gravior, illa gravissima; verum exinde non licet concludere leviores sub lege non comprehendi, quod possint comprehendi graviores.

Mens autem legislatoris, et finis legis, ni costet aliunde, ex ipsa lege dimetiendus est, quae tam late patebit, quam late se extendunt obiecta quae sub verbis cadunt; si igitur lex prohibens erit, ea omnia hominum facta excludet, quae sub genere prohibito comprehendentur: atqui lex prohibet *peccatum turpe ac inhonestum contra sextum Decalogi praeceptum:* turpiloquium ad eiusmodi peccatorum genus pertinet; ergo et turpiloquium sub Constitutionibus Benedicti comprehenditur.

Etiamsi vero fatear, praeter obscaenos sermones, in genere luxuriae, dari actus externos qui praeseferant non modicam turpitudinem exercitam, nescio tamen num hi actus semper sint turpiloquio leviores; scilicet, nescio an turpis tactus unius momenti sit levius peccatum turpiloquio unius horae; ex quo sequeretur, Legislatores sub lege comprehendisse leviora peccata, comparative loquor, et exclusisse graviora. Neque illud praetermittendum; maiorem impudicitiam animique pravitatem prodere homines plerumque in turpiloquio, quam in aliis actibus carnalibus, sacerdotes vero scandalum horrendum porrigere. Qua de causa nec mens Legislatoris, neque finis legis servaretur, si a praedictis Constitutionibus excluderetur turpiloquium.

Dubitari autem non potest de veritate secundae conditionis, quod scilicet peccatum istud debeat esse mortale. Imprimis enim censenda non est Ecclesia voluisse poenae adeo gravi tum poenitentem tum sacerdotem subiacere ob culpam venialem; deinde cum venialia citra culpam possint in Sacramento poenitentiae reticeri, et aliis mediis expiari, inutiliter pro venialibus peccatis lex edita fuisset. Atque idipsum dicito, si dubitetur de gravitate peccati, tum quia ea quae in citatis Constitutionibus flentur nonnisi de peccato mortali certo intelligi possunt et debent; tum quia poena gravissima non incurritur nisi per crimen certum, tum quia putandi non sunt legumlatores atque Praesules mortalia dubia reservare, et adeo graviter punire voluisse.

Atque hinc ex duabus assignatis conditionibus, quod scilicet peccatum debeat esse externum et

grave, concludas oportet, quod si interius gravissime Confessarius peccaverit, minime vero ad externas actiones prosiluerit, peccatum sub lege non cadit.

www.libtool.com.cn

Ex conceptu vero complicitatis patet veritas postremae conditionis, quod scilicet peccatum tum Confessario tum poenitenti debeat esse commune; ubi enim unitas propositi, voluntatis, et actionis deest, complicitas esse non potest; atque de cetero cum Confessario complicis absolutio interdicatur, si poenitens, vel ipse dissenserit, iam deest quaecumque complicitas, secus vel irrogaretur poena virtuti Confessarii, vel poenitentis, prout hic vel ille seductionem respuerit.

Concludas hinc oportet quod si graviter peccaverit Confessarius, dubitet vero an gravit r peccaverit poenitens, poterit absolutionem impertiri, et viceversa; lex enim loquitur de complice formali, quae complicitas in dubio non habetur: Salmanticenses qua de causa optime ratiocinantur: « Idem dicendum est, » quando Confessarius v. g. certo » peccavit, dubitatur tamen, an pec- » caverit poenitens; quia cum praesens Constitutio ad complicem » formalem restringatur, non est » ratio, quare ad illum, qui dubie » solum est talis, sit extendenda » *Loc. Cit.* n. *280.* »

Concludes insuper cum Gury *Casus Conscientiae Tom. II n. 621. et 622.* et aliis « 1°. Non est peccatum complicis, de quo hic sermo est, osculum obeunter datum, aut tactus momentaneus manuum vel honestarum partium ex ioco vel levitate. 2°. Idem est, si Confessarius puellam manu, brachio, vel collo prehendat, atque ipse quidem patiatur delectationem veneream ex sua parte, quamvis etiam externe declaratam, si nullam excitet in poenitente. 3°. Idem si Confessarius puellam dormientem, vel omnino invitam inhoneste tangeret vel opprimeret; idem iterum a contrario, si puella idem faceret Confessario 4°. Si Sacerdos induceret foemi- n ad credendum, nullum esse pec-a- tum, si turpiter ab ipso tangi se sineret, et ea ab ipso decepta, bona fide se turpiter tangi pateretur, quin formaliter peccaret, non esset complex, et ab eo Sacerdote absolvi posset. 5°. Si muliere ebria vel dormiente ad libidinem explendam uteretur, quia neque ebria neque dormiens ut complex formaliter haberetur: » Verum hi duo postremi casus rari admodum sunt.

Cetera vide penes probatos auctores.

Monitum ad lectores.

Pag. **333** Col. **1.** Scripsi et casui proposito hanc dedi resolutionem: « Puto illam posse a peccato com- » plicitatis indirecte absolvere, ea » tamen conditione, ut ei onus im- » ponat subiiciendi alii Confessario » illud peccatum vix occasio op-

» portuna sese exhibuerit, quo di-
» directam absolutionem referat »

Erravi. Cum enim Benedictus XIV universam absolutionem invalidam et nullam esse decernat, utpote quia Confessarius iurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existat, nullo pacto posset cetera peccata directe absolvere, et indirecte peccatum complicitatis. Quare in casu exposito Confessarius potest complicem suum directe absolvere, veluti si in mortis articulo esset constitutus; omnino enim in casu exposito legis vigor est mitigandus, atque Salmanticensium tenenda sententia, qui de praecepto annuae Confessionis loquentes haec dicunt: « Dum urget praeceptum Confes-
» sionis, quod non adimpleri non
» potest absque infamia, valet sa-
» cerdos inferior absolvere directe
» peccata non reservata, et indirecte
» peccata reservata; ergo complex
» in peccato turpi poterit in casu
» quaestionis absolvere poenitentem
» ab aliis peccatis directe, et a
» peccato turpi indirecte. Adde
» quod peccatorum reservatio debet
» esse in aedificationem, non in
» destructionem; et si in tali casu
» lex rigorose observaretur, potius
» destrueret quam aedificaret; unde
» mitiganda est ». Appendix Cap. VI n. 262. Etsi ego quoad absolutionem indirectam, ob rationes expositas, Salmaticensium sententiam amplecti verear, atque putem, Romanos Pontifices in hisce casibus extremae necessitatis Confessariis complicibus iurisdictionem et facultatem restituere, prout eis in articulo mortis restituunt, tamen Salmanticensium conclusionem amplector, et teneo.

Neque quoad indirectam absolutionem comparatione moveor peccatorum reservatorum; nam in peccata non reservata Confessarius legitimam habet iurisdictionem et facultatem: quare illa directe absolvere potest; at dum de complicibus sermo est, Confessarius auctoritate absolvendi privatus existit etiam relate ad alia peccata quae poenitens una cum complicitatis peccato accuset; qua de causa neque illa directe absolvere potest. Ne igitur dicantur Romani Pontifices etiam casus extremae necessitatis excepisse, et pro iis legem in destructionem non in aedificationem evulgasse, putandi sunt in praedictis casibus facultates opportunas Confessariis complicibus restituere, prout in articulo mortis restituerunt. Ad quot autem casus Theologi articulum mortis extenderint, lectores sciunt.

APPENDIX X.

D· EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA USURPATORES BONORUM ECCLESIASTICORUM

www.libtool.com.cn

Aegro prorsus animo Caput XI *Apostolicae Sedis* pertractandum suscipio. Etsi enim in eo excommunicatio lata sit contra *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut Beneficiorum pertinentes;* tamen tanta inter fideles ipsos eorum bonorum est aviditas, ut latam excommunicationem omnino spernere videantur, quin et in tantam insipientiam nonnulli proruunt, ut, dummodo vel domum, vel agrum Ecclesiae emere a Daemanio possint, aere alieno se gravare non metuant.

Hi vero innocentiores prae ceteris, qui nimio fortasse religionis pietatisque fervore abrepti, reverendum esse inquiunt, ad illa beata Ecclesiae tempora, quando Christus pauper et in laboribus a iuventute sua mittebat Apostolos sine sacculo et sine pera et sine calceamentis adpraedicandum Evangelium universae creaturae; quando Apostoli et discepuli habentes alimenta et quibus tegerentur, his contenti erant; quando honores, divitias, possessiones, ceteraque mundi bona arbitrabantur ut stercora ut Christum lucrifacerent; atque eiusmodi religionis zelo, et Christi Domini nostri amore ferventes, e Monasteriis utriusque sexus monachos expellunt, ut eorum bona occupent; et quoniam charitas benigna est et non agit perperam, dant eis pensionem, quae si fortasse eorum necessitatibus plene non subveniat, mementote, inquiunt, quod Apostolus argentum et aurum non concupivit, atque ad ea quae ei et iis qui cum ipso opus erant ministraverunt manus eius. Ita et vos facite.

Bona verum Ecclesiarum Patriarchalium et Cathedralium vel *conversione* diripiunt, vel *daemaniatione;* et ne Canonicorum guttura in dei laude deficiant, pensionem pariter subministrant, detractis expensis omnibus pro cultu, pro administratione quam ipsi gerunt, ne Deo militantes implicent si negotiis saecularibus. Equidem aliquando Canonici Cathetralium, ut ego ipse vidi, eleemosinam ab Episcopo quaerunt, cum pensio nullimode eorum necessitatibus faciat satis, atque ita miserrime vivunt, praesertim si parentibus penuria laborantibus circumdentur, ut melius villici et baiuli se habeant atque vespertitiones. Sed quid inde? Non vides quanta bona? Et Canonici imitatores fiunt discipulorum Christi, et Episcopi eleemosinae porrigendae frequentiorem nabent occasionem.

Quid igitur de Episcoporum bonis? Papae; Episcopatus Italiae sunt nimis opulenti; Episcopi plurimis servis stipantur, curru incedunt atque ornatu elegantiori: atqui id minime convenit Apostolorum successoribus, qui pedites, et sin absque sacculo et pera, viaria fortasse onusti sarcina, huc illuc fidem praedicaturi peregrinabantur; Episcopatuum igitur bona convertantur, Episcopi morem Apostolicum gerant, atque detur et ipsis pensio pro quantitate redditiuum, omnibus expensis detractis. Sed hae quantae erunt? Novit Daemanium; et Daemanium iustitia et religione praestat.

Quid autem quod Episcopi pauperibus subvenire debeant, Clericorum seminariis, Ecclesiis egentibus, viduis, pupillis et orphanis? Collectas more apostolico instituant. Nonne etiam apostolorum et primaevae Ecclesiae temporibus calamitosi aderant et tamen Apostoli et Episcopi in nulla re eis deerant? Si illi ita faciebant, quare idipsum moderni Episcopi non faciunt? Apostolica charitas undenam abiit? Ehu quomodo defecit!

Sed quid? quod tunc fideles ferventiores erant, et Evangelicos operarios, iuxta Christi Domini sententiam, dignos mercede sua reputantes, quae ad victum atque vestitum necessaria erant, suppeditabant? Quid; quod vendebant agros pretiaque ad pedes Apostolorum ponebant? Quid quod domibus excipiebant etc. etc. etc. Revertantur Ecclesiastici ad illam beatam paupertatem, et haec heroicae charitatis exempla renovabuntur. Quomodo vultis ut fideles Ecclesiasticis subveniant, cum vident eos undequaque bonis omnibus abundare, se autem eorum comparatione egere? illos epulones, se autem Lazaros esse? Fiat conversio, et omnes et omnia ad loca sua redibunt.

Atque hinc nedum Religiosorum et sanctimonialium monasteria, nedum Cathedralium, Collegiatarum. Patriarchalium ecclesias diripuerunt, sed ut omnes, qui aliquo modo ad Ecclesiam pertinere dignoscuntur, tanto beneficio et beata paupertate gaudeant, nunc et Parochorum et Confraternitatum bona quaerunt, ut ea vel convertant, vel daemanio capiant, ita ut ecclesiasticis vitam aeternam relinquant, et ipsi pro se temporalem eligant.

Ne huius Commentarii lectores Commentatori irascantur, si omnimodis praetermitteret rationes et argumenta, quibus Ecclesiam bona temporalia iure possidere probatur, atque nullimode bona quae primitiva Ecclesia possidebat recenseret; hanc tractationem Capitis expositioni praemittere iudicavit, ut qui nesciunt per summa capita quid, circa hanc quaestionem, tenendum sit sciant.

Itaque 1°. Ecclesiam universitatem et perfectissimam societatem esse nemo negaverit; quamlibet autem societatem bonis communibus et temporalibus ad conventus exer-

rendos, ad stipendia ministris exhibenda, ad opera externa praestanda sive quae charitatis sunt, sive ea quae necessaria existimantur ad sui propagationem vel conservationem, indigere, res est adeo explorata, ut exploratum est, nullam unquam in orbe fuisse societatem, quae bona temporalia non possederit. Fortasse ne Ecclesia spirituum et Angelorum, qui nec victu nec vestitu indigent, neque domibus vel templis in quibus commorentur, non hominum societas est, qui corpore et anima costant? Hi ergo homines ad Ecclesiam pertinentes in iis quae communia atque necessaria cum ceteris hominibus habent ita regi debent ut ceteri reguntur, ea iura tribui quae ceteris tribuuntur: Si ergo his ius possidendi, acquirendi, conservandique bona temporalia quisque tribuit atque vindicat, quare eodem iure privabitur Ecclesia, iisdem laicorum necessitatibus subiacens?

Neque contrarium ex aliquo evangelico textu deduci posse arbitror. Quamvis enim ultro libenterque concedam, viris in sortem Domini vocatis nullimode laicorum more bonis temporalibus esse inhiandum, eosque victu atque modesto vestitu contentos corda sursum ad Dominum erigere debere, atque temporalibus ita uti, ut auxilio iis sint securius ac liberius quae Dei sunt, non quae mundi, praestandi; eos tamen ab illa sordida paupertate excludere necesse erit, quae mundo ipsi comptemptui est, quaeque a Christo certe non fuit Ecclesiae praecepta. Etsi enim Apostolus 2. Cor. VI. 10 dixerit: *nihil habentes,* dixit etiam: *omnia possidentes:* Etsi Christus discipulos interrogaverit Luc. XXII. 25 *Quando misi vos sine sacculo et pera, numquid aliquid defuit vobis?* Illi tamen responderunt: *non:* Etsi dixerit: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* Luc. 33.; dixit etiam; *omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.* Matth. XIX 29. Quamvis Apostolis suis dixerit Matth. X 9. *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam;* tamen haec ita dixit, ut nihil esset Apostolis defuturum: *dignus enim est operarius cibo suo.*

Etsi apertissime fassus sit: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput reclinet* Luc. IX. 38; tamen neque domo neque tecto, dum regni Evangelium praedicavit, caruisse Christum legimus; et legimus e contra loculos habuisse, ut et fidelibus oblata conservaret, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribueret; non enim loculos illos adeo miserabiles fuisse

arbitrari debemus ut apostolorum victui quotidiano satis tantummodo fuerint. Unde enim hi secus emere potuissent *ducentorum denariorum panes?* Marc. VI. 37. Unde *in omnem hanc turbam escas?* Luc. IX. 13. Unde *abire in civitatem ut cibos emerent?* Ioan. IV. 8. Quamvis itaque paupertatem, humilitatem, mundique contemptum Apostolis et Discipulis verbo et exemplo Christus persuaserit, non illam tamen paupertatem, ut victum mendicando quaererent. Voluit enim ut nihil deesset Apostolis.

Atqui eis cui nihil deesse debet, aliquid certe, ne dicam plurimum, habendum est, ne desit aliquid.

Ex Christi verbis igitur, multo minus exemplo, non sequitur Ecclesiam nihil possidere debere neque posse; contrarium potius sequitur: At si Ecclesia aliquid possidere potest, possideat agros, domos, vel pecuniam, res adiaphora est. Unum igitur Christus voluit, ut Apostoli scilicet, eorumque in Sacerdotio Successores, ii etiam qui Ecclesiae ministerio mancipandi essent, ab omni terrenarum rerum affectu essent immunes bonisque temporalibus uterentur tum in propriam decentem sustentationem, tum in divinum cultum splendidius peragendum, tum pauperum levamen et adiumentum; non autem ut nihil Ecclesia ab ipso instituta possideret. Si enim his contraria dicamus, difficillime explicari posset ipsa Ecclesiae agendi ratio in prima illa aetate, quando vel Apostoli et discipuli vivebant, vel ii qui eos fuerant allocuti, eorumque magisterio edocti.

Nullimode enim negandum est, primis tribus saeculis Ecclesiam bona stabilia, ut inferius videbimus, possedisse: atqui haec possedisse Christi voluntate, et non aliqua hominum lege inde patet, quod Christiana Respublica ab initio contra voluntatem eorum qui tunc imperio potiebantur fuerit instituta, cui proinde civiles leges aliquid possidere negabant, cum esset coetus iuribus publicis dissociatus.

Quid ergo dicemus? Ecclesia tunc temporis bona habuit: haec vero iure civili non possedit; possedit igitur iure proprio et nativo; ius ergo illud non erat contra Christi voluntatem; sin minus enim Ecclesia ab exordio nuncium voluntati et mandato Christi remisisset.

Quod si dicere velimus, ethnicos aliquos imperatores christiano coetui possidere permisisse, in idipsum res recidit; cum nullimode putanda sit Ecclesia contra evidentissimum Christi mandatum Caesarum edicto vel permissioni ob temperasse.

Ut autem aliquid de Ecclesiae bonis primis tribus saeculis scribatur, ultra fateor, non potuisse certe tunc temporis multa stabilia bona ab Ecclesia possideri, persecutiorum, quae tum ingruebant, causa.

Cum enim qui christiani essent, nedum mortis damnarentur, sed

eorum etiam bona addicerentur fisco, imprudentissime se gessisset Ecclesia si bona immobilia, quae a fidelibus offerebantur, sibi reservasset; tunc enim non ad pauperum inopiam, non ad proprias necessitates sublevandas, sed ad persecutorum avaritiam explendam reservasset.

www.libtool.com.cn

Minime tamen negandum est, saeculo secundo et tertio, sua fuisse Ecclesiae stabilia bona. Lampridius enim in vita Alexandri Severi refert, ab hoc Imperatore templum Christianis addictum, de quo caupones controversiam agebant. « Cum » Christiani quemdam locum, qui » publicus fuerat, occupassent; con» tra popinarii dicerent sibi eum » deberi, rescripsit, melius esse ut » quomodocumque illic Deus cola» tur, quam popinariis dedatur. »

Ergo saeculi tertii initio, Christiani loca publica occupabant; habebant scilicet templa, in quibus, religionis causa, convenirent; quae cum Imperatorum Rescripto possiderent, omnino credere debemus, Ecclesiam domos quoque et agros possedisse, quorum redditibus et sacri ministri, et pauperes alerentur, et impensis pro Religionis cultu subveniretur.

Certum insuper omnino est, saeculo tertio a civili auctoritate agnitum approbatumque fuisse ius christianorum publica coemeteria possidendi, cuius iuris indubia vestigia sub Pontificatus Zephirini, Romae praesertim et in Africa Proconsulair apparent; atque cum huius Pontificatus initio coincidit Rescriptum Septimii Severi, qui confirmavit, et in universo Romano imperio ratum haberi voluit privilegium Coemeteriorum collegialium atque societatum sub eiusmodi titulo institutarum; quae coemeteriales areae adeo publicae erant, ut Chartagine a gentilibus conclamatum sit contra *areas sepulturarum* Christianorum.

At hisce societatibus collata fuisse cetera iura quae cuilibet societati pertinerent, a Gaio discimus, qui in Digesto III. 4. 1. §. 1. ait: « Qui» bus permissum est corpus habere » collegii, societatis, sive cuiusque » alterius eorum nomine, proprium » est ad exemplum reipublicae ha» bere res communes, arcam com» munem, et actorem sive Syndi» cum, per quem tanquam in Re» publica, quod communiter agi » fierique oporteat, agatur, fiat. » Vixit Gaius Antoninorum tempore.

Atqui Ecclesiam christianam, seu christianorum coetum veluti corpus collegiale spectatum et habitum fuisse, praeter argumenta supra allegata, omnino demonstravit D. Ioannes de Rossi in sua *Roma Subterranea* Tom. 1. pag. 104.

Ergo Ecclesia Christiana et iura possidendi habuisse dicenda est.

Quoniam vero pax christiana primaevis illis saeculis res valde inconstans erat, fidenter asserimus, ab Ecclesia primaeva non adeo bona immobilia possessa fuisse, quomodo hodiedum contingere videmus; id

enim christiana prudentia vetabat; Ex hoc vero nihil contra iura Ecclesiae sequitur; sicut nil sequitur contra eum qui nihil possideat, quod possidere non possit; at nos de iure quaerimus.

Attamen plura stabilia primis tribus saeculis Ecclesiam reapse possedisse, testis omni exceptione maior est Eusebius, qui H. E. lib. II. Cap. 39 Constantini legem profert, qua iubet restitui Ecclesiis domos, possessiones, agros quibus persecutionis tempore expoliatae fuerant. « Omnia » ergo quae ad Ecclesiam recte visa » fuerint pertinere, sive domus ac » possessio sit, sive agri, sive horti, » seu quaecumque alia, nullo iure » quod ad dominium pertinet im» minuto, sed salvis omnibus atque » integris manentibus restitui iube» mus. »

Ecclesia igitur possidebat agros, domos, possessiones; habere ergo se putabat eadem iura ac quaelibet alia societas.

Unde autem arbitrabimur haec possidendi iura sibi Ecclesiam arrogasse nisi ex quo omnino persuasum haberet, nullimode contra legem Christi se agere, ita agendo? Dicas enim vel edicto imperatorum possedisse, vel contra, id unum dicturus eris, Ecclesiam semper putasse iure potuisse possidere; non enim dicenda est Imperatorum edictum praecepto Christi praetulisse.

Attamen praeter haec immobilia bona, alia plurima habebat Ecclesia, quibus abundanter tum Ministris, tum cultui divino, tum pauperum necessitatibus subveniebat. Fideles enim ea, qua aestuabant charitate, abundanter adeo Ecclesiis tribuebant, ut de oblationibus eiusmodi pulcherrime Tertullianus in Apologetico, tum Iustinus in sua Apologia secunda pro christianis· « Qui copiosiores sunt, hic inquit, » et volunt, pro arbitrio quisque suo » quod visum est contribuunt; et » quod ita colligitur, apud praepo» situm deponitur, atque inde opi» tulatur pupillis et viduis, et his » qui propter morbum vel aliam » causam egent. »

Ille vero. « Praesident probati » quinque seniores honorem istum » non pretio, sed testimonio adepti, » neque enim pretio ulla res Dei » constat; etiamsi quod arcae genus » est, non de oneraria summa quasi » redemptae religionis congregat. » Modicam unusquisque stipem men» strua die, vel cum velit, et si » modo possit, apponit; nam nemo » compellitur, sed sponte confert. » Haec quasi deposita pietatis sunt. » Nam inde non epulis, non pota» culis, non ingratis voratrinis di» spensatur, sed egenis alendis hu» mandisque, et pueris ac puellis » re ac parentibus destitutis, aeta» teque domitis senibus, item nau» fragis; et si qui in metallis, et si » qui in insulis, vel in custodiis, » dumtaxat ex causa Dei Sectae, » alumni confessionis suae fiunt. »

Hae autem largitiones etsi voluntariae, ita tamen copiosae erant,

ut neque christiani pauperes se his abstinerent. Qua de causa Cyprianus, sermone de eleemosyna ita avaritiam divitum increpandam duxit.

« Pudeat divites sterilitatis atque infelicitatis suae; vidua et inops vidua in opere invenitur. Cumque universa quae dantur, et pupillis et viduis conferantur, dat illa, quam oportebat accipere, ut sciamus quae poena divitem sterilem maneat, cum hoc ipso documento operari etiam pauperes debeant.

Quid; quod ipsi Ethnici conquerebantur, a christianis possessiones vendi, earumque pretium apud Ecclesiam deponi? De eiusmodi incredibili charitate ita Prudentius Poeta canit in hymno S. Laurentii Mart. Tum summa cura est fratribus,

Ut sermo testatur loquax,
Offerre fundis venditis
Sexterciorum millia.
Addicta avarorum praedia
Foedis sub auctionibus
Successor exheres gemit
Sanctis egens parentibus.
Haec occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.

Hymn. 2. de coronis.

Ne quisquam tamen putet, voluntariis tantum tunc temporis fidelium largitionibus vixisse clericorum coetum; quandoquidem Episcopi et collectas et tributa fidelibus imponebant ad sublevandas Ecclesiarum fideliumque necessitates. Tertulianus hinc iam montanisticae sectae addictus Episcopis improperat quod a gentium magistratu pecunia redimerent potestatem fideles in religiosas synaxes congregandi: « Massaliter, totae Ecclesiae tributum sibi irrogaverunt! Hanc Episcopatui formam Apostoli providentius condiderunt, ut regno suo securi frui possent sub obtentu procurandi. Sed quomodo colligemus, inquis, quomodo dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo et Apostoli, fide non pecunia tuti. »

Et adversus Psychicos. « Episcopi universae plebi mandare ieiunia assolent; non dico de industria stipium conferendarum, ut vestrae capturae est. »

Hae vero eleemosynae tantae erant, ut nedum propriis ecclesiis sed etiam alienis sublevandis pares essent; atque hinc de Ecclesia Latina ad Soterem Papam scribit Dionysius Corinthus, Ecclesiae Romanae liberalitate universis Orbis Ecclesiis fuisse subventum. « Haec vobis consuetudo est iam inde ab ipso religionis exordio, ut fratres omnes vario beneficiorum genere afficiatis et Ecclesiis quamplurimis, quae in singulis urbibus constitutae sunt, necessaria vitae subsidia transmittatis; et hac ratione tum gentium inopiam sublevatis, tum fratribus qui in metallis opus faciunt necessaria suppeditatis. »

At exinde argumentum duci posse censeo ad probandum, nedum pecuniarum vim ingentem ex fide-

lium largitionibus collectam Ecclesiam Romanam possedisse, sed etiam stabiles redditus habuisse, quibus tanta et tam universaliter praestare posset.

www.libtool.com.cn

Sed esto; fuerit illa pecunia ex largitionibus collecta: quid inde? Nonne aerarium, quoddam ut ita dicam, erat Ecclesia, ex quo omnibus tum officiis tum personis subveniebatur? Quid autem interest pecuniam possidere vel domos aut agros?

Atque ex eiusmodi persuasione, quam semper Ecclesia habuit, ius scilicet nativum et proprium sibi possidendi bona immobilia ut mobilia competere, factum esse puto, ut contra illorum invasores aut usurpatores in plurimis Conciliis excommunicationem iniecerit.

Ut nonnullos, ad Lectorum eruditionem, canones antiquae Ecclesiae subiiciam; in Concilio Aurelianensi III. anno 538 habito, Can. XXII. statutum fuit, ut a communione Ecclesiastica suspenderetur quicumque non tantum res Ecclesiae debitas, sed proprias ipsius Sacerdotis occupasset aut retinuisset.

« Si quis res Ecclesiae debitas » vel proprias Sacerdotis, horrendae cupiditatis instinctu, occupaverit, retinuerit, aut a potestate » ex competitione perceperit (1); » aut eas non restituat, nullis rebus » excusetur. Sed si agnito iure ecclesiastico, non statim Ecclesiae » vel Sacerdoti reformaverit, aut » ut ipsum agnoscere possit, in » iudicium electorum venire distulerit; tamdiu a communione ecclesiastica suspendatur, quamdiu » restitutis rebus tam Ecclesiam » quam Sacerdotem reddat indemnem. Similis etiam his, qui » oblationes defunctorum legaliter » dimissas quolibet ordine assignare » tardaverint, vel retinere praesumpserint, districtionis ecclesiasticae iuxta priores canones forma servetur. Cui etiam sententiae » subiacebit, quisquis ille quolibet » ordine, qui quod pro devotione » sua Ecclesiis dedit, revocare praesumpserit. »

Ecclesia scilicet adeo persuasum semper habuit, ius sibi competere quaelibet bona possidendi, ut et iu-

(1) Potestas igitur, ex cuius imperio bona ecclesiastica possidet christianus, nullimode hunc ante supremum Iudicem Deum excusabit. Praestat hoc loco referre, quae narrat Gregorius Turonensis lib. 4. de Gestis Francorum Cap. 2. « Clotarius Rex indixerat, ut omnes » Ecclesiae regni sui tertiam partem fructuum fisco solverent. Cui licet inviti sancti Episcopi consensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Iniuriosus respuens, subscribere dedignatus est, dicens: *Si volueris rem Dei tollere, Dominus regnum tuum auferet; quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* Et iratus contra regem, nec vale dicens abscessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem Beati Martini, emisit post eum cum muneribus veniam petens, et hoc quod fecerat, damnans, simulque rogans, ut pro se virtutem beati Martini Antistitis exoraret. » Huic lectores conferant eum iis quae nunc fiunt.

Competitio autem habetur quando plures rem eamdem petunt, praesertim a iudicibus. Pro re nostra intellige licitationem.

dicia atque excommunicationem in eos instituerit, qui illa quomodolibet usurpare praesumpsissent.

Qua de causa haec ipsa repetita invenimus in Concilio Aurelianensi V. (an. 549) Can. XIII, in quo Patres contra usurpatores sententiam dixerunt, quod bona ecclesiastica invadendo, pauperum necatores efficerentur.

« Ne cui liceat res aut facultates » Ecclesiis, aut Monasteriis, aut Xenodochiis pro quacumque eleemosina cum iustitia delegatas retentare, alienare, atque subtrahere. » Quod quisquis fecerit, tanquam » necator pauperum, antiquorum » canonum sententiis constrictus ab » Ecclesiae limitibus excludatur, » quamdiu ab ipso ea, quae sunt » ablata vel retenta reddantur. »

Una igitur e potissimis rationibus, qua Ecclesia in usurpatores huiusmodi multa severitate animadvertit, ea fuit, quod bona Ecclesiastica pauperum sint patrimonia, in pauperes, in cultum divinum, in ministrorum alimenta impendenda.

Atque haec praecipua ratio fuit, qua Patres Concilii Meldensis anno 845 celebrati Carolum Calvum libertate quae Episcopis decet, monendum censuere, ut ablatas res ecclesiasticas restitueret, utque eas depraedari ultro prohiberet:

Can. XVII. « Ut res ecclesiasticae » tempore principatus vestri » ablatae ex integro praesentialiter » restituantur, et restitutae conserventur, sicut tempore avi et patris vestri fuerunt, et excepto » superposito, quod ad usus possidentium absumtum est, quomodo » tunc erant, quando vos illas inde » tulistis, sine refragratione reddantur. Hinc enim in Canone quinto » Aurelianensis quinti, tit. 14 scriptum est: Ne cui liceat res etc. » *ut supra.* »

Atque inde Regem enixe exorant Can. XXIV. « Ut contra depraedatores et oppressores Ecclesiarum et rerum ad easdem pertinentium defensores secundum » ministerium vestrum, quantum » Deus posse dederit, existatis; et » praecepta, quae avus et pater Ecclesiis ditioni vestrae subiectis fecerunt, ac firmaverunt, et stabilita confirmaverunt, quaeque vos confirmastis, de cetero rata in omnibus conservetis. »

Sed dicunt hi: Fortasse ne Ministri altaris in pauperum alimenta et Ecclesiarum divinique cultus splendorem proventus erogant ecclesiasticos, et non potius in alios usus? ad acquirendas, scilicet, vel augendas familiarum suarum divitias, in victum atque superfluum vestitum, in venationes, itinera etc.?

Et utinam hic ecclesiasticae pecuniae abusus a plerisque numquam factus fuerit, neque fiat! Sed quid inde? Fortasse ne quod divites divitiis abutantur suis, fures et latrones illi non erunt, qui iniuste bona eorum occupent diripiantque? De iure contendimus, non de usu.

Etiamsi vero eiusmodi abusum

a plerisque factum fuisse concedam, atque ob hanc causam Deum in Ecclesiasticos fortasse expoliatione animadvertisse, nullimode tamen negandum est, ingentem eorumdem bonorum vim in pauperum, Ecclesiarum, cultusque divini nitorem consumptam fuisse.

At tu qui ita Ecclesiasticis improperas, in quos usus diremptam pecuniam nostram, ablataque Ecclesiarum bona consumpsisti?.... (1).

Haec autem firmiter adeo custodita in Ecclesia reperiuntur, ut in Concilio Turonico sub Alexandro Papa III, anno 1163 celebrato, poenae statutae fuerint in ipsos Episcopos et clericos qui laicis aut decimas, aut alia bona ecclesiastica concessissent.

« Quamvis, inquiunt Patres, gra» ve nimis et divini dignum animad» versione iudicii habeatur, quod » laici quidam quod Sacerdotum est » usurpant in ecclesiasticis rebus: » maiorem id incutit formidinem ac » dolorem, quod fomitem sui erro» ris dicunt in ipso Clero aliquo» ties invenire; dum quidam fra» trum et Coepiscoporum nostro» rum, aliorumque Praelatorum Ec» clesiae decimas eis et Ecclesiarum » dispensationes indulgent, et n » devia eos mortis impellunt, qui » praedicatione illorum ad vitae » viam fuerant revocandi. De qui» bus dicit Dominus per Prophetam: » *peccata populi mei comedunt, et* » *ad iniquitatem provocant animas* » *eorum*. Unde statuimus, ut si quis » alicui laico in saeculo remanenti » Ecclesiam, decimam, (2) oblatio» nemve concesserit, a suo statu » tanquam arbor, quae utiliter

(a) Has tamen contra Ecclesiasticos querimonias, Daemaniatores nostri a gentium magistratibus mutuati sunt. In hymno enim S. Laurentii Prudentius Poeta ita gentiles magistratus loquentes induxit:

Hunc esse vestris orgiis
Moremque et artem praeditum est;
Hanc disciplinam foederis
Libent ut auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.

Non me latet, de Exuperio Tolosatium Episcopo narrare Hieronymum, *Christi corpus in canistro vimineo, et sanguinem* portasse *in vitro*, alios in ligneis calicibus sanguinem Christi consecrasse etc. Sed hi erant qui in redemptionem captivorum, in solamen pauperum, in aliosque eximiae et heroicae charitatis usus, vasa sacra argentea et aurea, vel vendiderant, vel confregerant.

(2) Multi nesciunt, vel nescire se simulant, quibus rationibus Ecclesia decimas solvere iusserit. Eas legant in sequenti Can. XIII. Concilii Triburiensis an. 895 celebrati « De de» cimis Augustinus doctor mirabilis sub brevi ratiunecula rem satis dilucidasse videtur, cum » ait: Decimae ex debito requiruntur. Quid si diceret Deus, nempe, meus es homo, mea est » terra quam colis, mea semina quae spargis, mea animalia quae fatigas, meus est solis » ardor, et cum omnia mea sint, tu qui manus accommodas, solam decimam mereberis, sed

» terram occupat, succidatur, et do-
» nec se emendet, lapsum suum
» deflens, subiaceat dolore prostra-
» tus. »

Hic canon habetur Cap. *Quamvis* De decimis.

Velle autem contendere haec ab Ecclesia fuisse constituta turpissimae avaritiae causa, atque contra divinaque et humana iura, est ipsi religioni nuntium remittere.

Vestigiis igitur antiquorum Patrum inhaerere Concilii Tridentini Praesules cum sess. XXII. Cap. XI de Reformatione paenas statuere contra bonorum Ecclesiae aut locorum piorum usurpatores:

« Si quem Clericorum vel lai-
» corum, quacumque is dignitate,
» etiam imperiali, aut regali prae-
» fulgeat, in tantum malorum
» omnium cupiditas occupaverit,
» ut alicuius Ecclesiae, seu cuius-
» vis saecularis vel regularis bene-
» ficii, Montium pietatis, aliorum-
» que piorum locorum iurisdictio-
» nes, bona, census ac iura etiam
» feudalia et emphyteutica, fructus,
» emolumenta seu quascumque ob-
» ventiones, quae in ministrorum et
» pauperum necessitates converti
» debent, per se, vel alios, vi vel
» timore incusso, seu etiam per sup-
» positas personas clericorum aut
» laicorum, seu quacumque arte,
» aut quocumque quaesito colore,
» in proprios usus convertere, illas-
» que usurpare praesumpserit, seu
» impedire ne ab iis, ad quos iure
» pertinent, percipiantur; is ana-
» themati tamdiu subiaceat, quam-
» diu iurisdictiones, bona, res, iura,
» fructus et reditus, quos occupa-
» verit, vel qui ad eum quomodo-
» cumque, etiam ex donatione sup-
» positae personae, pervenerint, ec-
» clesiae, eiusque administratori,
» sive beneficiato, integre restitue-
» rit; ac deinde a Romano Ponti-
» fice absolutionem obtinuerit. Quod
» si eiusdem Ecclesiae patronus fue-
» rit, etiam iure patronatus, ultra

» servo tibi novem, da mihi decimam? Si non dederis mihi decimam, auferam novem. Si » dederis mihi decimam, multiplicabo novem. Si ergo quaerit aliquis, cur decimae dentur, » sciat quod ideo dandae sunt, ut hac devotione Deus placatus largius praestet quae neces- » saria sunt; et ut ministri Ecclesiae exinde relevati liberiores fiant ad spiritualis servitu- » tis expletionem, et ut munus populi exhinc in quotidiana oblatione Domino immoletur, » nec non secundum statuta canonum in sustentationem pauperum, et restaurationem Ec- » clesiarum proficiant, quatuor enim fieri partes iuxta canones iudicamus de decimis et obla- » tionibus fidelium; ut una sit Episcopi, altera clericorum, tertia pauperum, quarta restaura- » tioni Ecclesiarum servetur ».

Prosequitur vero S. Augustinus in cit. Sermone *de reddendis decimis:* « Quod si deci- » mas non habes fructuum terrenorum, quas habet agricola, quodcumque te pascit ingenium. » Dei est; et inde decimas expetit unde vivis: de militia, de negotio, de artificio redde deci- » mas. Aliud enim pro terra dependitur; aliud pro usura vitae pensatur. » Decimae igitur ad fovendam pietatem, ad recognoscendum supremum Dei in res omnes dominium, eiusque immensam charitatem, ad promerendam Omnipotentis providentiam et peccatorum veniam, ad religionis divinique cultus incrementum conferuntur.

» praedictas poenas, eo ipso priva-
» tus existat. Clericus vero, qui
» nefandae fraudis et usurpationis
» huiusmodi fabricator, seu consen-
» tiens fuerit, eisdem poenis sub-
» iaceat, nec non quibuscumque
» beneficiis privatus sit, et ad quae-
» cumque alia beneficia inhabilis
» efficiatur, et a suorum ordinum
» executione, etiam post integram
» satisfactionem et absolutionem, sui
» Ordinarii arbitrio suspendatur.

Ita ut Tridentini Patres poenas contra huiusmodi usurpatores vel alienatores bonorum ecclesiasticorum hoc vel in illo Concilio sancitas, simul collegerint atque renovaverint, nullum excipientes, non regem, non principem, non laicum, non ecclesiasticum. Cum autem tanto iure sibi bonorum Ecclesiasticorum possessionem competere Ecclesia perspiceret, nil mirum si inter caeteros, e iam eiusmodi bonorum usurpatores in Bulla coenae excommunicaverit.

§ 17. « Quive iurisdictiones, seu
» fructus, reditus et proventus ad
» Nos, et Sedem Apostolicam, et
» quascumque ecclesiasticas perso-
» nas, ratione Ecclesiarum, Mona-
» steriorum, et aliorum Beneficio-
» rum ecclesiasticorum pertinentes
» usurpant, vel etiam quavis occa-
» sione, vel causa, sine Romani Pon-
» tificis, vel aliorum ad id legiti-
» mam facultatem habentium ex-
» pressa licentia, sequestrant.

Porro caput nostrum inter et Bullae coenae paragraphum nonnullae differentiae intercedunt, quae probe sunt notandae.

Et 1°. In Bulla Coenae Pontifices loquuntur de iurisdictionibus, fructibus, redditibus et proventibus, nulla de *bonis* facta mentione; at in Constitutione nostra Pius Papa IX bona disertis verbis expressit: ***usurpantes bona.***

2°. ***Iurisdictiones***, quas in numero plurali Bulla coenae commemorat, Constitutio nostra singulari numero recenset: ***usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem.***

3° In Bulla coenae commemorantur fructus, redditus, proventus etiam ***monasteriorum*** seu Ordinum religiosorum: omittuntur vero in Constitutione *Apostolicae Sedis.*

Hae vero differentiae, ut infra videbitur, non uni quaestioni facient satis.

Summus Pontifex itaque excommunicatione plectit usurpantes aut sequestrantes: 1° iurisdictionem, 2° bona, 3° reditus ad personas ecclesiasticas non quacumque de causa, ***sed ratione Suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes.***

Usurpare autem in genere est rem alienam sibi adscribere; stricto autem sensu est sibi tamquam proprium quod aliorum est vindicare. Quo sensu Bonacina *Tract. de Censuris omnibus ecclesiasticis in particulari Disp. 1. q. XVIII. punct. 1. n. 3.* scribit: « hoc verbum accipi
» pro actione, qua quis rem alie-
» nam sibi adscribit tamquam pro-
» priam, seu tamquam sibi debi-

» tam, licet sciat ad alium pertinere; vel ut alii loquuntur, pro » actione qua quis rem alienam rapit, non tamquam alienam, sed » tamquam propriam, seu ac si ad » se pertineret. »

Sequestratio autem, vel sequestrum proprie dictum, est rei controversae, seu fructuum eius apud tertium, securitatis gratia, legitime facta depositio; qua de causa tum reus tum actor concurrunt ad rem, de qua controversia est, apud eum deponendam, qui sequester est. Verum non hoc sensu sequestratio hoc in capite accipitur; sequestrare enim in eo est impedire ne bona, reditus, fructus ab iis ecclesiasticis personis percipiantur, ad quas ratione Ecclesiarum, vel beneficiorum pertinent. Atque quantum ad sequestrantium actionem attinet, sequestrum hoc in capite eumdem sensum habet ac ipsa usurpatio; et hi enim tamquam suum quod aliorum est sequestrant. Differunt sequestrum et usurpatio; quod haec fiat auctoritative, scilicet a potestatibus superioribus; illud vero mediante iudicio iniusto, ideoque intervenientibus quoque potestatibus inferioribus.

Ex iis vero manifestum est, in hanc excommunicationem omnes illos incidere, qui iurisdictionem, bona, reditus ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum pertinentes usurpant vel sequestrant, praesumentes id sibi competere aut licere ratione auctoritatis aut potestatis, qua praediti sunt, aut ratione sententiae plane iniustae latae a iudice aliquo, ut ex. gr. si quis Praetor sententiam dicat pro Titio ut sequestrum apponat fructibus ad Caium ratione beneficii aut Ecclesiae pertinentibus.

Qua de causa usurpatorum nomine venire non possunt privatae personae, (licet haec sequestrantes esse possint), quae bonum aliquod Ecclesiae, sive fructum usurpent; cum in iis usurpatio stricto sensu. prout hic accipienda est, vix aut ne vix quidem concipi possit, cum legibus latis obstringantur, et potius ut fures et latrones sint habendae, quorum actio sub excommunicatione non cadit, quam usurpatores proprie dicti. Optime proinde scribit Roncaglia *De censuris, Tract. IV, Cap. IV. Q. II. R. 1.* « Ad incurrendam hanc censuram interve» nire debet usurpatio, hoc est quod » aliquis surripiat... *auctoritative.* »

Quod si pro Bulla Coenae id valuit, multo magis valet pro Constitutione nostra, quae lata est, ut bona Ecclesiastica a Guberniorum rapacissimis manibus defenderentur, et nihil a privatis personis timendum erat.

Equidem verba generalia sunt; sed quid inde? Nonne sunt expendenda et intelligenda tum in se, tum ad tramites praesertim legum et morum vigentium? Quae autem privata persona bona, fructus, iurisdictionem Ecclesiasticam usurpare

ant sequestrare nunc potuisset etiam attentis legibus guberniorum? Nulla. Usurpatio vero in suo conceptu nonne potestatem dicit et requirit? Et ipsa sequestratio, dummodo voluntaria non sit, nonne iudiciali sententia interveniente fieri debet? Qua ergo ratione possumus inter usurpatores privatas personas annumerare?

Privatae igitur personae ab eiusmodi censura sunt excludendae, et tantummodo illae accensendae quae potestatem habent et auctoritatem sumendi tanquam suum quod Ecclesiae est et erat.

Quid autem iurisdictionis nomine hic loci intelligitur? Comprehendit ne tum spiritualem tum temporalem; vel ad hanc tantummodo coarctatur?

Et quidem dubitationi locum praestat ipsa Bulla Coenae, in qua numero plurali *iurisdictiones*, recensebatur. Verum ipsum Bullae Coenae caput impellit quominus de unica temporali iurisdictione, exclusa spirituali, Constitutionis nostrae iurisdictionem intelligamus.

Et 1°. Pius Papa Nonus censuras limitare voluit, non multiplicare; atqui in Bulla Coenae *iurisdictionum* nomine voluisse Pontifices temporales non spirituales iurisdictiones indigitare, multa sunt quae suadent. Atque suadet 1°. quod de spirituali iurisdictione disertis verbis egerant Capitibus XIV, XV et XVI; qua de causa putandi non sunt eamdem excommunicationem voluisse repetere sub dubia verborum forma etiam Cap. XVII.

2° Hoc in Capite agunt Romani Pontifices de rebus omnino temporalibus, uti sunt reditus, proventus, fructus; quibus proinde miscenda non erant spiritualia.

3°. Utuntur vocabulo *iurisdictiones*, numero scilicet plurali; quo quidem vocabulo optime iurisdictiones temporales designari possent, quae variae sunt, prout vario modo tunc competebant eidem praelato ratione eiusdem praelaturae, at iurisdictio spiritualis una est prout respondet dignitati qua quis est insignitus. Atque hinc capite praecedenti ad indigitandam iurisdictionem spiritualem, singulari numero Pontifices usos esse reperimus: *quominus iurisdictione sua ecclesiastica contra quoscumque utantur.*

Cum igitur de iurisdictione temporali, saltem probabilius, ut puto, ageretur in XVII Bullae Coenae Capite noluit certe Romanus Pontifex Pius IX etiam ad spiritualem iurisdictionem Caput illud extendere, atque hanc cum bonis Ecclesiae temporalibus iterum recensere; eo vel magis quod de ea superioribus Capitibus, sexto praesertim, abunde et amplissime egerat.

Neque quis dicat, praedictis Capitibus Pius IX eos excommunicasse qui spiritualis potestatis exercitium essent impedituri; ideoque sub diverso respectu, ac fit in praesenti capite, excommunicationem tulisse: nam nescio quomodo ipsa p-

testas impediri possit, nisi exercitium impediatur: et multo minus nescio quomodo spirituali iurisdictioni sequestrum possit apponi; dum tamen in Constitutione excommunicentur *Usurpantes aut sequestrantes iurisdictionem*.

www.libtool.com.cn

Quod vero quis subsumat; legem nil distinguere, nobisque proinde nullum distinguendi ius suppeditare; id locum habere respondeo, quando in ipsa lege distinguendi nulla ratio reperiatur; id autem in capite nostro nullo modo contingere rationes expositae, ni tamen fallor, diserte probare possunt.

Quid? Dices ne in Italia iurisdictione temporali nullum tunc Episcopum vel Praelatum potitum fuisse; ideoque frustra in hanc usurpantes Pontificem excommunicationem tulisse?

Sed dato et minime concesso quod hi affirmant, fortasse ne Constitutio *Apostolicae Sedis* pro sola Italia lata fuit, vel solos Italos obstringit? aut tantum Italicum gubernium Ecclesiae iuribus adversatur? Deinde, si ita res est, quare etiam alii *Constitutionis* interpretes de temporali iurisdictione Pontificem loqui fatentur, licet et spiritualem adnectant? Difficultas quapropter et ipsos arguentes premit. Ego vero illud addo quod cum in Superioribus Capitibus semper de spirituali iurisdictione, aut de iis quae ad spiritualem iurisdictionem referuntur, locutus sit R. Pontifex: in duobus vero postremis Capitibus nonnisi de temporalibus Ecclesiae rebus, rationabilius concludere possum, in hisce postremis eum noluisse spiritualem iterum cum temporali iurisdictione confundere, et quia inutile erat, et quia confusionem pariebat.

Unicuique vero manifestum esse arbitror, ut ad rem nostram redeamus, praesenti Capite Romanum Pontificem voluisse Patrimonium Ecclesiae integrum a guberniorum unquibus servare, quae vel hoc, vel illo praetextu in illud saepe manus iniecerunt, et iniicere pergunt. Qua de causa ad incurrendam eiusmodi excommunicationem necessarium omnino est, 1° ut iurisdictio, bona, redditus ab Clericorum ad quos ratione vel Ecclesiae vel beneficii pertinent, manibus eripiantur, et ad laicorum potestatem transeant:

Si enim, iurisdictio, bona, reditus Ecclesiae maneant, usurpantes aut sequestrantes excommunicationem non incurrunt, cum patrimonium Ecclesiasticum integrum servetur, et Constitutionis latae finis nullimode violetur.

Ex quo sequitur, quod si quis Ecclesiae Praesul, vel Beneficiatus, vel Parochus bona alterius Episcopi vel beneficiati, aut Parochi non sibi individuo, sed Ecclesiae suae aut beneficio adnectat, excommunicationem non incurrit, quia possideat hic vel ille, patrimonium Ecclesiae integrum servatur.

2° Necessarium est, ut usurpatio aut sequestratio iniuste fiat; si enim quis bona sua quamvis ab Ec-

clesia possessa iuste invadat, vel sequestret, hic non usurpator vel sequestrator habendus est, sed ut ille, qui quamvis modo in lege non praescripto, quod suum est repetit; atque Pontifex de cetero usurpatores patrimonii Ecclesiastici excommunicatione plectere voluit, non propriorum bonorum occupatores, quamvis non servato iuris ordine illa occupent.

Hinc cum mica salis intelligendum est quod affirmat Cardinalis De Luca *Theatrum veritatis et iustitiae Lib. III. Part. 1. De Iurisdictione Discept. 48. n. 7.* scilicet: « Non enim ex eo quod aliquis, » etiam probabilem, beneque fundatam praetensionem habeat ad » bona per alium possessa, sequitur » quod ei licentia tribuenda sit, de » facto ac propria auctoritate se » intrudere, ac pacificum possessorem perturbare; nam debet servatis servandis coram possessoris » iudice competente eius iura experiri; alias semper erit spolium » et illicita turbatio ».

Cum mica salis, inquam, haec sunt intelligenda. Nam quamvis ultro sit concedendum eiusmodi bona, servato ordine iuris esse repetenda ab eo qui certus est ea ad se pertinere, nullimode tamen concedendum est occupatorem excommunicationem incurrere, si spreto ordine in iure constituto, bona illa sibi de facto vindicet; nam excommunicatio lata est contra usurpantes aut sequestrantes ecclesiastica bona; bona autem, de quibus in casu, non sunt Ecclesiae; ergo nullimode occupator illorum lata excommunicatione percelletur.

Probanda exinde mihi quoque videtur opinio a doctissimo Ferraris exposita in sua prompta Bibliotheca. V. Bona Art. 1. n. 30. « Probabiliter credentes Bona Ecclesiae ad se pertinere, si illa occupent, non incidunt in excommunicationem Bullae Coenae et Concilii Tridentini (consequenter neque in excommunicationem latam hoc in capite Constitutionis nostrae), quia ad hanc incurrendam requiritur certa scientia, quód res occupata sit Ecclesiae; unde eam non incurrunt occupantes, qui bona Ecclesiae praetendunt esse sua aliquo iure, quia tunc nec direptio, nec usurpatio cadit in rem uti ecclesiasticam; et sic cessat censura tam Concilii quam Bullarum, ad quam incurrendam requiritur dolus ex proposito ».

Probanda, inquam, haec sententia mihi videtur; cum enim et in nostra Constitutione excommunicentur usurpantes aut sequestrantes bona ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione vel Ecclesiae vel beneficii, iam hi qui ea occupant quod sua aliquo iure esse credunt, neque malum propositum habent, neque iniuriam ecclesiastico coetui inferre volunt, quod probe notandum est, sed tantum id sibi vindicare quod suum esse iure putant.

Advertendum tamen est, ratio-

nes quibus ad ita agendum huiusmodi homines moventur, non futiles, aut inanes esse debere, sed bene in iure fundatas, ita ut certitudinem praebeant; in dubio enim melior est conditio possidentis.

Neque hi in foro externo uti excommunicati essent habendi, dummodo constet, eos ita egisse, quod bona ab Ecclesia possessa sua esse fuerint arbitrati, et titulos ostendant.

Haec vero eruditionis potius causa, quam necessitate ducti scripsimus; cum enim supra affirmaverimus eiusmodi usurpationem auctoritative fieri debere, eam in privatis personis vel nunquam, vel casu admodum raro evenire posse credimus, cum lege ipsa ab huiusmodi usurpatione coerceantur, a daemanii ipsius directoribus, inquam, qui si quem laicum videant in res ecclesiasticas iura allegare, illam modis omnibus cribrant, ne e suis manibus controversa bona excidant.

Exinde quoque fluit, nullimode esse excommunicatos usurpantes bona, vel fructus quos Sacerdos percipit ex bonis patrimonialibus, ad quorum titulum ordinatus fuit; eiusmodi enim bona vel fructus non pertinent ad eum ratione beneficii vel Ecclesiae. Multo minus illos excommunicationem incurrere, qui clerico cuilibet tantum ex fructibus, etiam qui ad eum pertinerent ratione Ecclesiae vel beneficii, sequestrarent, quantum suo credito respondet, modo tamen creditum non excedat. Nam et hi quod suum est accipiunt non quod Ecclesiae, neque alicui iniuriam inferunt.

Sed neque fures, latrones, milites fructus aut bona Ecclesiae surripientes, cum non agant auctoritative, neque ea principaliter ut bona Ecclesiae furentur, sed ut sibi consulant. De qua re nedum habemus Sacrae Congr. Concilii decretum in *Sorana* sub die 27 Februarii 1696 ita expressum « Fures surripientes res Ecclesiae vel » locorum piorum non incurrere » excommunicationem Bullae coenae, neque Concilii ». Sed relate ad Constitutionem nostram propositum fuit sequens dubium S. U. Inquisitioni : « Censura undecima » specialiter reservata Sum. Pontifici » sic exprimitur etc. : Sub nomine » usurpantes comprehenderentur ne » fures, qui furarentur beneficiariis » fructus suorum beneficiorum ».

Feria IV die 9 Martii 1870 Emi DD. dixerunt : *non comprehendi.*

Pariter excommunicati non sunt qui debita beneficiatis vel Ecclesiis non solvunt, ut constat, tum quia hi neque ut usurpantes aut sequestrantes sunt habendi; tum quia pariter in eadem *Sorana* ita a S. Congregatione Concilii definitum esse reperimus his verbis: ***Neque qui debita non solvunt, licet possint, ut in Caietana 15 Novembris 1659.***

Sed nequidem Clerici qui ex agris beneficiorum vel Ecclesiae concidunt arbores, quas concidere

non debent, etiamsi earum fructibus Ecclesia vel successores in beneficio fraudentur; nam hi non sunt inter usurpatores proprie dictos accensendi, sed potius inter fures, et ad restitutionem tenentur.

Neque usurpantes et sequestrantes bona vel redditus Cappellaniarum laicalium; nam Cappellaniae laicales non appellantur nec vero sensu sunt beneficia, sed potius piae fundationes vel pia legata, neque eriguntur voluntate Episcopi; qua de causa eiusmodi Capellaniarum bona stricto sensu vocari ecclesiastica non possunt, etiamsi ex voluntate fundatoris et rei natura cedant in utilitatem Ecclesiae et plerumque alienari non possint sine Apostolicae Sedis venia.

Sed neque illi qui usurpant vel sequestrant bona quidem ecclesiastica, quae tamen non pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum aut beneficiorum, ut ex. gr. sunt bona piorum locorum, id est nosocomiorum, confraternitatum laicalium, et similium; hi tamen incidunt in excommunicationem latam a Concilii Tridentini Patribus Sess. XXII. de Reform. Cap. XI, quarum supra retulimus (*a*).

In hanc pariter excommunicationem latam a Tridentinis Patribus, non vero in eam quae hoc Cap. XI. Constitutionis nostrae speciali modo Romano Pontifici reservata est, incidunt ii omnes qui bona ecclesia-

(*a*) Actuales usurpatores eiusmodi bonorum in Tridentini excommunicationem incidere clarum esse puto. Quid autem dicendum de illorum bonorum usurpatione, quae quidem ad pia loca pertinebant, sed ante actualem invasionem iam in potestatem laicorum transierant, ita laicis administrabantur sine ulla ab Episcopis dependentia?

In eiusmodi bonorum usurpatione valde attendendam esse censerem praescriptionem, seu diuturni temporis intervallum, et tacitam permissionem Ecclesiae. Si enim bona illa iam a multis annis a laicis administrabantur, et Ecclesia nullam de re querelam movit, uti mere laicalia bona illa considerari possunt, et usurpatores ab excommunicatione immunes. At non idipsum censerem, si initio actualis aggressionis bona illa ex. gr. Hospitalium, Montium pietatis etc. ad Laicorum manus transierint, et hisce diebus sub licitatione vendantur: cum enim nulla praescriptio, nullusque tacitus Ecclesiae consensus supponi possit, tum usurpatores, tum ementes in Tridentini excommunicationem incidere certissime tenendi sunt.

Advertendum insuper esse arbitror, sub nomine piorum locorum, de quibus in cit. Tridentini Capite agitur, esse ea pia loca tantummodo intelligenda quae vel ab Ecclesia, vel cum dependentia ab Ecclesia administrantur, non illa vero quae vel a privatis personis, vel a solo gubernio sine ulla ab Ecclesia dependentia reguntur. Concilii enim Tridentini Patres dum sub eorumdem bonorum nomine ea comprehenderunt, *quae in ministrorum et pauperum necessitates converti debent*, non id intellexerunt ut omnes illi excommunicationem incurrerent, qui bona quaelibet, dummodo in pauperum sustentationem cederent, usurparent, sed illi tantummodo qui usurparent eadem bona quae ad Ecclesiam aliqua ratione spectarent: Id ipsi Tridentini Patres indigitant, dum praedictis bonis etiam iura feudalia et emphyteutica adnectunt, quae de iuribus tantummodo ecclesiasticis sunt intelligenda. Atque demum concludunt, personas Ecclesiasticas tantummodo enumerando: *is usurpator, anathemati tamdiu subiacent quamdiu iurisdictiones, bona, res, iura, fructus, et reditus quos occupaverit,...* ecclesiae, eiusque administratori, sive beneficiato *integre restituerit*. Sin haec admittamus, erunt, vi Tridentinae dispositionis, excommunicati etiam qui usurpant bona Cappellaniarum mere laicalium. Quod nemo dixerit.

stica usurpata ab usurpatoribus emunt, vel alio contractu accipiunt; hi enim usurpatores non sunt habendi, quamvis sciant illa esse usurpata; cum enim lex sit odiosa strictae interpretationi subiacet; et cum hic agatur non de natura aut gradu criminis, sed de censura voluntate legislatoris inflicta, locum habet regula iuris: legislator quod voluit expressit, quod autem non expressit, noluisse censendus est. De cetero habetur in re decretum S. U. Inquisitionis, quod ita propositum fuit: « N. N. Episcopus Dioecesis F. » sequentia dubia S. U. Inquisitio » Congregationi proposuit.

I. « Qua parte Tridentinae Cen» surae a Constitutione *Apostolica* » *Sedis* confirmatae adhuc vigeant? » Quod idem est ac quaerere: an » peccans in materia, quam et Con» stitutio Apostolicae Sedis, et Con» cilium Tridentinum attingunt in » duplicem excommunicationem in» cidat, alteram Romano Pontifici » specialiter reservatam vi supra» dictae Constitutionis, alteram sim» pliciter reservatam vi Concilii » Tridentini. Et proinde an usur» patores bonorum Ecclesiasticorum » duplici innodentur excommuni» catione?

II. « An qui emunt ecclesiastica » bona ab usurpatoribus usurpata » incidant in excommunicationem » Romano Pontifici specialiter re» servatam vi Articuli XI. memoratae » Constitutionis?

III. « An saltem in excommu» nicationem Romano Pontifici sim» pliciter reservatam vi Capitis XI » de Reformatione Sess. XXII a » Concilio Tridentino editam ».

S. U. I. Congregatio die 8 Iulii 1874 respondit:

Ad I. *Negative.* Videlicet usurpatores bonorum ecclesiasticorum innodari sola excommunicatione Romano Pontifici specialiter reservata.

Ad II. Minime dubitandum, quin ementes bona ecclesiastica ab usurpatoribus usurpata incidant in excommunicationem Romano Pontifici reservatam; etenim praescindendo an supradicta emptio aliquo modo attingatur a Constit. Apostolicae Sedis Art. XI, nulli dubium esse potest quin comprehendatur a clarissima dispositione Cap. XI de Reform. Sess. XXII. Concilii Tridentini.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Paucis Confessariis dum varii casus vel in fidelium Confessionibus excipiendis exhibentur, vel consilio requiruntur, prae oculis habendum est, quod hic agatur de lege strictae icterpretationi subiecta, et de usurpatione proprie dicta, et quidem auctoritativa, non privata. Qua de causa ubi proprie dicta usurpatio deest, deest et censura. Non ergo sub usurpatorum nomine venire possunt, qui decimas, locationum pretia, Canones emphyteuticos, debita personis Ecclesiasticis non solvunt, neque qui non restituunt res usurpatas quas vel emerunt, vel dono acceperunt, neque qui bona

Ecclesiarum et beneficiorum vastationibus, rapina, incendiis affecerunt; nam hi non sunt usurpatores proprie dicti.

Si igitur supremos magistratus, Deputatos utriusque Parlamenti, et Reges excipias, qui iniquissimam legem de bonis Ecclesiasticis usurpandis approbarunt, vel confirmarunt, nemo alius fortasse huic excommunicationi subiicitur. Idipsum autem de sequestrantibus dici neque potest, neque debet. Cum enim hi etiam inferiores iudices esse possint, qui iniqua sententia praecipiant, bona ecclesiae vel beneficii illius sequestro esse subiicienda, omnino patet, et hos esse ex hoc capite excommunicatos.

At iniqua sententia diximus: cum, scilicet, iudex sine ullo iustitiae fundamento, et mala prorsus fide sententiam dicit de sequestrandis ecclesiasticis bonis. Si enim sententiam proferat vel ad tramites iuris vigentis, vel bona prorsus fide, nulla eum excommunicatione irretiri sentio. Iudices enim iuxta leges vigentes iudicare compelluntur: hi autem ex Cap. VII huius Constitutionis excommunicationi non subduntur, sed ii qui illos cogunt ad trahendum sive directe sive indirecte, sive in civili, sive in criminali, prout ibi exposuimus, ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. Cum autem ad sequestrum approbandum requiratur iudicium, iam iudices qui iuxta leges vigentes id facerent, excommunicatione essent immunes. Atque idipsum dicito, si bona prorsus fide sententiam dicant, putantes, scilicet jura illi qui sequestrum petit, iuxta acta et probata favere; putandi enim sunt ad tramites legis iudicasse: ex hoc igitur capite non sunt excommunicati eo quod ut coacti habeantur; at neque ex eo quod sententiam iniustam dixerint; cum enim haec bona fide lata sit, et sine ullo dolo, culpa caret. At sine culpa excommunicatio non contrahitur.

Idipsum autem de eo qui sequestrum a iudice petit dici non potest; hic enim ex duplici capite excommunicationem incurrit; ex capite quidem VII quod cogat iudicem laicum ad trahendum ad suum tribunal personam ecclesiasticam praeter canonicas dispositiones; et ex capite praesenti quod iniuste, quamvis per sententiam iudicis, bona ecclesiastica sequestret; nullo enim pacto lata sententia eum ab excommunicatione liberat, cum ipsi notum apprime sit eam esse iniustam, et de cetero vere et proprie sub sequestrantium nomine veniat, sub quo, ut iam animadverti, etiam privatae personae venire possunt.

Quid vero de Monasteriorum bonis? Incurrunt ne excommunicationem qui illa vel usurpant vel sequestrant?

Et quidem ad quaestionem impellit ipsum quod pertractamus Caput, cum in eo praetermissa sint monasteriorum bona, quae in Bulla coenae recensebantur.

Interpretes vero digladiantur; et hi quidem affirmativam sententiam tuentur, illi negantem.

Qui affirmant, ab usurpantibus aut sequestrantibus monasteriorum bona excommunicationem praesentis Capitis incurri, rationi innituntur, quod etiam eiusmodi bona pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum, saltem aliquo modo.

Qui negant, firmioribus argumentis nituntur; et horum sententiam sequor et amplector.

Et 1° nullimode dubitandum est, in Capite praesenti illos tantummodo excommunicari qui usurpant vel sequestrant bona ad personas ecclesiasticas pertinentes ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Iam vero Monasteriorum bona sub hoc censu venire non possunt; nam si loquamur de individuis religiosis, qui monasterium constituunt, tam certum est ad eorum neminem Monasterii bona pertinere, quam certum est quemquam illorum voto paupertatis obstringi; cuius voti causa regularium nemo potest bona sive immobilia, sive mobilia possidere. « Nemini Regularium, » inquiunt Concilii Tridentini Patres » Sess. XXV Cap. II, tam virorum, » quam mulierum liceat bona im» mobilia vel mobilia, cuiuscumque » qualitatis fuerint, etiam quovis » modo ab eis acquisita, tamquam » propria, aut etiam nomine Con» ventus possidere, vel tenere; sed » statim ea superiori tradantur, » Conventuique incorporentur. Nec » deinceps liceat Superioribus bona » stabilia alicui Regulari concedere, » etiam ad usumfructum, vel usum, » administrationem aut commen» dam. Administratio autem bono» rum Monasteriorum seu Conven» tuum ad solos Officiales eorum» dem, ad nutum Superiorum amo» vibiles, pertineat; Mobilium vero » usum ita Superiores permittunt, » ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, con» veniat; nihilque superflui in ea » sit; nihil etiam, quod sit neces» sarium, eis denegetur. Quod si » quis aliter quidquam tenere de» prehensus aut convictus fuerit, » is biennio activa et passiva voce » privatus sit; atque etiam iuxta » suae Regulae et Ordinis constitu» tiones puniatur ».

Bona itaque et reditus bonorum nullimode ad religiosos pertinent; qua de causa hi in praesenti capite comprehendi nequeunt sub nomine personarum ecclesiasticarum; nam hae sunt illae ad quas *iurisdictio, bona, reditus pertinent.*

Sed 2° neque eos afficit particula *Suarum Ecclesiarum*: nam Monasteriorum bona, ad Ecclesias non pertinent, sed vel ad ipsa Monasteria, vel ad Ecclesiarum Sacristias.

Non equidem inficior, pleraque ex iis bonis ad Ecclesias monasteriorum pertinere, cum in iis fundatae Capellaniae reperiantur, atque

testatorum voluntate bona relicta inveniantur Ecclesiae ex. gr. S. Francisci, S. Pauli, S. Ignatii, quod in illis Ecclesiis praesertim contingit, quae prius erant sub Cleri saecularis dominio, at id Religiosis familiis nullas fert suppetias: Capite enim nostro non excommunicantur tantummodo usurpantes bona ecclesiastica, sed usurpantes bona quae pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum; cum autem bona haec quae relicta sint religiosorum Ecclesiis non pertineant neque pertinere possint ad religiosos, hinc eiusmodi bona sub censu bonorum, de quibus in Capite non comprehenduntur; et consequenter illa usurpantes vel sequestrantes excommunicationem non incurrunt. De cetero et bona haec vi Tridentinae dispositionis sunt Conventui incorporanda.

Nulla vero quaestio quod ad ipsos pertinere non possint ratione beneficiorum.

Non iis tamen argumentis tantummodo haec sententia innititur, sed et aliis quae probe sunt enucleanda:

In Bullae coenae Cap. 17 excommunicationi subdebantur ii qui *iurisdictiones, seu fructus, reditus et proventus ad.... quascumque ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant vel.... sequestrant.* Ita ut Monasteriorum reditus quoscumque Legislatores disertis verbis expresserint; qua de causa nullum dubium quod qui ante Constitutionem Pianam avidas in Monasteriorum reditus manus iniecissent, excommunicatione plectebantur.

At in nostra Constitutione Pius Papa IX Monasteriorum bona praetermisit, et quidem dum excommunicationem in citato Bullae coenae capite latam instaurare voluit. Hinc vim omnimodam hoc in loco habet effatum illud: *Legislator quod voluit expressit, quod non expressit, noluisse censendus est.* Omnimodam inquam, vim eiusmodi effatum hoc in loco habet; non enim putandus est legislator vel legem non observasse, vel obliteratam Constitutionem ad memoriam non revocasse, cum eam sub oculis habuerit, atque interdum verbis identicis eiusdem sanctiones innovaverit. Quod praetermisit igitur, studio praetermisisse, putandus est. Demum cum lex sit odiosa strictae interpretationi subiicienda est; cum itaque in ea Monasteriorum bona praetermissa sint, nullo modo huius Articuli XI excommunicationi usurpantes aut illa sequestrantes subdi possunt; attamen cadunt sub censura Tridentina, Romano Pontifici simpliciter reservata, ut in decursu huius Commentarii videbimus; sub qua et illi cadunt qui ab usurpatoribus bona ecclesiastica emunt.

Quid insuper de bonis Ecclesiarum vacantium? Illa usurpantes vel sequestrantes incidunt ne in praesentem excommunicationem?

Secernenda plane est hoc in Capite usurpatio illa quae regalio-

rum, vel regaliae nomine cohonestatur, ab usurpatione illorum bonorum Ecclesiarum vacantium aut beneficiorum quae sub regaliae, ut vulgo dicitur, iure non cadunt.

www.libtool.com.cn

Circa haec postrema, quaecumque aliorum fuerit vel sit opinio, tenendum est, illa usurpantes aut sequestrantes excommunicationem huius capitis incurrere.

Eiusmodi enim bona, fructus, reditus pertinent ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum. De qua re ne quis miretur; in Concilio Chalcedonensi anno 451 sub S. Leone M habito Canone XXV statutum fuit, ut bona vacantis Ecclesiae apud Oeconomum servarentur: *Ut viduae Ecclesiae reditus apud Ecclesiae Oeconomum salvus custodiatur.*

Atque hinc Can. XXVI Chalcedonenses Patres sancivere ut Ecclesiae bona ab Episcopo et oeconomo e clero electo administrarentur: « Quoniam in nonnullis Ecclesiis, « ut saepe a nobis auditum est, « Episcopi absque oeconomo tractant res ecclesiasticas, placuit « omnem Ecclesiam Episcopum habentem ex proprio Clero Oeconomum habere; ut nec sine testibus Ecclesiae sit administratio, « nec ideo res eius dissipentur, et « probrum ac dedecus Sacerdotio « inuratur. Si autem hoc non fecerit, divinis etiam Canonibus subiici. »

Haec vero vacantium Ecclesiarum bona successoribus esse fideliter conservanda vel in utilitatem Ecclesiae eroganda in pluribus Conciliis sancitum esse scimus: Ex. gr. in Concilio Ravennatensi V. sub Ioanne XXII anno 1317 celebrato sancitum fuit: Vacanti Ecclesiae « statim per ipsum Episcopum « oeconomus deputetur diligens « et discretus, qui redditus pro- « ventus ac bona ipsius colligat « et conservet, ad eiusdem Eccle- « siae, et successoris defuncti Re- « ctoris utilitatem et statum. » (1)

Bona igitur vacantis Ecclesiae cum omnimodis sint custodienda, ut deinde vel successori tradantur,

(1) Disciplina circa oeconomum cui administratio bonorum vacantis Ecclesiae committeretur, aliquando immutata reperitur, attamen quoad substantiam integra. Ex. gr. in Concilio Aurelianensi secundo sub Childeberto rege an. 538 celebrato vicinioni Episcopo haec cura Canone XVI committitur. « Ut Episcopus qui ad sepeliendum Episcopum venerit, evocatis presbyteris in unum, domum Ecclesiae adeat, descriptamque idoneis personis custodiendam sub integra diligentia derelinquat, ut res Ecclesiae ullorum improbitate non pereant. »

Successivis temporibus eiusmodi curam Archidiacono vel Clero commissam reperimus, quibuscumque saecularibus exclusis. Ita in Concilio Parisiensi V. an. 615, regnante Clotario, habito Canone VII statutum fuit: « Ut defuncto Episcopo, non per praefectum neque per « iudicem, nec per qualemcumque personam res Ecclesiae vel Episcopi propriae a nullo « penitus contingantur, sed ab archidiacono vel Clero in omnibus defendantur et defensentur. Quod si quis immemor huius definitionis temere aliquid exinde auferre praesumpserit, « aut ausu temerario in res ipsas ingressus fuerit, et de dominatione ipsius Ecclesiae abstulerit, ut necator pauperum communione privetur. »

vel iis conserventur qui Ecclesiae illius curam habent, dici nequeunt ad neminem spectare; spectant enim ad eos qui ad sacrorum Canonum praescriptum in Ecclesia vacante succedunt: spectant ergo ad personas ecclesiasticas ratione suarum ecclesiarum vel beneficiorum. Nullimode enim refert quod eiusmodi bona aliquando, ut ex. gr. cum successori tradenda sint, hinc et nunc ad nullam determinatam personam pertineant, cum certum sit ad personam aliquam ecclesiasticam pertinere; neque in Capite affirmatur, personas esse determinatas debere ut incurratur excommunicatio; hac enim in hypotesi nedum finis latae legis quo consulitur integritati patrimonii Ecclesiastici, violaretur, sed remedium usurpatoribus excommunicationem vitandi pluribus in casibus porrigeretur, tempus scilicet expectando quo beneficia vacent, ut eorum bona usurpare possint.

Unum ergo attendendum est: Ut bona scilicet usurpata vel sequestrata pertineant ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Ab eiusmodi quapropter excommunicatione illos excipiendos esse censerem, qui fructus et reditus usurparent alicuius vacantis ecclesiae non successori, vel sacerdotibus Ecclesiae illius distribuendos, sed haeredibus defuncti tradendos; hi enim fructus et reditus non pertinent ad personas ecclesiasticas, licet ab aliquo ecclesiastico beneficio deriventur; neque per illorum usurpationem aut sequestrationem patrimonium ecclesiasticum imminuitur, sed neque coetui ecclesiastico iniuria irrogatur, cum fructus illi ad nullam ecclesiasticam personam spectent. Casus esset si quis usurparet aut sequestraret fructus maturos Parochi mox defuncti consanguineis tradendos.

E contra excommunicationi subiecti essent illi qui pensionem Ecclesiasticam a Gubernio statutam viro alicui Ecclesiae usurparent, quod nonnisi ab ipso gubernio fieri potest, vel iniuste sequestrarent: cum enim pensiones illae tribuantur ratione vel Ecclesiae vel beneficii habendae sunt ut bona, fructus, redditus pertinentes ad personas ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum.

Non eodem tamen ratiocinio uti debemus, cum de regaliorum iure loquimur, ac usi sumus dum sermonem habuimus de usurpationibus bonorum Ecclesiarum vacantium, etsi quoad substantiam par causa sit.

Regaliae porro iure Principes saeculares reditus Ecclesiarum vacantium suos faciunt, conferunt beneficia quae conferre ad Episcopum spectabat, donec novus Episcopus iuramentum fidelitatis praestiterit, et in dioceseos possessionem immissus fuerit; demum praesentant personas idoneas ad beneficia maiora.

Ne igitur error subrepat, ad-

www.libtool.com.cn

vertendum est eiusmodi regaliae abusum, in plurimis regnis legitimum evasisse sive per concessionem sive per tolerantiam Romanorum Pontificum. Qua de causa ubi adhuc viget, Reges nullam excommunicationem contrahunt reditus vacantium Ecclesiarum sibi usurpantes.

At si a Romanis Pontificibus abrogatum fuerit, et Reges vel Gubernia iterum, ne Antecessorum praerogativis fraudentur, illud conservare pertentaverint, vel noviter in regno introducere conentur, nullimode dubitandum est quin excommunicationem huius Capitis incurrant. Usurpant enim fructus, et reditus ad personas Ecclesiasticas ratione suarum Ecclesiarum vel beneficiorum pertinentes. (1)

www.ibtool.com.cn

(1) In Concilio Lugdunensi II. generali XIV sub Gregorio X circa regaliam haec statuta fuere.

« Universos et singulos, qui regalia, custodiam sive guardiam, advocationis vel defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes, bona Ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium usurpare praesumunt, quantaecumque dignitatis honore praefulgeant, clericos etiam Ecclesiarum, monachos monasteriorum, personas ceteras locorum eorumdem, qui haec fieri procurant, eo ipso excommunicationi subiacere. Illos vero Clericos, qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus Ecclesiarum seu locorum ipsorum pro tempore, quo praemissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus.

Verum non exinde abusus cessavit. In concilio enim Herbipolensi anno 1287 sub Honorio IV celebrato Cap. VI iterum statutum fuit: « Qui vacantium Ecclesiarum et decedentium clericorum bona immobilia seu mobilia de cetero usurpabunt, aut usibus propriis deputabunt, sint ipso facto excommunicati. » Atque idipsum in plerisque posteriorib s Conciliis. Ita ut quisque perspicere possit quantopere a principibus saecularibus Lugdunensium Patrum decretum observatum fuerit!

APPENDIX XI

DE EXCOMMUNICATIONE LATA CONTRA EOS QUI INVADUNT, DESTRUUNT, DETINENT CIVITATES ET LOCA QUAELIBET AD ECCLESIAM ROMANAM PERTINENTIA, VEL IN EIS SUPREMAM IURISDICTIONEM USURPANT, ET RETINENT.

www.libtool.com.cn

Postrema quae speciali modo reservata sit Romano Pontifici, est excommunicatio lata in *Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, perturbantes, retinentes supremam iurisdictionem in eis; nec non ad singula praedicta auxilium, consilium, favorem praebentes.*

Contra dominium temporale Romanorum Pontificum pluries conclamarunt antiqui et moderni, non certe Ecclesiae filii; atque pluries vi et armis invasum fuit; et veluti in illud omnes iura possiderent, nunc hac nunc illa provincia decurtatum, quolibet legitimae possessionis iure conculcato.

Ne autem quocumque invadendi iure destituti viderentur postremi usurpatores se scire affirmabant quod: *De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianae et catholicae Ecclesiae filii.* Syllabus §. IX. Prop. 75. ex Litteris Apostolicis *Ad Apostolicae* 22 Augusti 1851; quasi eiusmodi compatibilitas in dubium revocari possit post factum mille annorum, vel quasi ex eo quod perduelles nonnulli de alicuius iure disputent, licitum sit huius iura invadere et impune conculcare. Et tamen haec Nuytz Professor iuris canonici in Universitate Taurinensi docebat.

Quid vero quod alii affirmarunt, quod: *Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime conduceret?* Syllabus §. IX. Prop. 76. Ex Alloc. *Quibus quantisque* 20 Aprilis 1849.

Ad quae profecto quid respondendum sit nescio. Unusquisque enim novit ad quantam libertatem felicitatemque conducta sit Ecclesia postquam Apostolica Sedes civili imperio expoliata fuit!!! Non ego itaque, non quilibet alius, sed facta respondent. Iis vero qui tanta pietate moventur ignoscenda mensura votorum est; verbis enim Ecclesiae libertatem felicitatemque exoptant, dum reapse servitutis eam iugo premunt.

Et quidem quanto sacrilegio quisque novit. Cum enim Ecclesia Christi perfectissima inter omnes societas sit, cui munus commissum docendi omnes gentes viam verita-

tis et iustitiae, easque propterea ab erroribus undequaque sparsis revocandi, ut vitam aeternam assequi possent; nullimode se poterat a civili societate segregare, cum ut hanc edoceret instituta fuerit, sed inter homines versari ut muneri sibi a Christo commisso faceret satis.

Illa itaque tempora, quibus in catacumbis et in cavernis terrae, egens, angustiata, afflicta degebat Ecclesia, non ipsi naturalia fuere, sed difformia; non enim Apostolis suis Christus dixerat: euntes, in solitudinibus errate, in desertis poenitentiam agite, in speluncis cum scorpionibus ferisque habitate, hominum societatem et consortium fugite, sed: *euntes, docete omnes gentes baptizantes eas:* sed: *sicut misit me Pater, et ego mitto vos:* sed: *euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae.* Marc. XVI. 15.

At docere omnes gentes, at praedicare Evangelium omni creaturae nonne importat magisterium et auctoritatem? Christi igitur Ecclesia auctoritate divina fruitur in iis quae ad religionem spectant cunctis hominibus gentibusque praesidendi, et cum nulli alii a Christo eiusmodi munus traditum fuerit, non Imperatori, non Regi, non principi, nullus alius se potest debetque in eiusmodi magisterio ingerere. Ecclesia igitur Christi non potest neque debet a statu separari; homines enim qui per Ecclesiae magisterium edocendi sunt anima et corpora constant; erant Imperatorum Romanorum aliorumque regum subditi, ut modo quorumcumque Regum subditi sunt; atqui hi subditi Ecclesiam per baptismum ingrediuntur, quin cives esse desinant; sunt eodem tempore Ecclesiae, et principum saecularium subditi; horum et illius legibus obstringuntur, et utrique societati obedientiam debent, Ecclesiae praecipue, quia huius finis nobilior.

Sed si universae creaturae obedientiam et obsequium Ecclesiae debent, in conceptu igitur Ecclesiae includitur quod Regina, princepsque sit, non famula, non ancilla; proindeque ab eiusmodi conceptu excluditur incompatibilitas civilis principatus Romani Pontificis, qui huius Ecclesiae iure divino princeps et Caput est.

Nonne enim indecens valde est, eum qui divino iure cuncto populo christiano in varias mundi plagas disperso praesidet, imperioque potitur quali nullus unquam Princeps potitus fuit, saeculi Regibus subiacere?

Sed nonne per octo circiter saecula subiacuit? Quid ergo? Fortasse ne eiusmodi subiectio munus subiacendi infert? Nullimode: et tanto minus infert quanto temporum, locorum personarumque circumstantiae calamitosiores erant, quanto minus ecclesiastica potestas explicare se potuit, quantoque acrius pugnare debuit ut illam potestatis

externae plenitudinem assequeretur, qua a Christo fuerat instructa?

Quod si eiusmodi argumentum aliquid valeret, ad aliaque extenderetur; nemo populis praeesse posset qui aliquando subiacuit; nemo Rex fieri qui quandoque subditus fuit.

Unde vero munia principatus civilis pugnare cum officiis potestatis ecclesiasticae deprehenduntur? Utraque potestas enim ad felicitatem adducit; laicalis quidem ad naturalem, spiritualis ad aeternam consequendam; et sicut naturalis felicitas non opponitur supernaturali, ita neque potestas politica spirituali opponitur; mirifice quin immo mutuo adiuvantur, si consociatae maneant. Cum enim utraque potestas ad felicitatem aeternam adducere subditos debeat, et ecclesiastica quidem immediate; huic vero concredita sint eloquia Dei, ex quorum observantia salus aeterna credentium pendet; atque de cetero quae credenda quaeque agenda infallibiliter suggerat proponatque; haec prae laicali potestate, melius cognoscere potest et cognoscit, quid illi aeternae felicitatis assecutioni opponatur. proindeque prae laicali, tutius relate ad finem humanae societatis populos regere atque moderari.

Haec autem dicimus non ut Ecclesiae imperium universale vindicemus; absit! sed ut demonstremus quantopere a veritate aberrent illi, qui de spiritualis cum temporali potestate compatibilitate disputant.

Profecto hi et intrinsecum utriusque potestatis conceptum in quo nihil pugnans reperitur, et historiam nescire se demonstrant. Nonne enim apud antiquissimos populos, iidem reges ac Sacerdotes? Unde vero in primaeva illa gente utriusque potestatis unio nisi ex iure naturali, ex quo, ut minimum dicamus, deprehendebant, nullimode sacerdotalia laicalis potestatis muniis contradicere, ut simul in uno stare non possent? Et Romani Imperatores nonne summi sacerdotii potestatem sibi adiunxerunt? Quod vero apud haebraeorum gentem iidem iudices et Sacerdotes essent notum omnibus est.

Haebraicae vero nationis *statutum*, si ita loqui fas est, Deus ipse condidit. Deus igitur ipse nullimode Sacerdoti supremo disconvenire iudicavit populo suo et in civili praeesse, cunctaque regere ac moderari?

Si qui ergo sunt qui de temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant, hi non veri catholici, non veri Ecclesiae filii, sed ii sunt qui et intrinsecum ecclesiasticae atque laicalis potestatis constitutionum, et ius naturale divinumque, insuper communem privitivorum saltem populorum consensum vel nesciunt vel perfricte negant. De iis vero impugnatoribus gloriamur.

Quod enim ex verbis Christi: *regnum meum non est de hoc mundo, regnum meum non est hinc*

aliquid contra dominium temporale Romanorum Pontificum obiicere serio possint, non video. Christus enim neque Regem illis verbis se esse (erat enim Rex Regum et Dominus dominantium atque Pilato sciscitanti: Ergo Rex es tu; ex animo respondit: Tu dicis quia Rex sum ego) neque in mundo se regnare aut regnaturum esse negavit.

Putabat autem Pilatus, Christum ad instar Tiberii Caesaris, aut Herodis Antipae accusari quod regnum affectaret, id enim ex accusatione deprehenditur; atque, quod probe notandum est, accusatio erat personalis. Quid igitur Christus Dominus? Negavit utique ad instar Tiberii aut Herodis aut aliorum qui tunc mundi sceptra moderabantur, se regem esse; atque citatis verbis refellere impactam sibi calumniam voluit, quod in detrimentum Romanorum affectaret imperium.

At ex hoc quid contra politicum Romanorum Pontificum dominium? Nihil profecto.

Christus enim dum affirmavit se Regem esse, locutus est vel de temporali, vel de spirituali suo regno. Si de temporali, cum Christus Rex temporalis fuerit, nullimode repugnat, ut Romanus Pontifex qui Christi vices gerit in terris, sit et ipse Rex: Si autem locutus est de regno suo spirituali quid ex hoc? Nihil; utraque enim potestas simul in uno optime stare potest, ut tum in iure naturae, tum sub lege scripta stetit, ipsius Dei Omnipotentis constitutione.

Id vero plurimi ex iis qui de convenientia civilis principatus in Romano Pontifice disputarunt, perbelle intellexerunt: qua de causa seposito Evangelio, ad conditiones hodiernae societatis, italicae praesertim, recursum habuere, ut aliquo pacto se sustinerent.

Dixerunt quapropter; etsi optime factum fuisse ut Romani Pontifices etiam principatum laicalem habuerint, atque illa aetate qua illud arripuere utillime tum in Ecclesiae bonum tum societatis laicalis arripuisse; nunc autem circumstantias esse mutatas, diversas esse populorum aspirationes, proindeque nunc in detrimentum omnium vergi, quod ab initio in omnium utilitatem institutum fuit.

Qui respondeant, rogo. In quo populorum, italici praesertim, civilitati scientiae, et prosperitati adversatur civilis Romanorum Pontificum principatus? Fortasse ne Romani Pontifices Reges civilitati aliquando bellum indixerunt? aut populos sibi subiectos, scientiis opportunis fraudabant duraque servitute premebant? Est ne ullimode subditorum Pontificii status prosperitas comparanda cum ea, qua nunc sub italico gubernio fruuntur?

Profecto ego Gregorii XVI ex parte, et integrum Pii Papae Noni Pontificatum vidi. Partibus non studeo, adulandi cupidine non moveor, neque miseria ad loquendum indu-

cor. Sed utriusque regni, cum eo sub quo nunc vivimus, facta comparatione, nullimode ad bonorum ecclesiasticorum depraedationem habito respectu, et non ad ecclesiasticum, sed ad laicalem coetum respiciens: utinam, omnes conclamare compellimur, utinam ad illa tempora revertamur quando comedebamus panem in saturitate; quando pax et iustitia obviabant sibi, quando unusquisque securus dormiebat sub ficu sua et sub vite sua quando poenis plectebantur improbi, honesti vero homines ea libertate fruebantur, quam frustra nunc quaerimus.

Nunc autem quid? Utique per vias et plateas, in senatu et Foro libertatem ad caelum usque extolli audimus; sed quae libertas? Omnimoda licentia! Homicidium, scilicet, furtum, fornicatio, adulterium, blasphemia, periurium, fraus, mala fides, irreligio, inundaverunt! De cetero taxae et gabellae.

Hanc vero libertatem masonicam qua certe sub Romanis Pontificibus destituebamur, praesertim si ad partem moralem attendas, utique Masones atque cuiuslibet honestatis hostes exoptant et aspirant; alii minime.

Quinam vero sint illi, cum quorum aspirationibus conciliari Romanorum Pontificum principatus nequeat, omnes norunt; ita ut mendacissimi sint qui affirmant, saniores et cordatiores Catholicos, vel etiam maiorem Italorum partem abrogatum velle politicum Romani Pontificis principatum!

Hunc vero ei moraliter necessarium nunc esse ex eo quoque ostenditur, quod cum Christianus populus variis principibus in Europa praesertim subiaceat, secus ac ab initio fuit, qui uno imperio romano fere contringebatur; si Romanus Pontifex alicui ex iis subditus fuisset, timendum erat ne ceteri eum uti communem patrem repudiarent, ea etiam ducti suspicione quod eius auctoritate in agendis premeretur, ei morem gereret, eius gratiam exoptaret; horribilibus autem in angustiis versari si quandoque contigisset, ut vel princeps diversam fidem profiteretur, vel offensum a Romano Pontifice se putaret, vel eius auctoritatis magnitudine invidia abriperetur. Ut prorsus sub Imperatoribus Constantinopolitanis contigit, a quibus etiam Romani Pontificis confirmatio petenda erat.

Qua de causa divina providentia factum esse credere debemus, ut Romanus Pontifex independens omnino a quibuslibet saecularibus principibus fieret, quo liberius et tutius munus sibi commissum pascendi et gubernandi universam christianam plebem exequi posset.

Divina, inquam, providentia factum id esse credere debemus etiam attenta eiusdem principatus origine. Dum enim alii principes vi plerumque et armis imperium assecuti sunt, Romanus Pontifex populorum libera atque voluntaria deditione Rex creatus fuit. Falsa

enim omnino scribunt, qui vel fraude, incensis ad rebellionem contra Graecorum Imperatorem subditis, vel Francorum Regum munificentia et liberalitate, politicum sibi principatum Romanos Pontifices sibi comparasse dicunt.

Primum enim diserte excluditur a Paulo Diacono, qui libro VI Capit. 49 de gestis Longobardorum scribit, Leonis Isaurici impio edicto contra cultum sacrarum imaginum, adeo Italiae populos, Ravennates praesertim et Venetos exanduisse, ut omnino imperatorem super se constituere fuissent moliti nisi eos Pontifex Gregorius II deterruisset: « Omnes Ravennae exercitus vel » Venetiarum talibus iussis uno a- » nimo restiterunt et nisi eos pro- » hibuisset Pontifex, Imperatorem » super se constituere fuissent ag- » gressi ».

Gregorius igitur obedientiam utique graeco imperatori persuasit, rebelliones non fovit.

Quid quod Anastasius Bibliothecarius in eius vita referat, Gregorium et imperiali Nuncio vitam servasse, gentemque Romanam deprecatum ne a fide imperatoris deficeret? Digna sunt quae tanti scriptoris verba excribantur, ut omnibus notum sit quibus Romani Pontifices fraudibus sint imperium civile assecuti: « Cumque Lec » mitteret hominem proprium Ro- » mam cum scriptis suis, in quibus » continebatur, ut Pontifex occide- » retur cum optimatibus, Romani » cognita crudelitatis infamia pro- » tinus ipsum Patricium (Spatarium » Marinum) occidere voluerunt, » nisi defensio Pontificis nimia prae- » pedisset .... His ita habentibus » elegit maius praesidium pater » ille, distribuere pauperibus lar- » gissima manu quae reperiebat, » incumbens orationibus, et ieiuniis, » et litaniis Deum quotidie depre- » cabatur; et spe ita manebat sem- » per fultus plusquam hominum. » Gratias tamen voluntati populi » referens pro mentis proposito, » blando omnes sermone, ut bonis » in Deum proficerent actibus et » in fide persisterent, rogabat. Sed » ne desisterent ab amore et fide » Romani imperii admonebat; sic » cunctorum corda molliebat, et » dolores continuos mitigabat ».

Ad quid vero tot ieiunia tantasque preces multiplicaret Pontifex tradit ipse Anastasius dum scribit: « *speraus conversionem Principis* ».

Unum igitur exoptabat Gregorius, conversionem scilicet Leonis Isaurici qui tantopere contra cultum sanctarum imaginum debaccabatur. De cetero populorum quare rebellionem non foverit, sed compescuerit eius religio in causa fuit, qua fretus potius martyrium subire exoptabat, quam contra Imperatorem aliquid moliri, etsi nosset Universum Occidentem ad se oculos convertere: « Utinam, scribit ipse Leoni » Isaurico, utinam Dei munere no- » bis contingat, ut per Martini viam » incedamus, tametsi ob plebis uti-

» litatem vivere volumus, et super-
» vivere ; quandoquidem Occidens
» universus ad humilitatem nostram
» convertit oculos ».

Quamvis vero Pontifex Italorum defectionem a Graeco Imperatore prohiberet, minime arbitrari tamen debemus eam executioni non fuisse demandatam.

Cum enim Gregorius II omnino desperaret ad saniorem mentem se Imperatorem adducere posse: « re-
» spiciens, inquit Anastasius, pro-
» fanam principis iussionem, iam
» contra Imperatorem quasi contra
» hostem se armavit, scribens ubi-
» que, cavere se christianos, eo
» quod orta fuisset impietas talis ».

Quae etiamsi ad servandam avitam patrum fidem circa cultum Sacrarum Imaginum referenda sint, Pentapolitanae tamen Provinciae, exercitus Venetiarum, aliaeque Italiae gentes cum Imperatoris edicto etiam eius obedientiam repudiarunt, electis sibi novis Magistratibus, sub quorum obedientia securi persisterent. « Igitur permoti, prosequitur
» Anastasius, omnes Pentapolenses
» atque Venetiarum exercitus contra
» Imperatoris iussionem restiterunt;
» sibi omnes ubique in Italia duces
» elegerunt, atque sic de Pontificis,
» deque sua immunitate cuncti stu-
» debant. »

Romanos vero Romanumque ducatum Pontifici sponte se dedisse, sibique ut politicum principem imposuisse historica res est.

Gregorius enim fuit, qui ad Luitprandi Longobardorum Regis preces, Ravennae Exarcho permisit ut Romam ingrederetur et incoleret, veluti alius quilibet civis sine ulla prorsus auctoritate.

Gregorius fuit, qui contra Tiberium Petasium regnum sibi in Italia aucupantem et provincias Romanas occupantem misit exercitum et duces, qui Petasii occisione cuncta in ordinem redegerunt. Et Gregorius pariter fuit qui a Longobardis Sutrinam civitatem pretio redemit. Gregorius igitur politicam potestatem Romae et in Ducatu saltem Romano iam fuerat assecutus.

Hanc autem non fraudibus, non rebellionem Romanorum contra Graecum Imperatorem fovendo: libera igitur Romanorum deditione consecutus est.

Exinde vero quoque patet quantopere a veritate exorbitent illi, qui dominium temporale Romanorum Pontificum ex Francorum Principum munificentia repetunt.

Cum enim ex certissimis documentis historicis ea quae praemissa sunt constent ; constet insuper Gregorium III immediatum Gregorii II successorem binam legationem misisse ad Carolum Martellum qui sub titulo Maiordomus Galliarum regnum moderabatur, ei patriciatum offerens si Ecclesiae Romanae provincias a Longobardis defenderet ; quod munus nullimode offerre potuisset, si ipse Romanorum non fuisset princeps politicus, patriciatui enim adnexa erat potestas provincias cum summa

www.libtool.com.cn

auctoritate sub Principum imperio administrandi, constet insuper Zachariam qui Gregorio successit a Luitprando Longobardorum Rege Hortam, Bomartium, Bleriam et Ameriam, quas ille armis occupaverat, recuperasse, ceteris praetermissis argumentis quae praesto essent, patere arbitror et hos Pontifices in Romanos supremam potestatem exercuisse, et a Francorum gente nullimode illam habuisse.

Franci utique defenderunt, et Romanorum Pontificum dominium dilatarunt; numquam vero crearunt.

Hunc vero principatum, cui omnigeno iure originis, possessionis, praescriptionis, Principum aliorum recognitionis, Romani Pontifices praerant, hinc perduelles nostrates et externi e medio tollere conati sunt, et aliquando abstulerunt, etsi semper in propriam perniciem, hinc Romani Pontifices tum spirituali tum temporali gladio, ut par est, defendere. Quare et in ipsius Bullae Coenae Cap. XX excommunicatione percellebantur qui illius vel iura vel loca occupare aggressi fuissent. « Item » excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se seu » alios, directe vel indirecte, sub » quocumque titulo vel colore, invadere, destruere, occupare et » detinere praesumpserint in totum » vel in partem almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae » et Corsicae, Terras intra Pharum, » Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaisinum, Sabinensem, » Marchiae Anconitanae, Massae Trabariae, Romandiolae, Campaniae » et marittimas provincias, illarumque terras et loca, ac terras speцialis Commissionis Arnulforum, » civitatesque nostras, Bononiam, » Caesenam, Ariminum, Benevenтum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca, vel iura ad » ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate » subiecta; nec non supremam iurisdictionem in illis nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis » modis praesumunt: nec non adhaerentes, fautores, et defensores » eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet » praestantes ».

Porro instituta comparatione relatum inter Bullae Coenae caput et nostrae Constitutionis sanctionem, invenimus in hac praetermissos fuisse *adhaerentes fautores, et defensores eorum,* qui loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia usurpare tenta verint.

Verum cum sub die 26 Martii an. 1860 idem Pius Papa Nonus speciales Apostolicas literas evulgaverat, quibus et praedictos excommunicationi subiicit, et renovasse visus in omnibus sit in Bulla Coenae latam excommunicationem; maxi-

mumque de cetero literae illae cum praesenti Capite Constitutionis nostrae habeant nexum, ad dicendorum declarationem illarum literarum partem aliquam referre ducimus: Inquit ergo Pontifex:

« Itaque post divini Spiritus lumen, privatis publicisque precibus implorat im, post adhibitum selectae Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Congregationis consilium, auctoritate Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra denuo declaramus, eos omnes qui nefariam in praedictis Pontificiae Nostrae Ditionis provinciis rebellionem et earum usurpationem, occupationem, invasionem, et alia huiusmodi, de quibus in Nostris Allocutionibus die vigesima Iunii et vigesima sexta Septembris superioris anni conquesti sumus, vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes, vel alios quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes, Maiorem excommunicationem, aliasque censuras ac poenas ecclesiasticas a Sacris Canonibus, Apostolicis Constitutionibus, et Generalium Conciliorum Tridentini praesertim (Sess. XXII Cap. XI de reform.) Decretis inflictas incurrisse (1), et si opus est de novo excommunicamus et ana-

(1) In citato Tridentini Capite Patres loquuntur de bonis omnibus ecclesiasticis et de iuribus etiam feudalibus et emphyteuticis, etiamsi nulla expressa habeatur mentio de dominio temporali. Cum itaque R. Pontifex eos qui urbes, loca sui temporalis status usurpent, occupent, retineant excommunicationem incurrisse dicat a Tridentinis Patribus statutam contra bonorum ecclesiasticorum usurpatores, manifestum est, eum status sui politici provincias veluti ecclesiasticum patrimonium considerasse, et habuisse.

In hac eadem Constitutione rationes habentur, quibus iure RR. Pontifices dominium temporale se possidere confirmant, easque referre praestat ad lectorum eruditionem: « Cum « catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salu« tem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea « proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati « subiaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae tem« porum conditioni ac necessitati congruerent, idcirco singulari prorsus divinae providen« tiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium et in plura fuit regna divi« sum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae Caput centrumque consti« tuit, civilem assequeretur Principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, « ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate, Summus Pontifex illa frue« retur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, aucto« ritatem et iurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane « decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium pote« statum vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem « illam, *ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam con« venire.*

« Facile autem intelligitur quemadmodum eiusmodi Romanae Ecclesiae principatus, licet

» thematizamus, item declarantes, » ipsos omnium et quorumcumque » privilegiorum, gratiarum et in- » dultorum sibi a Nobis, seu Prae- » decessoribus Nostris quomodolibet » concessorum amissionis poenas eo » ipso pariter incurrisse; nec a cen- » suris huiusmodi a quoquam, nisi » a Nobis, seu Romano Pontifice pro » tempore existente (praeterquam in » mortis articulo, et tunc, cum re- » incidentia in easdem censuras eo » ipso quo convaluerint) absolvi ac » liberari posse; ac insuper inha- » biles et incapaces esse qui abso- » lutionis beneficium consequantur, » donec omnia quomodolibet atten- » tata publice retractaverint, revo- » caverint, cassaverint, et abo- » leverint, ac omnia in pristinum » statum plenarie et cum effectu re- » dintegraverint vel alias debitam » et condignam Ecclesiae ac Nobis » et huic Sanctae Sedi satisfactio- » nem in praemissis praestiterint.

« Idcirco illos omnes etiam spe- » cialissima mentione dignos, nec » non illorum successores in officiis » a retractatione, revocatione, cas- » satione, et abolitione omnium ut » supra attentatorum per se ipsos » facienda, vel alias debita et con- » digna Ecclesiae ac Nobis et di- » ctae Sanctae Sedi satisfactione re- » aliter et cum effectu in eisdem » praemissis exhibenda, praesen- » tium litterarum, seu alio quocum- » que praetextu minime liberos et » exemptos, sed semper ad haec » obligatos fore et esse, ut absolu- » tionis beneficium obtinere valeant » earumdem tenore praesentium de- » cernimus et pariter declaramus.

Ut ad expositionem huius capitis pergamus, tria personarum genera in eo excommunicatione plectuntur

1. Invadentes, destruentes, detinentes per se vel per alios civitates, terras, loca, aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia.

2. Usurpantes, perturbantes et retinentes supremam iurisdictionem in eis.

3. Praebentes ad singula praedicta auxilium, consilium et favorem.

Iam vero invadunt qui vel inopinato, vel bello indicto in status Pontificii provincias exercitu insiliunt.

Destruunt qui vel arces, vel urbium moenia, vel ipsas urbes et lo-

» suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae quam » habet destinationis, et arctissimi illius vinculi quo cum maximis Rei Christianae rationibus » coniungitur. Quod tamen nihil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque » populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontifici- » bus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

» Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus de quo loquimur, » mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare mul- » tiplici insidiarum et conatuum genere contenderint; in quo tamen nefariâ illorum molimina, » Deo Ecclesiam suam iugiter adiuvante, in irritum serius ocius ceciderunt ».

(1) Hae Pontificiae Constitutiones habentur Vol. VI. Ephemeridum harum.

ca deiiciunt. Detinent, qui sub sua potestate urbibus terrisque pontificiis redactis, eas suo nomine gubernant, et supremam in illis iuris dictionem retinendo, tributa indicunt, magistratus creant, ius vitae et necis exercent etc. Quare non de quibusvis iuribus sermo hoc in capite habetur, sed de principaliobus, quae scilicet a suprema iurisdictione, soli principi competente, dimanare possunt.

Quid vero? Incurrunt ne hanc excommunicationem qui invadunt destruunt, detinent urbes et loca illarum etiam provinciarum quae in relato Bullae coenae capite numerantur; vel tantum illi qui provincias quas Romanus Pontifex ante praesentem invasionem possidebat?

Post praesentem Constitutionem puto hos tantummodo: Loca enim et provinciae quae in cit. Bullae coenae capite recensentur non amplius ad Ecclesiam Romanam pertinebant, sed ad diversos principes, qui eas vel usurpaverant, vel in feudum a Romanis Pontificibus habuerant, et tacito saltem eorum consensu pacifice possidebant. Cum insuper illae prorsus provinciae, antequam Status Pontificius proprie dictus invaderetur occupatae fuerint; nullamque de re Romanus Pontifex querelam moverit, nullam pro illarum invasione invadentes incurrisse censuram tenendum esse existimo.

De cetero norunt omnes, lecturam Bullae coenae quae quotannis fiebat, a Pio Papa IX fuisse interdictam, ita ut ex hoc quisque intelligere potest, neminem illis censuris obstringi.

Equidem quis dicturus erit, praedictum Bullae coenae caput in genere, non in specie vel in individuo in Constitutione nostra fuisse recensitum, ideoque nihili allatas rationes esse faciendas.

Sed praeterquamquod id gratis asseratur; et e contra putandus legislator non est explicite praetermisisse ea quae volebat recensere, cum sub oculis praedictum caput habuerit, id enim maximam peperisset confusionem; si tantum se extendere Caput nostrum arbitrabimur, quantum Bullae coenae caput, alios quoque principes, praeter italicos excommunicatione teneri confiteri debebimus; recensentur enim et urbs Avenionensis et insula Corsicae quae Gallis subiiciuntur.

Nullimode dubitandum insuper est, undecimo hoc Capite voluisse R. Pontificem integritati status Pontificii consulere, qui iam fere ex integro occupatus ab italico gubernio fuerat; qua de causa lata excommunicatio extendenda non est ad alias provincias vel urbes quae a Romanorum Pontificum potestate plurimis ab hinc annis iam defecerant.

Sed si expendamus varias apostolicas literas quibus de invasoribus Pontificiae ditionis conqueritur Pontifex, inveniemus ipsum semper loqui et excommunicationi subiectos eos tantummodo declarare, qui statum Pontificium prout tunc possi-

debatur invaserunt. Id enim constat tum ex literis *Ad gravissimum* diei 20 Iunii 1859, tum ex aliis *Cum Catholica Ecclesia* diei 26 Martii 1860, tum ex aliis universis quas circa praesentem quaestionem edidit. Qua de causa cum praesenti capite dominium temporale R. R. Pontificum tueri voluerit, de illo certe loqui voluit, quod Romani Pontifices reapse possidebant, et de quo semper locutus fuerat.

Neque pariter dubitandum est, invasionem eiusmodi iniustam esse debere. Cum enim R. Pontifex ut alius quilibet saecularis princeps provincias status sui regat, iisdem conditionibus subiicitur; sicut igitur nulla culpa in eo est qui alienum regnum iuste invadat; nulla pariter culpa, et nulla excommunicatio incurreretur ab eo, qui iustis de causis Pontificium statum invaderet.

Nemo tamen putet, ad invasionem instituendam necessarium esse, ab extraneis in provincias vel civitates pontificias hostiliter insilire; nam id unum necessarium est, ut quis hostiliter invadat civitates, terras, loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia. Perduelles igitur qui facta seditione in aliqua civitate ad Pontificem pertinente supremum imperium adipiscantur, excommunicationem hanc incurrunt uam et hi proprie et vere invadunt.

Ex verbis vero huius capitis manifestum est, hanc excommunicationem incurrere tum qui per se, seu immediate tum qui per alios seu mediate invadunt: scriptum est enim *tum per se tum per alios;* neque enim eiusmodi verba referenda sunt tantummodo ad verbum *Detinentes,* sed ad omnia superiora, tum ex sensu obvio, sin minus enim excommunicationi subiicerentur, qui vel per se vel per alios supremam iurisdictionem status Pontificii retinerent, non vero qui invaderent, vel destruerent; quod absonum est; tum ex collatione cum citato Bullae coenae capite, in quo relata verba ad triplicem illam actionem *invadendi, destruendi et detinendi* aperte referuntur « » Excommunicamus et anathemati- » zamus omnes illos, qui per se, » seu alios, directe vel indirecte, » sub quocumque titulo vel colore, » invadere, destruere, occupare et » detinere praesumpserint in totum » vel in partem Almam urbem etc » De hac itaque re nulla dubitandi ratio esse potest.

Quid autem dicendum de ducibus, et de militibus qui invadunt et statum Pontificium et almam urbem reapse invaserunt?

Certe quoad illos milites vel duces qui prorsus voluntarie Pontificium statum invaserunt nullimo de dubitari potest quin excommunicationem incurrerint; sunt enim veri et proprie dicti invasores. Idipsum pariter dicendum est de iis militibus et ducibus qui quamvis conscrictionis vi adacti, tamen voluntarie et ex animo invaserunt atque dimicarunt. Quoad eos autem

duces et milites, qui vi conscrictionis militiae addicti, involuntarie, et compulsi invaserunt, non censerem eos excommunicationi subiectos: hinc enim se subducere non poterant, neque obsistere quin et gradu deiicerentur, poenisque gravissimis subiicerentur; qua de causa illud effatum locum hic habere puto: Lex Ecclesiae non obbligat cum gravi incommodo; illinc vero uti invasores habendi non sunt; qui enim invadunt voluntarie invadunt; milites autem huiuscemodi nulla voluntate ducti, sed prorsus coacti in Status Pontificii Provincias insiluerunt.

Romanus Pontifex insuper in iis Constitutionibus, allocutionibus, et Encyclicis, quibus de Subalpino Gubernio tam iuxte quam acerbe queritur, illudque excommunicatione ferit, dum ad moderatores, aliosque Magistratus praecipuos sermonem convertit, eosque excommunicatos esse declarat, de militibus invadentibus nec verbum facit. Praestat varias illarum Allocutionum partes referre in rei probationem.

Igitur in allocutione: *Ad gravissimum* lata die 20 Iunii 1859, qua in excommunicationem incidisse declarat invasores Bononiae, Aemiliae, et Umbriae eos omnes excommunicatos edicit « qui Bo- » noniae, Ravennae, Perusiae et alibi » civilem nostram et huius Sanctae » Sedis potestatem et iurisdictionem, » ac Beati Petri patrimonium, opera, » consilio, assensu, et alia quacum- » que ratione, violare, perturbare, » et usurpare ausi sunt.

Loquitur porro Pontifex in universa illa allocutione de perduellibus, qui vix profectis Austriacis copiis, seditione facta, Legatum Pontificium eiecerunt, atque dictatu am Sardiniae Regis invocarunt et proclamarunt. Loquitur ergo Pontifex de invasoribus prorsus voluntariis quales sunt rebelles et acceptantes rebellionem, qua de causa relata verba neque ad rem allegari possent.

In literis Apostolicis *Cum Catholica Ecclesia* latis die 26 Martii 1860, quibus invasores et usurpatores Pontificiae ditionis excommunicati declarantur, et quatenus opus est denuo excommunicantur, Romanus Pontifex conqueritur et loquitur semper de *ipsius Ecclesiae hostibus qui persaepe principatum illum multiplici insidiarum et conatuum genere convellere et labefactare contenderunt;* loquitur *de infensissimis Catholicae Ecclesiae et Sanctae Sedis osoribus, qui ipsam Sanctam Sedem, proculcatis divinis, humanisque iuribus, eam principatu expoliare nequiter adnituntur;* loquitur de iis: *qui non erubescunt nefandam suadere populis rebellionem contra legitimos principes;* loquitur de *subalpino gubernio*, de *instigatoribus missis* ad rebellionem excitandam, *de fautoribus* subalpini gubernii a quibus regia dictatura proclamata est; paucis; loquitur de iis qui partem voluntariam et acti

vam habuerunt in pontificiae ditionis invasione, scilicet de formaliter invadentibus ; ac demum excommunicatos declarat *eos omnes, qui nefariam in praedictis Pontificiae ditionis provinciis* rebellionem, et earum usurpationem, occupationem, invasionem et alia huiusmodi, vel eorum aliqua perpetrarunt, *itemque ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes vel alios quoscumque praedictarum rerum executionem quolibet praetextu, et quovis modo procurantes, vel per seipsos exequentes maiorem excommunicationem.... incurrisse :* Porro milites qui conscriptione coacti, et involuntarie prorsus invasionem illam peregerunt, habendi non sunt neque *fautores, neque adiutores, neque adhaerentes, neque exequentes, neque executionem praedictarum rerum procurantes;* haec enim omnia per se *voluntarietatem* dicunt; militibus vero de quibus sermo est, aut obediendum erat, aut vel moriendum, aut sin minus subeundae gravissimae codicis militaris poenae.

Haec vero quae ex citato testimonio satis manifesta puto, manifestiora fieri videntur ex iis, quae Pontifex invadentibus imponit quo ab excomunicatione possint absolvi. Dicit enim « eos esse incapaces qui absolutionis beneficium consequantur, donec omnia *quomodolibet attentata publice retractaverint, revocaverint, cassaverint, et aboleverint, ac omnia in pristinum statum plenarie et cum effectu redintegraverint*, vel alias debitam et condignam Ecclesiae ac Nobis et huic sanctae sedi satisfactionem in praemissis praestiterint. »

Quid autem, quaeso, milites ducesque qui involuntarie prorsus in status Pontificii provincias vi conscriptionis ducti sunt, *attentarunt?* Nihil. Absolutionis igitur sunt capaces.

Neque aliquod speciale decretum afferri potest, quo contrarium statuatur. In plurimis enim responsionibus, quas sacra Poenitentiaria requisita edidit, quaeque in hisce ephemeridibus relatae sunt, nihil invenitur, quibus milites qui contra voluntatem Statum Pontificium invadere coacti sunt, excommunicationem incurrisse declarantur.

Ita in facultatibus concessis sub die 1 Iunii 1869 Confessariis occasione indicti Iubilaei, ad quaesitum: « An vigore facultatum, quae ex » literis Apostolicis die undecima » Aprilis datae sunt, Confessarii » adprobati ab ordinariis possint » eos absolvere, qui executioni » mandarunt invasionem seu re» bellionem in ditione Sanctae Se» dis, eorum mandantes, adhae» rentes, cooperantes, atque eos » qui leges iniquas promoverunt » et auxiliarem dederunt operam » ad executionem eiusdem inva» sionis seu rebellionis ». Sacra Poenitentiaria respondit: « affirma» tive, dummodo Poenitentes ex» hibeant verae resipiscentiae signa

www.libtool.com.cn

» scandalum reparaverint, aut sal-
» tem parati sint quam primum il-
» lud reparare meliori modo quo
» poterunt, atque obedientiam San-
» ctae Sedi eiusque mandatis de-
» super ferendis sincere promise-
» rint. ».

www.libtool.com.cn

Ut quisque videt tum in quaesito, tum in responsione sermo habetur de iis qui executioni mandarunt invasionem seu rebellionem de eorum mandantibus, adhaerentibus cooperantibus; in quibus omnibus nedum pars activa, sed etiam voluntaria supponitur; atque de iis utique intelligi potest, quod antequam absolvantur debeant exhibere verae resipiscentiae signa, scandalum reparare etc, non autem de iis militibus qui prorsus compulsi, et necessario ad vitam vel libertatem servandam invasionem peregerunt, de quibus nec dici potest quod eam executioni mandaverint.

Sed neque ex iis quae a Sacra Poenitentiaria prodierunt sub die 10 Decembris anni 1860: Interrogata enim n. 8 Quid de iis (militibus civicis) dicendum, qui inviti conscribuntur, et ad eamdem militiam ineundam adiguntur?

Respondit « posse tolerari mili-
» tes civicos coactos, qui militiam
» absque gravi damno seu incom-
» modo deserere nequeunt, dum-
» modo tamen animo parati sint
» eam deserere quamprimum po-
» terunt, et interim ab omnibus ac-
» tibus hostilitatis in subditos et
» milites legitimi principis, et ab
» actibus contra bona, iura, et per-
» sonas ecclesiasticas.

Neque haec, inquam, contra faciunt; primo quidem quia agitur de liceitate actionis, non de facto ex quo excommunicatio incurratur. 2. agitur de militia civica, quae plurimum a militia proprie dicta discrepat; haec enim graviori disciplinae subiicitur et actionibus, quibus non subest illa, cum statuta sit ad tranquillitatem, et ordinem in propria regione servandum, non autem ad bellandum, nisi in extrema patriae necessitate; quare actus quos S. Poenitentiaria recenset, milites civici optime praetermittere possunt, cum ad ipsos non pertineant. 3. Demum quia sub n. 26 eadem Sacra Poenitentiaria respondit; *Censuras ecclesiasticas juxta literas Apostolicas diei 26 Martii 1860 incurri ab iis, qui formaliter cooperantur vel adhaerent rebellioni Ditionis Pontificiae. Quare ad dignoscendum in Foro conscientiae utrum quis censuras incurrerit, discutienda est per Confessarium uniuscuiusque conscientia.*

Nullimode autem in dubium revocari poterit, quod milites conscripti qui contra propriam voluntatem et ex animo repugnantes ducti sunt ad invadendum Pontificium statum *formaliter* neque cooperati sunt, neque praedictae rebellioni adhaeserunt; quare discussa cum fuerit a Confessariis eorum conscientia, si hoc deprendant, eos ab excommunica-

tione immunes iudicent, et, nisi aliud obstet, absolvant.

In Bulla Coenae insuper habebantur verba *in totum vel in partem*, quae in praesenti capite praetermissa sunt; id autem nihil impedire arbitramur quominus excommunicationem et illi incurrant qui aliquam Pontificii Status partem invadant; primo enim etiam in unius civitatis invasione verificatur proprie dicta invasio; secundo quia sin minus quis excommunicationem evaderet, nunc illam, nunc hanc invadendo provinciam: tertio quia et in unius loci invasione irrogatur iniuria, Sanctae Sedis iura, et status Ecclesiastici integritas violantur; demum quia Romanus Pontifex in Allocutione *Ad gravissimum* excommunicatos esse declaravit eos, qui Bononiam aliasque Aemiliae urbes invaserant, etiamsi nondum universum statum Pontificium invasissent.

Quod igitur relata Bullae Coenae verba in capite nostro praetermissa sint, nihil officit; substantia enim est eadem, atque ex ipsa Bulla Coenae excommunicationem incurrisset, qui unam ex urbibus vel provinciis ibi recensitis invasisset; non enim copulative, sed disiunctive locorum et urbium recensio accipienda est.

Idipsum vero dicito de destruentibus; et hi enim etiamsi nedum unam urbem, sed partem eius destruant, excommunicationem incurrisse habendi sunt. Nonne enim etiam in una parte habetur realis destructio, realis iurium Sanctae Sedis violatio, realis illius iniuria, realis illius bonorum, et supremae iurisdictionis ablatio?

Haec excommunicatio, inquit Catalanus, *Universi iuris theologico moralis Corpus integrum Part. IV. Quaest. VIII Cap. 1, n. 2. Clausola 20*,, lata est specialiter in defensionem et favorem bonorum temporalium Sanctae Sedis, illiusque supremae iurisdictionis. Cum autem qui partis unius urbis vel loci destruant et bona temporalia et supremam Sanctae Sedis iurisdictionem offendant, excommunicationem hanc incurrere dicendi sunt.

Id autem minime intelligas ex. gr. de praedonibus aut latronibus qui aliquam aggrediantur pontificiam urbem, ut eam depraedentur, et incendio comburant; Caput enim loquitur de invadentibus illis, et destruentibus, qui deinceps in locis occupatis supremam iurisdictionem exerceant; ad alios quapropter excommunicatio non est extendenda.

Invasio itaque et destructio debet fieri animo hostili et iniusto. Neque enim probanda in omnibus videtur Bonacinae sententia, qui quaest. XXI. Prop. II affirmat, invasionem ex sua natura non importare *hostilem incursum, sed injustam aggressionem;* qua de causa concludit: ergo hostilis animus ad invasionem frustra requiritur:

Etiamsi enim ultro libenterque

concedam; in perduellionibus, et seditionibus praesertim, rebelles animum hostilem contra urbem aut cives plerumque non gerere; certum tamen est, eos animum hostilem gerere contra legitimos illius civitatis principes. Atque de hac etiam invasione Romanum Pontificem loqui tum in plerisque suis allocutionibus, tum in praesenti capite certissime tenendum est; loquitur enim et queritur de subducta sibi obedientia, et conculcata a perduellibus Pontificum obedientia.

Nihil igitur obstat quod adverbium obstiliter tum in posterioribus Bullae caenae exemplaribus, tum in Capite nostro ablatum sit; invasio enim sive ab externis peragatur sive a concivibus et subditis, respectu ad principem semper est hostilis.

Haec autem dicenda multo magis sunt de destruentibus, quorum actio ab hostilitate numquam separari potest.

Id vero edisserui, quia casus dari posset, ut sine ullo armorum strepitu perduelles civitatis alicuius Pontificiae Rectorem pecunia corruperint; hic vero eis arces et supremam potestatem ultro dimiserit, Fortasse ne hi uti veri et proprie dicti invadentes non essent habendi? Et nonne reapse occuparunt urbem et iura ad Sedem Romanam pertinentia? Fortasse ne id animo hostili non peregerunt? Utique: principem enim legitimum potestate expoliarunt: Atqui id etiam injuste moliti sunt; ergo duo semper in vera invasione sive interna, sive externa habentur injustitia et hostilitas. Quare utique excommunicatio non incurritur si in invasione desit iniustitia, sed incurritur si desit tantum hostilitas erga civitatem, quae invaditur, quia haec habetur semper respectu ad legitimum Principem.

Detinere est rem iniuste occupatam non restituere, vel rem acquisitam sponte tenere. Qua de causa ad excommunicationem ex Capite *detensionis* incurrendam satis est ut quis detineat urbem etc, licet fuerit non a se sed ab alio iniuste invasa, et occupata; satis est etiam ut urbem illam non per se sed per alium detineat et regat. In Capite enim expresse dicitur; detinentes per se, vel per alios.

Hinc sequitur, quod filius vel haeres iniusti invadentis et detinentis hanc excommunicationem incurrit, nisi ablata Pontificiae ditionis loca Sanctae Sedi in integrum restituat; et ipse enim iniuste detineret.

De cetero de hac re mentio habetur expressa in literis Apostolicis diei 26 Martii 1860 his verbis; » Nec non illorum successores in » officiis a revocatione, et abolitione » omnium, ut sup a, attentatorum » per seipsos facienda, vel alias de- » bita et condigna Ecclesiae, ac No- » bis, et dictae Sanctae Sedi sati- » sfactione realiter et cum effectu » in eisdem praemissis exhibenda, » praesentium litterarum, seu alio

» quocumque praetextu, minime li-
» beros et exemptos, sed semper
» ad hanc obligatos fore et esse, ut
» absolutionis beneficium obtinere
» valeant, earumdem tenore prae-
» sentium decernimus et pariter
» declaramus.

Frustra igitur sibi blandirentur invadentium Regum successores ab excommunicatione se liberos esse, quod vel non ipsi invaserint, vel haereditate loca invasa acceperint, vel aliqua Status ratione impediri quominus ea restituant; nam nisi vel restituant, vel alias condignam Sanctae Sedi satisfactionem praestiterint, semper excommunicatione praesenti implicabuntur.

Excipe semper ni Romano Pontifici aliter decernere visum fuerit.

Unicuique vero compertum est, ob quamlibet sive invasionis, sive destructionis, sive detentionis actionem excommunicationem incurri; disiunctive enim verba sunt accipienda; si enim copulative, nec invasor, nec destructor, nec detentor excommunicatione plecteretur, sed ille tantummodo qui tres illas prohibitas actiones compleret: quod dici non potest.

Qua de causa invasor Pontificiae ditionis excommunicatione plecteretur quamvis a militibus Pontificiis repulsus, nullam urbem occupare potuisset; invasisset enim territorium Pontificium iniusto animo et hostili vere et proprie.

Pariter excommunicaretur si aliquam pontificiam urbem destruxerit quamvis eam ingredi non potuerit; esset enim vere et proprie destructor.

Consequenter ab excommunicatione non esset immunis si eam detineret, quamvis non invaserit.

Auctores plerique affirmant hanc excommunicationem eo tantum in casu incurri cum loca aut bona occupata ad Ecclesiam Romanam pertineant, ea fortasse ducti ratione quod in Capite legatur: *loca aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia*. Quare concludunt non incurri excommunicationem ab eo, qui invaderet, destrueret, et occuparet locum aliquem alicuius incolae Status Pontificii, eo quod locus ille non pertineret ad Ecclesiam Romanam.

Ni fallor, haec loquendi ratio confusionem ingerit, et in errorem inducere potest; quare rem declarare oportet.

Non est ullimode negandum, hanc excommunicationem ab invasore non incurri, si locus invasus degat extra ditionem, seu fines Status Pontificii, in eumque Romanus Pontifex nullam iurisdictionem temporalem habeat, cum enim in eum supremam iurisdictionem, de qua Caput loquitur, Romanus Pontifex non retineat, locus ille ad privatam personam pertinere censendus est, nullimode vero ad Romanam Ecclesiam; non refert autem quod persona subdita sit Status Pontificii; Etenim Caput loquitur de invadentibus, destruentibus, et de-

tinentibus civitates, terras loca aut iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia, non ad privatas personas.

Idipsum autem dicendum non est, si locus invasus ad privatam personam pertinens degat intra fines potificiae ditionis; etenim quoad supremam jurisdictionem et dominium locus hic ad Romanam Ecclesiam seu Romanum Pontificem pertinet; cuius proinde jura violantur injusta invasione. Fortasse ne loca omnia quae sunt in statu Pontificio ad Romanam Ecclesiam pertinent? Nequaquam; maxima eorum pars ad personas privatas pertinet; et tamen sunt loca spectantia ad Statum Pontificium quia degunt intra fines illius; sicut quamvis loca omnia et bona quae sunt in Anglia, Gallia, et Germania non pertineant ad illorum regnorum moderatores, pertinent tamen ad nationes; et illarum integritas atque jura violantur, etiamsi unius privatae personae territorium invadatur.

Paucis: sermo hoc in Capite est de territorio Status Pontificii; certum est autem bona cuiuscumque privatae personae quae intra fines degant, ad Statum Pontificium pertinere. Qui igitur illa invadunt, loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia invadunt.

Idipsum quapropter dicito, etiamsi illa privata persona Pontificci non subdatur sed alicui alii externo principi, ob eamdem rationem.

Satis enim est ut bona ad illam pertinentia et invasa sint in Statu Pontificio.

Secundo loco excommunicantur *usurpantes, perturbantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis*, scilicet civitatibus terris et locis ad Ecclesiam Romanam pertinentibus.

Usurpare autem, ut jam in praecedenti capite animadversum est, in genere est rem alienam sibi adscribere; stricto autem sensu tamen est sibi tanquam proprium quod aliorum est vindicare.

Usurpare itaque supremam jurisdictionem est sibi adscribere supremum dominium in aliquo vel provincia vel loco, vel statu quod alteri legitime competebat.

Perturbare autem jurisdictionem supremam est impedire, et verbis aut factis obstare quominus legitimus Princeps dominium suum exerceat.

Retinere demum est de facto exercere supremam iurisdictionem loco legitimi principis.

Retentio itaque duplicem actionem importat; impedire scilicet quominus legitimus princeps supremam iurisdictionem exerceat, et hanc exercere loco legitimi principis.

Cum autem in Capite suprema jurisdictio dicatur, hinc non omnes actus jurisdictionis sub excommunicatione cadunt, sed praecipui tantummodo qui principi competunt.

Ad rem Bonacina loc. cit. « Nomine supremae iurisdictionis eam » intelligo, quae competit Summo » Pontifici ut princeps est, circa » res magni praeiudicii, ut sunt

» causae status, causae sanguinis.
» confiscationis bonorum, et similia
» Haec enim in statu ecclesiastico
» ad supremam Romanae Ecclesiae
» auctoritatem pertinent, et in his
» de re magni momenti agitur ».

www.fbtool.com.cn

Qua de causa Magistratus inferiores et iudices qui ex praescripto legum ab usurpatore indictarum auctoritatem exercent, non sunt ex hoc capite excommunicati, quia non exercent supremam iurisdictionem.

Si excipias quapropter Regem et utriusque Parlamenti deputatos qui invasionem Pontificii status approbarunt, et praeceperunt, fere nullus alius ex hoc capite *usurpantes* excommunicatione plectitur.

Circa *perturbantes* animadverte, quod cum perturbare sit verbis aut factis obstare quominus legitimus princeps supremae suae iurisdictionis actus exerceat sive per se, sive per alios, eorum actio ad factum externum prosilire debet, quo excommunicationem incurrant. Non enim excommunicati dicendi essent, si nullum impedimentum supremae legitimi Principis iurisdictioni attulissent.

Haec autem non ita intelligenda sunt, ut si Princeps firmioribus viribus eorum conatus repellat, suamque supremam iurisdictionem retineat conservetque, perturbantes excommunicationem non incurrant; nam de facto perturbassent; sed ita, ut si ex. gr. clamoribus tantum agant, et neque magnis, neque minacibus, ex quibus ordo publicus et civium quies, tum Principis potestas nullatenus perturbentur, ex hoc tantummodo non essent uti excommunicati habendi, quia supremae legitimi principis iurisdictioni impedimentum non attulissent.

Confessarii quapropter diligenter poenitentes huiusmodi excutiant, ut culpae qualitatem et quantitatem assequantur, decernantque utrum reapse perturbantium titulo in excommunicationem inciderint.

Ex iis autem colligito, quod omnes illi qui in Pontificiis provinciis arma contra supremam temporalem Pontificis iurisdictionem arripuere, per vicos et plateas una cum iis qui arma arripuerant conclamarunt: *Abbasso il governo del Papa, abbasso il governo dei Preti, vogliamo il regno costituzionale del Re Vittorio Emanuele*, esse uti excommunicatos habendos. Sunt enim perturbantes proprie dicti.

Circa *retinentes supremam iurisdictionem*, unusquisque novit, in actuali regno Italico constitutionali supremam iurisdictionem retineri tum a Rege, tum ab utriusque Camerae Deputatis.

Quod Rex sit excommunicatus nemini in dubium venire potest.

Quaeri tamen potest, cum ipse usurpator, perturbator, et retentor sit supremae iurisdictionis in Statu Pontificio, triplici ne excommunicatione innodatum credere debemus, vel una tantummodo?

Et quidem dictum est singulis hisce prohibitis actionibus singulas excommunicationes respondere, verba enim disiunctive sunt accipienda.

Attamen dum de Rege sermo est, una excommunicatione eum innodari credere debemus; actiones enim ceterae subordinantur unicae actioni usurpandi vel retinendi supremam iurisdictionem in provinciis status Pontificii; hanc enim retinere non potuisset nisi invasisset, usurpasset, detinuisset per se vel per alios loca, terras, civitates et iura ad Romanam Ecclesiam pertinentia.

Etiamsi itaque in aliis actiones prohibitae disiunctive accipiendae sint, quia potuerunt vel invadere, vel destruere, vel perturbare, non autem retinere supremam iurisdictionem; in rege sunt copulative accipiendae tum quia subordinantur, tum quia pleraeque reapse confunduntur, ne dicam identicae fiunt: usurpare enim supremam iurisdictionem est detinere per se vel per alios civitates, terras et loca ad Ecclesiam Romanam pertinentia, et est etiam retinere supremam iurisdictionem in eis loco legitimi principis. Qua de causa tria haec unicam prohibitam actionem constituunt.

De cetero manifestum esse puto, Romanum Pontificem dum varias personarum classes, sive hoc in Capite, sive in suis allocutionibus recensuit, prout operam suam praestiterunt iniquissimae usurpationi, varias actiones enumerare voluisse, quibus excommunicationem possent incurrere. Cum itaque usurpare et retinere supremam iurisdictionem tantummodo Rex posset, ut interea Camerae utriusque Deputatos praetermittamus, eum sub usurpantium aut retinentium supremam iurisdictionem nomine excommunicatione feriit.

Atqui non ita de Deputatis loqui debemus.

Primo enim non omnes Deputati et Senatores sacrilegae invasioni aut manum aut assensum praestiterunt; hi quapropter qualibet excommunicatione sunt immunes.

Secundo: alii simplex suffragium porrigere potuerunt vel porrexerunt, quin tamen se immiscuerint in invasione aut pertubatione; et hos excommunicatos censebimus quod consilium et favorem praestiterint.

Tertio; alii tum suffragium porrexerunt, tum armis pecunia etc. auxilium praestitere, tum etiam pertubarunt; et in his cum actiones vetitae subordinatae non sint, nec ad unam actionem retinendi supremam potestatem concurrant (non enim suprema potestas singulis Deputatis distributive, sed omnibus collective convenit), tot excommunicationibus eos esse innodatos credere debemus quot vetitas actiones posuere.

Et quidem de antiquis Deputatis qui tum praeerant Italiae regno cum invasio peracta fuit, res est manifesta.

Quid autem de iis, qui postquam invasio peracta fuit et ante translationem Camerae Romam in Deputatos electi fuere?

Manifestum est, iis excommunicationem convenire non posse nisi ex capite *retinentes supremam iurisdictionem in eis*; dummodo aliqua alia vetita actione sese non commaculaverint.

www.ibtool.com.cn

At animadversum est, supremam iurisdictionem non competere Deputatis distributive sed collective. Qua de causa Deputati ex capite *retinentes supremam jurisdictionem* censendi sunt excommunicati cum collatis votis et assensu, in causa sunt quare supremam jurisdictionem retineant in territori Pontificio.

Deputati illi quapropter vel senatores qui nullam partem, aut contrariam hac in re habuerunt, non sunt irretiti excommunicatione lata in praesenti capite. Considerari enim non possunt neque sicut praebentes auxilium, consilium, favorem, cum nihil pro invasione, usurpatione, retentione praestiterint, nihil praestent.

Hi autem ab excommunicatione excusari non possent, si leges libertati, immunitati, et iuribus Ecclesiae adversas suffragio suo probaverint. Verum hoc ex aliis capitibus, non ex praesenti.

Quid ergo? Tuto ne quis officium Deputati acceptare et procurare potest?

Ut sincere loquar; etiamsi non agnoscam qua lege directe prohibeantur; etsi fatear magnum bonum eos peragere posse legibus iniquis obsistendo, suae nationis utilitatem tum spiritualem tum temporalem procurando, iniquorum hominum pravas opiniones et perniciosissimas retundendo, tum pessimis consiliis sese obversando, aliaque praestando quae in Religionis decus et Dei gloriam cedunt; tamen ultro fatebor, nemini simpliciter vel tuto licere Deputati munus acceptare, multo minus procurare, praesertim postquam ab italico gubernio etiam Roma occupata fuit, ibique Regni sedes posita.

Imprimis enim id vetat iuramentum quod ab italico gubernio a Deputatis exigitur: Iurant enim se Regi fidelitatem servaturos, sincere Statutum et alias leges Status observaturos, atque suum adimpleturos officium pro inseparabili Regis et patriae bono. Cum autem inter has leges plurimae sint quae divino et ecclesiastico iuri adversentur, iuramentum ad illas indefinite observandas praestare non licet.

Sed non licet etiam ex alio capite: Quamvis enim Deputatis distributive suprema auctoritas non competat, sed collective; negandum tamen non est, quod inchoative et imperfecte singulis competat; certum est autem non licere tuto munus acceptare quod, quamvis inchoative, aliena tamen iura impetit, vel labefactat.

Qua de causa putarem eos sine Romani Pontificis venia, cui supre-

ma potestas in suis provinciis competit, non posse munus Deputati acceptare.

Cum vero hoc in capite de suprema iurisdictione agatur, facile comperies sub eo non comprehendi sindicos, municipes, iudices, aliosque inferiores magistratus (1); quibus supremae potestatis exercitium non competit.

Excommunicatione tertio loco animadvertitur in *praebentes ad singula* praedicta *consilium, auxilium, favorem.*

Porro ut iam in praesenti Commentario non semel adnotatum est, praestantes auxilium sunt qui scientes volentesque operam suam aut media tribuunt quae ad finem inserviant a delinquentibus sibi praestitutum consequendum, in casu autem ad invadendas, destruendas, usurpandas, retinendas Status Pontificii provincias; ita ut auxiliantes vere et proprie dici possint in patratam invasionem, usurpationem etc. positiva actione sua, aut per collata media concurrisse.

Praebentes vero consilium illi habendi sunt, qui suadendo, rogando, impellendo, instruendo, rei utilitatem ostendendo, difficultates quae subinde oriuntur removendo; sive Sabaudiae Regem, sive ceteros invasores, perturbatores ad opus aggrediendum impulerunt verbis tamen solummodo non factis, aut per collata media, secus enim et ipsi essent inter praestantes auxilium accensendi.

Demum favorem praestantes in casu illi habendi sunt qui aliquid fecerunt et adiuvarunt ad finem ab usurpatoribus, invasoribus, et perturbatoribus intentum. Ii quapropter qui eos commendarunt vel approbarunt ut prohibitas in hoc capite actiones, principales exequerentur sunt uti excommunicati habendi.

Duo tamen sunt notanda 1. quod favor reapse in actiones principales vetitas influxerit, nisi enim influxerit, eo quod, ex. gr. actiones vetitae eodem pacto ad finem perductae fuissent, excommunicatio non incurritur; hinc illi qui invadentibus vel perturbantibus vel usurpantibus vivat conclamarunt « viva NN. non sunt uti excommunicati habendi; horum plurimi, villici

(1) Circa municipes requisita Sacra Poenitentiaria: « An licet dare suffragia ad componenda consilia, et municipales representativas personas; et an electi possint officio « fungi c usiliarii et magistratus municipalis. »

Die 10 Decembris 1860 respondit: *Dummodo municipales non adigantur ad ea, quae adversantur legibus divinis et ecclesiasticis; et se abstineant a praestando iuramento iuxta formam a Gubernio invasore propositam, posse tolerari.* Iuramentum autem ita se habet: Iuro fidelitatem et obedientiam Victorio Emmanuell Italiae Regi, eiusque successoribus. Iuro me statutum, omnemque aliam status legem pro inseparabili et Regis et Patriae Italiae bono observaturum.

Italice: Giuro fedeltà ed obbedienza a Vittorio Emmanuele Re d'Italia, e suoi successori. Giuro di osservare lo statuto ed ogni altra legge dello Stato pel bene inseparabile del Re, e della patria Italia.

caupones, baiuli clamabant ut clamarent, quia ceteros clamantes audiebant, ut aliquid et ipsi clamarent, demum quia biberant; et nulla alia de causa. Hi certe favorem nullum praestiterunt.

www.libtool.com.cn

Adde quod favor praecedere delictum debet, ut in illud influere aliquo modo possit; Plurimi autem post invasionem provinciarum Status Pontificii favorem suum ostenderunt.

Secundo vero ob praestitum favorem excommunicationem non incurri, nisi actio principalis sequatur. Cum enim faventes in ordine ad actionem principalem excommunicentur, nisi illa effectum suum sortiatur, nullimode, favorem in illam influxisse tenendum est. «Cum actio» nes accessoriae, inquit Bonacina loc. » cit. p. 27. intuitu principalium » prohibeantur, excommunicatio non » incurritur, non secuta aliqua principali actione. Atque cum Bonacina alii probatissimi auctores sentiunt.

Hic tamen ardua exurgit quaestio; quid scilicet dicendum sit de principibus illis externis, qui Italiae Regem non prohibuerunt Statum Pontificium invadere; vel apud ipsum postea Oratores seu legatos miserunt?

Ne in errorem quis incidat, secernenda illorum actio est.

Siquis enim positive, pacto inito, permisit imo concessit Sabaudiae Regi territorium Pontificium invadere, nullimode de hoc dubitari potest quin in excommunicationem inciderit. Habendus enim est praebens, ut parum dicamus, favorem manifestum.

Si qui neque permiserunt, neque concesserunt; affirmarunt tamen se nullimode invasionem impedituros, hi non sunt dicendi excommunicationem incurrisse, cum non praebuerint neque consilium, neque auxilium, neque favorem; neque bellum gerere tenebantur ob Status Pontificii defensionem aut aperte declarare sibi invasionem illam displicere. Etiamsi igitur ob illam negativam responsionem Regi Italiae animi sint additi ad invasionem peragendam, (Papa enim relictus solus, atque auxiliatoribus destitutus nullimode tum Regi Sabaudiae, tum internis perduellibus resistere poterat) tamen illa in invasionem positive influxisse dicenda non est; qua de causa non sunt, neque possunt uti excommunicati haberi.

Siquis demum nedum permiserunt, sed etiam invasionem et usurpationem antea probarunt; hi certe in excommunicationem inciderunt; horum enim actio positive influit in vetitas actiones, atque quodammodo Regem Italiae impulit ad illas opere complendas.

Non eodem tamen ratiocinio uti quis debet dum sermo est de oratoribus post usurpationem Status Pontificii apud Italiae Regem missis. Factum enim huiusmodi non importaret nisi adhaesionem quamdam, et explicitam recognitionem Regis Sabaudiae in Regem Italiae. Verum

si rem presse consideremus, per se oratorum missio neque adhaesionem et recognitionem importat; mittuntur enim ad agenda negotia sui Status et Principis, quae inter unam nationem et aliam semper intercedunt, vel intercedere possunt; qua de causa quilibet externus princeps oratorem mittere apud Italiae Regem posset, quin ullimode probaverit, aut probare intendat invasionem et usurpationem Status Pontificii; haec enim cum Oratoris et Legati munere nullam habent affinitatem. Discutienda proinde eorum conscientia est. Cum enim censurae ecclesiasticae in casu nostro incurrantur tantum ab iis, qui formaliter cooperantur, vel adhaerent rebellioni Ditionis Pontificiae, si constet, Principum Oratores id non peregisse, non sunt propter munus quod exercent uti excommunicati habendi. Adhaerere enim rebellioni ditionis Pontificiae est sequi politicam Regis Italiae, spolium proinde probare et quodammodo ni factis, consilio et favore adiuvare.

Attamen dum de *adhaesione* loquimur, animadvertendum est, adhaerentes excommunicatos reperiri in Bulla Coenae, at in Tridentino et in nostro Capite praetermitti. Concordant autem cum Bulla coenae tum literae Apostolicae diei 26 Martii 1860, in quibus Pius Papa IX excommunicat *ipsorum mandantes, fautores, adiutores, consiliarios, adhaerentes;* tum literae Apostolicae diei 1 Novembris 1870, in quibus haec eadem identice repetit et instaurat.

Cum autem Constitutio *Apostolicae Sedis* in qua affirmatur, exinde robur non habituras nisi excommunicationes, suspensiones, et interdicta *quae in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus,* anterior solido anno sit literis latis Anno 1870, quaeri iure potest an adhaerentes et sint excommunicati, et quanam lege.

At extra omnem controversiam esse arbitror, adhaerentes huiusmodi esse excommunicatos; adsunt enim literae Apostolicae, in quibus expresse excommunicantur; minime tamen vi nostrae Constitutionis, sed vi literarum Apostolicarum diei 1 Novembris 1870.

Per verba enim quae in Constitutione *Apostolicae Sedis* habentur, quaeque paullo superius relata sunt, non intellexit Pontifex, nullas alias censuras ferendas esse, sed iam latas limitari ad recensitas in Constitutione praedicta; valituras autem, et adiungendas si quae aliae in posterum a Romanis Pontificibus ferantur.

Qua de causa etiamsi *adhaerentes* in Constitutione *Apostolicae Sedis,* lata anno 1869 praetermissi sint, excommunicationem tamen incurrunt vigore literarum, diei 1 Novembris anni 1870.

Elucidandum tamen superest, qui veniant nomine adhaerentium; atque hac in re auctores discrepare reperio. Bonacina *Tractatus de censuris omnibus ecclesiasticis in par-*

ticulari disp. 1. Quaest. XXI, Punct 1. n. 26. eos ita definit: « Is ad» haerere dicitur, qui alicuius fa» ctionem libere sequitur absque » praevio pacto, ad distinctionem » confoederationis, quae pactionem » requirit.

Iuxta Bonacinam igitur adhaerens est, qui manifeste sequitur invasorum partes quin antea aliquid pactus sit, consequenter quin consilium, aut vota antecedenter praestiterit; paucis, sequitur partes ab aliis praestabilitas. Ex quibus idem Bonacina concludit; quod si adhaerens huiusmodi adstiterit delinquentium consiliis, eaque mente probaverit, excommunicationem incurrit. « Sequitur, eos qui consiliis huius» modi delinquentium assistunt, il» lisque in sua mente consentiunt, » licet positive ad illorum consilium » non concurrant, nec votum fe» rant, censura huius Canonis ob» stringi; quia adhaerere dicuntur.»

Haec autem adeo severe citatus auctor propugnat, ut excommunicatos adhaerentes proclamet, etiamsi eorum adhaesio reipsa non influat in delictum.

« Et hoc verum arbitror, etiam» si huiusmodi approbatio, seu ad» haesio reipsa non influat in de» lictum; potest enim quis alicui » factioni adhaerere, etiamsi con» tingat factionis auctores ipsius ope » non uti, nec ad patrandum de» lictum ob ipsius adhaesionem mo » veri; alioquin si potius eius in» fluxus exigeretur, frustra addita » fuisset haec particula *adhaeren*» *tes*, cum ii qui aliqua ratione » opem et influxum exhibent, sub » verbis subsequentibus (id est nec » non fautores et defensores eorum » seu illis auxilium, consilium, vel » favorem quomodolibet praestan» tes) sufficienter exprimantur. Ad» ditam autem existimo particulam » *adhaerentes*, tum in detestationem » peccati, tum ad praecavendum » cooperationis et damni pericu» lum; quia facillime fieri potest, » ut qui mente adhaeret, et volun» tatem suam delinquentibus, aut » aliis prodit, opem etiam et au» xilium praebeat. »

Eiusdem vero sententiae est Cl. Roncaglia; qui *Tract. IV de Censuris* Quaest. V. R. II. ita disserit: « Sicut autem illi dicuntur confoe» derati, qui praevio pacto aliquam » factionem sequuntur, ita illi di» cuntur adhaerentes, qui absque » pacto sequuntur libere eamdem. » Hinc in casu nostro qui solum » assisteret consiliis personarum de » quibus supra, quamvis ad eadem » positive non concurreret; vel qui, » antequam perpetraretur, ipsarum » delictum approbaret, diceretur » illis adhaerere. » Consequenter excommunicationem incurrere.

Neque praefatos auctores nimii rigoris arguendos esse quis existimet; imprimis enim excommunicantur *adhaerentes;* qui cum ii sint qui factionem aliquam libere sequuntur absque praevio pacto, sunt omnimode separandi ab iis qui fa-

vorem, consilium, vel auxilium praestant. Secundo adhaerentes huiusmodi aliquo modo semper in rem vetitam influunt, sive iis consiliis assistendo, quibus interesse non debent, et praesentia sua quodammodo actiones vetitas probando, praesertim si existimatione fruantur, et nomine, et apud vulgus magnae sint auctoritatis. Tertio augendo adhaesione sua factiosorum numerum. Demum verbis et aliis modis rebellionem adiuvando; impossibile enim est, ut qui ex. gr. rebellioni Status Pontificii adhaesit, nil dixerit vel fecerit.

Hinc adhaerentes huiusmodi non sunt cum iis confundendi qui potius *indifferentes* vocandi sunt, quique nihil prorsus sive pro, sive contra praesentem invasionem peregerunt; sed dicebant: *nil mea interest; obediam iis qui imperabunt: si regnum Italiae tandem aliquando consurget, gaudebo;* atque de coetero nemini vel suaserunt rebellioni adhaerere, vel aliquid aliud peragere; ii enim non sunt inter adhaerentes computandi cum factionem rebellium nullimode sint secuti; et de cetero adhaerentium actio semper quid positivum importat, et positive in vetitam actionem influit.

Nullimode qua de causa eorum mihi sententia placet, qui eos tantummodo ut adhaerentes habent qui iis actionibus sese immiscent, quibus sese alii commaculant.

Ita Filiuccius *Morales Quaestiones* Tract. XVI. n. 69. « Respondeo » breviter, inquit, *adhaerentes,* qui » scilicet nulla pactione intercedente, sed libere alicuius factionem » sequuntur, *si praesumant aliquam* » *ex praedictis actionibus prohibitis* » *facere*, etiam esse excommunicatos. »

At qui facit aliquam ex proscriptis actionibus nedum adhaerens, sed est etiam vel consilium, vel auxilium, vel favorem praestans, et hac de causa excommunicationem incurrit.

Alterius autem ultra progreditur, et adhaerentibus tot tantasque imponit actiones ut veluti principales agentes sint habendi. Scribit enim *Disputationes de censuris ecclesiasticis lib. V. Disp. XXI. C. 1 pag. 758.* « Itaque omnes qui adhaerent iis, qui locum sub dominio Ecclesiae Romanae praesumunt invadere, detinere aut destruere, adiuvando eos consiliis, opibus, armis, victuariis et alia quacumque re; subministrando milites, equos; concedendo transitum tutum per sua loca; intercedendo pro illis apud principes ad eumdem finem; excitando ad invasionem et occupationem; denique quomodolibet opem illis ferendo ad plures, vel saltem ad unam ex actionibus principalibus damnatis, ipso iure sunt censura excommunicationis innodati. »

Et quidem indubitanter; sed ii qui tot tantaque pro invadentibus, detinentibus etc. agunt, nedum adhaerentes, sed haben-

di sunt uti manifesta auxilia praestantes.

Concludendum itaque est, *adhaerentium* nomine non illos venire, qui nihil prorsus agunt, sed eos qui positive in actiones praesenti capite vetitas influunt; adhaerentes autem manifesti et proprie dicti semper influere existimandi sunt: sequuntur enim libere factionem aliquam; qui autem factionem aliquam libere sequitur, eiusdem est voluntatis, eam defendit ni factis, certe verbis, eique plurimum defert, eam apud ceteros commendat, probatque quae a factiosis peraguntur; qua de causa iure merito excommunicationi subduntur.

Caveant autem Confessarii eos inter adhaerentes accensere, qui nihil moliendo, et tantummodo aliqua circumstantia clamando, sese propensiores fortasse ostenderunt erga Pontificii Status invasores; de cetero alienos semper sese praebuere a rebellione erga legitimum principem; tum caveant etiam eos adhaerentibus annumerare qui sese indifferentes ad invasionem exhibuere. Hi enim ut excommunicati haberi non possunt, neque debent.

Si ergo quis de hac re angoribus conscientiae prematur, Confessariique iudicium exoptet, Confessarius interroget, videatque quasnam actiones commiserit, quamnam voluntatem habuerit, quibusque de causis egerit quod confessioni subiicit; et si deprehendat actione sua nullimode in patratam invasionem influxisse, ita egisse vel timore, vel quia alios ita agere videbat, sine ulla voluntate rebellibus sese consociandi, eum ab omni excommunicatione immunem iudicet. Certum enim cuilibet confessario esse debet, adhaesionem non importare momentaneam consociationem et interruptam sive voluntatis sive actionis, sed continuam saltem per aliquod temporis spatium.

Hoc autem diserte deprehenditur etiam ex relata superius S. Poenitentiariae declaratione diei 10 Decembris 1860, in qua adfirmatur *censuras ecclesiasticas incurri ab iis* qui formaliter.... *adhaerent rebellioni ditionis Pontificiae*. Eos autem de quibus supra, adhaesisse formaliter rebellioni ditionis Pontificiae nemo dixerit.

De adhaerentibus demum proprie dictis, et de cooperatoribus adnotandum superest, nullatenus eos excommunicationem incurrere ni actio principalis sequatur, quia cum actiones accessoriae intuitu principalium prohibeantur, excommunicatio non incurritur, non secuta aliqua principali actione.

APPENDIX XII

www.libtool.com.cn

CAPUT IV

DE EXCOMMUNICATIONE LATA IN EOS QUI AB ORDINATIONIBUS ET MANDATIS ROMANI PONTIFICIS APPELLANT AD UNIVERSALE FUTURUM CONCILIUM

Clarissimus et doctissimus Petrus Avanzini praesentem Articulum praetermisit, ea de causa quod esset exemplum in specie consideratum et extensione personarum auctum de pertinaci recessione ab obedientia Romani Pontificis; casus scilicet contentus in Capite tertio huius Constitutionis, quo excommunicantur Schismatici et ii qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt.

Et iure quidem merito; cum enim schisma sit subtractio ab obedientia Capitis Ecclesiae formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiae; qui ab ordinationibus et mandatis Romani Pontificis ad universale futurum Concilium appellant, de facto Ecclesiae Capiti debitam obedientiam pertinaciter detrectant, atque de facto, saltem hic et nunc, ab unione universalis Ecclesiae, quae sine capite stare non potest, recedunt.

Non putavimus tamen praesentem Articulum praetermittere, ne Lectores nostri mutilum commentarium haberent, quamvis circa praesentem materiam pauca conscribenda esse noverimus.

Verum enim schisma eiusmodi appellatio habenda erat ante Vaticanum Concilium. Cum enim obedientia Romano Pontifici debita dimanet a Primatu honoris et iurisdictionis in universam Ecclesiam; hic vero Primatus de fide statutus fuerit in Concilio Florentino his verbis: « Definimus Sanctam Apo» stolicam Sedem et Romanum Pon» tificem in universum orbem tenere » primatum, et ipsum Pontificem » Romanum successorem esse B. Pe» tri principis Apostolorum, et ve» rum Christi Vicarium, totiusque » Ecclesiae caput, et omnium chri» stianorum patrem et doctorem » existere, et ipsi in B. Petro pa» scendi, regendi et gubernandi » universalem Ecclesiam a D. N. I. » Christo plenam potestatem tradi» tam esse; quemadmodum etiam » in gestis oecumenicorum Conci» liorum, et in Sacris Canonibus » continetur: » nullum dubium intercedere poterat quin a Romani

Pontificis sententia appellantes ad futurum universale Concilium ut veri Schismatici essent habendi.

Post Concilium Vaticanum autem, de re contendere vel dubitare est luci meridianae oculos claudere. In eiusmodi enim Concilio nedum Primatus Romani Pontificis evidentissime adsertus est (1) sed etiam infallibiliias personalis, ut est Ecclesiae caput et magister (2).

Qua de causa post Vaticanam definitionem appellare a sententia Romani Pontificis ad futurum Concilium universale, est appellare a primate supremo et infallibili ad iudicem nec supremum nec infallibilem; nullum concilium enim a Romano Pontifice segregatum potest esse vel oecumenicum vel infallibile (3).

Puto quapropter, praesens caput adiectum in nostra Constitutione esse, quod edita sit ante Vaticanum Concilium; praetermissum enim certe fuisset, utpote nunc inutile, vel fere inutile pro iis saltem qui catholici vocantur et sunt, si post Vaticanam Definitionem promulgata Constitutio fuisset (4).

Hoc caput ita legebatur in Bulla Coenae prout a Benedicto XIV promulgata fuit:

§ 2. Item « excommunicamus et

(1) Si quis dixerit., Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas Ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

(2) Romanum Pontificem, cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse. Si quis autem huic nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

(3) In 1. *Inter haeresim* 26. caus. 24. q. 4. refertur quaedam S. Hieronymi sententia, quam subnectere dignum puto: « Inter haeresim et schisma hoc interesse arbitramur, quod » haeresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia » pariter separat. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum schisma non aliquam sibi confingit haeresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

Haec autem maximi Doctoris sententia ex historia luculentissime probatur.

(4) Etenim in Concilio Vaticano diris devota fuit quaecumque de re sententia his verbis:

« Docemus etiam et declaramus eum (Romanum scilicet Pontificem) esse iudicem su» premum fidelium, et in omnibus causis ad examen eccles asticum spectantibus ad ipsius » posse recurri iudicium. Sedis vero apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium » a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. Quare a vero » veritatis tramite aberrant qui affirmant licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad Oe» cumenicum Concilium tamquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare. »

Sess. IV. Cap. 8.

» anathematizamus omnes et singu-
» los cuiuscumque status, gradus,
» seu conditionis fuerit; universita-
» tes vero, Collegia et Capitula
» quocumque nomine nuncupentur
» interdicimus, ab Ordinationibus
» seu mandatis nostris, ac Romano-
» rum Pontificum pro tempore exi-
» stentium ad universale futurum
» Concilium appellantes, nec non
» eos, quorum auxilio, consilio vel
» favore appellatum fuerit. »

Constitutio *Apostolicae*, eamdem poenam renovat; atque excommunicationem in praesenti Capite, interdictum in postremo de interdictis. Habet enim § 4. « Omnes et » singulos cuiuscumque status, gra- » dus, seu conditionis fuerint, ab » ordinationibus seu mandatis Ro- » manorum Pontificum pro tempore » existentium ad universale futurum » Concilium appellantes; nec non » eos, quorum auxilio, consilio, vel » favore appellatum fuerit. »

Merito autem huiusmodi appellantes fuisse excommunicatione irretitos, inde patet, quod per hanc appellationem gravis auctoritati Apostolicae Sedis iniuria irrogatur, cum supra ipsam, cuius auctoritate nulla maior est, cuius iudicium a nemine retractandum est, neque alicui licet de eius iudicare iudicio, tribunal constituatur; cum per eam schismata et dissensiones in Ecclesia introducantur, multiplicentur crimina, et disciplina ecclesiastica pessundetur, quin remedium possit apponi.

Congregare enim Concilium oecumenicum res non est adeo facilis; sine Romani Pontificis auctoritate congregari non potest; a Romano Pontifice dissentiens, et ab eo non confirmatum, nullius est auctoritatis; atque hinc rebellibus et obstinatis in malo semper innumerae cavillationes praesto essent ad eludendam certam et praesentem auctoritatem Romani Pontificis, appellando semper ad futurum universale Concilium; quod si convocatum fuerit, neque eius sententia appellantibus arriserit, iterum iterumque ad aliud futurum universale Concilium appellando.

Interea nemo non videt quaenam peccata, scandala, inobedientiae, dissensiones in Ecclesia introducerentur.

Sapientissime hinc Pius II. in Constitutione *Execrabilis* appellationes ad futurum universale Concilium solidissime aggressus est et execratus his verbis:

« Execrabilis et pristinis tem- » poribus inauditus tempestate no- » stra inolevit abusus, ut a Romano » Pontifice Iesu Christi Vicario, cui » dictum est in persona Beati Pe- » tri; *Pasce oves meas, et quodque* » *ligaveris super terram, erit liga-* » *tum et in coelis;* nonnulli spiritu » rebellionis imbuti, non sanioris » cupiditate iudicii, sed commissi » evasione peccati, ad futurum Con- » cilium provocare praesumant quod » quantum sacris Canonibus adverse- » tur, quantumque Reipublicae chri-

» stianae noxium sit, quisquis non » ignarus iurium intelligere potest.

» Namque (ut alia praetereamus » quae huic corruptelae manifestis- » sime refragantur) quis non illud » ridiculum iudicaverit, quod ad id » appellatur quod nusquam est, ne- » que scitur quando futurum sit? » Pauperes a potentioribus multi- » pliciter opprimuntur, remanent » impunita scelera, nutritur adver- » sus primam sedem rebellio, liber- » tas delinquendi conceditur, et » omnis ecclesiastica disciplina, et » hierarchicus ordo confunditur.

Volentes igitur hoc pestiferum » virus a Christi Ecclesia procul pel- » lere, et ovium nobis commissa- » sarum saluti consulere, omnemque » materiam scandali ab ovili nostri » Salvatoris arcere.... huiusmodi » provocationes damnamus, et tan- » quam erroneas ac detestabiles re- » probamus, cassantes et penitus » annullantes, si quae hactenus ta- » liter interpositae reperiantur, eas- » que tamquam inanes ac pestife- » ras, nullius momenti esse decer- » nimus et declaramus. Praecipien- » tes deinceps, ut nemo audeat, » quovis quaesito colore ab ordina- » tionibus, sententiis, sive mandatis » quibuscumque nostris ac Succes- » sorum nostrorum, talem appella- » tionem interponere, aut interpo- » sitae per alium adhaerere, seu eis » quomodolibet uti.

» Si quis autem contrafecerit, » a die publicationis praesentium in » Cancelleria Apostolica, post duos » menses, cuiuscumque status, gra- » dus, ordinis, vel conditionis fue- » rit, etiamsi imperiali, regali, vel » pontificali praefulgeat dignitate, » ipso facto sententiam execrationis » incurrat, a qua nisi per Roma- » num Pontificem, et in mortis ar- » ticulo absolvi non possit. Univer- » tas vero sive collegium ecclesia- » stico subiaceat interdicto, et ni- » hilominus tam collegia et univer- » sitates, quam praedictae et aliae » quaecumque personae, eas poe- » nas ac censuras incurrant, quas » rei maiestatis et haereticae pra- » vitatis fautores incurrere digno- » scuntur. Tabelliones insuper ac » testes, qui huiusmodi actibus in- » terfuerint, et generaliter qui scien- » ter consilium, auxilium dederint, » vel favorem talibus appellantibus, » pari poena plectantur. »

Hanc vero Constitutionem Iulius II nedum confirmavit, in Const. *Suspecti regiminis* lata die 1 Iulii 1509 sed etiam scripsit in ea, appellantes huiusmodi *tanquam erroneos* et *detestabiles* damnatos fuisse *efficacissimis et palpabilibus rationibus; ipsos et eorum quemlibet habendos esse pro veris et indubitatis Schismaticis et inconsutilis tunicae Domini Nostri Iesu Christi violatoribus et dissipatoribus, ac de catholica fide male sentientibus,.. poenis canonicis et legalibus subiacere, et cum Dathan et Abiron partem et damnationem habiere.*

Ut autem quisque animadvertit, lex est generalis, adeo ut nemo exci-

piatur, non princeps non subditus, non ecclesiasticus cuiuscumque praeminentiae et dignitatis, non laicus; non homo, non foemina; ac unica actio ad excommunicationem incurrendam requiritur, appellatio scilicet ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum Concilium.

Nomine de cetero ordinationum seu mandatorum intelliguntur etiam sententiae, praecepta, leges, censurae, poenae sive generales sive particulares in aliquem indictae, etc., haec enim omnia ordinationes et mandata sunt, et ordinationum vel mandatorum vim habere dignoscuntur.

Neque excommunicationem quis evaderet appellationem interponendo tanquam a mandato iniusto; nulla enim in articulo citato exceptio datur; non pertinet insuper ad inferiorem de sententia Romani Pontificis judicare; frustra demum haec excommunicatio lata fuisset, cum delinquentes semper se tueri possent, affirmando, ordinationes et lata a Romano Pontifice mandata esse iniusta; atque ita latissima aperiretur via iniuriam Sanctae Sedi irrogandi, quasi scilicet Concilium generale auctoritate Romano Pontifici praecellat,dum ad eiusmodi gravissimas iniurias eliminandas atque tot illa mala quae Pius II in superius relata Constitutione deflet, haec praesentem tulit excommunicationem.

Triplex tamen quaestio institui posset. Quarum prima sit.

In praesenti articulo dicuntur, excommunicati appellantes *ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium*. Potest autem dari casus ut post latam ordinationem seu mandatum, Romanus Pontifex moriatur, et post eius mortem quis ad futurum universale Concilium appellet. Quid?

Non mediocrem difficultatem praesens casus inducit. Impellit enim ad absolvendum eiusmodi appellantem ratio, quod nomine Pontificum pro tempore existentium intelligantur, in communi usu loquendi, Pontifices vivi, et non mortui; et cum lex sit odiosa strictae est interpretationi subiicienda: Romanus insuper Pontifex, a quo appellatum est, in iudicium venire non posset, dum reus semper est audiendus; quare eiusmodi appellatio inutilis esset.

Verum re maturius considerata; omnino in eiusmodi appellantem excommunicatio est decernenda.

Imprimis haec excommunicatio lata est, ut e medio tollatur scandalosa et erronea sententia, quod auctoritas Concilii oecumenici praestet autoritati Romani Pontificis; quae ratio militat tam pro Pontificibus viventibus quam defunctis.

Secundo: In Bulla Coenae habetur: *ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pon-*

tificum pro tempore existentium. Certum est autem verba *a mandatis nostris* referri ad Pontifices viventes; quorum ordinationes ni a successoribus abrogentur, vim legis habent etiam post eorum mortem; sequeretur quapropter in citata interpretatione, Pontifices statuisse leges et praecepta tantum pro sui Pontificatus tempore, quod est absurdum. Utique in nostra Constitutione praedicta verba praetermissa sunt, sed ratio est quod illa continerentur in subsequentibus *Romanorum Pontificum scilicet, pro tempore existentium*.

Tertio ordinationes et mandata a Romanis Pontificibus frustra ferrentur. Posset enim quis eorum mortem expectare, et deinceps appellare ad futurum Concilium generale.

Quarto. Quin imo omnes cuiuscumque sectae haeretici vel schismatici, vel male feriati Catholici, lansenistae praesertim, possent nunc appellare ad futurum concilium oecumenicum ab ordinationibus et mandatis latis contra ipsos ab omnibus defunctis Pontificibus, et ita bellum iterum instaurare sine ulla prorsus excommunicatione, atque ita inutiles reddere omnes Constitutiones a Romanis Pontificibus in eos latas, et tot curas in ipsos impensas.

Atque ita de ceteris dicito qui se a Romano aliquo Pontifice male habitos quererent.

Obiectis vero responderi potest verba ordinationibus *et mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium*, idem valere ac a *mandatis Papae*, ut ex subiecta materia constat, et ex absurdis quae secus sequerentur.

Etiamsi vero Romanus Pontifex defunctus in iudicium venire non posset, submitterentur tamen iterum examini ordinationes et lata ab eo mandata; quo gravissima iniuria apostolicae Sedi irrogatur.

Altera quaestio est. Quid scilicet de eo dicendum qui a mandatis et ordinationibus Romani Pontificis appellaret, non qua Caput est et Pastor universalis Ecclesiae, sed qua Princeps temporalis?

Et quidem discrepant auctores; alii enim affirmant incurri excommunicationem in utroque casu; alii vero in primo tantum.

Illi dicunt 1°., Romanum Pontificum absolute excommunicare appellantes a suis ordinationibus; et ubi ius non distinguit, distinguendum non esse.

2°. Eamdem Romano Pontifici iniuriam irrogari sive appelletur ab eo ut Pontifex est et Christi Vicarius, sive ut est Princeps temporalis.

3°. Romanos Pontifices per huiusmodi prohibitionem voluisse e medio tollere schismata et rebelliones quascumque, quae dimanare possunt etiam ab appellatione contra ipsum interposita ut est princeps temporalis.

Verum alii, ni tamen fallor, so-

lidiori argumento nituntur, dum dicunt, a Romanis Pontificibus ideo latam eiusmodi excommunicationem fuisse, ut praecipue suam in spiritualibus auctoritatem tuerentur; appellationem vero ab ordinatione et mandato absolute temporali, nullum detrimentum spirituali potestati inferre. Et haec quidem sententia mihi verior videtur.

Quoties enim Romani Pontifices appellationes ad futurum universale Concilium proscripsere, illo semper argumento usi sunt, quod supremus Ecclesiae pastor a nemine iudicari potest, quod appellatio sit provocatio ab iudice inferiore ad superiorem; nullus autem supra Romanum Pontificem constitutus est iudex, cui uni dixit Christus: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.*

Atque omnibus praetermissis, nonne Concilii Vaticani Patres huic prorsus argumento innixi sunt dum eiusmodi appellationes prohibuere? Romanum Pontificem *esse iudicem supremum fidelium; Sedis Apostolicae, cuius auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum;* hinc eiusmodi appellantes a *vero veritatis tramite aberrare.* At hae rationes uni innituntur supremae Romanorum Pontificum spirituali potestati.

Manifestum est autem, Romanos Pontifices, quatenus sunt principes temporales non esse omnium supremos, neque supra ceteros principes potestatem habere Sicut ergo ordinationes et mandata aliorum principum subesse possunt, et non semel reapse subiecta fuere auctoritati Conciliorum, et Romanorum Pontificum, ita repugnare non videtur ut mandata Romanorum Pontificum quatenus sunt Principes temporales subsint auctoritati Conciliorum oecumenicorum. Adde quod lex est odiosa, et strictae interpretationi subiicienda.

Equidem lex non distinguit; sed ex subiecta materia, ex rationibus adductis, ex verbis adhibitis optime distingui posse suademur.

Neque verum putandum est, eandem Romano Pontifici iniuriam irrogari si appelletur ab eo vel ut Vicarius Christi est, vel ab eo ut est princeps temporalis; gravior enim est illa quae irrogatur Christi Vicario. De cetero haec non est unica ratio quare eiusmodi appellationes fuerint proscriptae.

Esto demum quod per hanc excommunicationem voluerint Romani Pontifices e medio tollere schismata et rebelliones.

Sed non eodem fine: schismate enim quis subtrahitur ab Ecclesiae unitate, rebellione non item; de duplici quapropter hoc fine diversa ratione et intentione diiudicandum est.

Quidquid tamen sit de adductis pro et contra argumentis, certum est, auctores discrepare an incurrat excommunicationem qui appellat a Romano Pontifice ut est Princeps temporalis in causa mere temporali; Ecclesia nihil definivit; verba e con-

tra quibus lex lata est, potius auctoritatem spiritualem quam temporalem indigitant; lex proinde quoad hanc partem est dubia; at lex dubia non obligat. Ergo excommunicationem indubitanter incurrunt illi qui ab ordinationibus et mandatis Romanorum Pontificum, quatenus sunt Christi Vicarii, appellant ad universale futurum Concilium; alii non item; nemo enim ut praevaricator legis habendus est, nisi de lege certo constet.

Attamen ut quis hanc excommunicationem incurrat appellare debet ad Concilium oecumenicum; non ergo nationale aut provinciale; quare si ad eiusmodi particularia Concilia quis a sententia Romani Pontificis appellaret, non esset excommunicatus; sed neque si appellaret ad futurum Pontificem; caput enim loquitur de Concilio Oecumenico, et quidem futuro.

Quid ergo? Nonne excommunicationem incurreret si quis appellaret ad Concilium oecumenicum quod in praesenti celebratur?

Et quidem validae rationes id suadere videntur; eadem enim iniuria Romano Pontifici irrogatur, eius auctoritas auctoritati Concilii oecumenici subiicitur, scandalum fidelibus paratur.

Concilium insuper etiamsi actualiter celebretur, tamen sessio in qua diudicanda esset eiusmodi causa post appellationem interpositam nondum celebrata est; quare quoad hanc Sessionem Concilium est futurum.

Hisce tamen non obstantibus, lex excommunicatos pronuntiat qui a mandatis Romanorum Pontificum appellant ad universale futurum Concilium; appellatio vero ad futurum universale concilium complexive sumitur, et importat convocationem, celebrationem et exitum, seu confirmationem. Concilium autem quod actualiter celebretur iam convocatum est; et ex parte celebratum; qua de causa cadere non potest sub praescriptione legis.

Addendum autem est, Romanos Pontifices praefatas appellationes interdixisse praesertim ut Gallicanos configerent, qui dum affirmabant, Romanae Ecclesiae Praesules Episcopis omnibus distributive sumptis superiores esse, inferiores vero Episcopis collective acceptis sive dispersis, sive in Concilio congregatis. Concilium autem quod actualiter celebratur, si de mandato Romani Pontificis congregatum fuerit, atque ei iure nativo et proprio praesideat, in tantum auctoritatem habet, in quantum eius decreta auctoritate Pontificia confirmantur. Quare appellare a sententia Rom. Pontificis ad Concilium eiusmodi, est provocare a Pontifice ad Pontificem.

Sed neque si eiusmodi actuale Concilium oecumenicum, dissentiente Romano Pontifice, collectum fuerit, quis ad illud appellans excommunicationem praesentem incurrit. Est enim actuale, non futurum. Et appellatio non ad futurum Concilium interponeretur, sed ad

praesens, quod sub verbis legis non cadit.

At Caput nostrum nedum appellantes, sed etiam eos, *quorum auxilio, vel favore appellatum fuerit* excommunicatione ferit.

Qua de causa si quis faveat, vel consilium aut auxilium praestet postquam appellatio interposita fuerit, excommunicationem non incurrit, quia lex loquitur de coadiutoribus ad appellationem interponendam; sed neque si quis praestet consilium, auxilium, favorem ante appellationem; appellans autem non amplius eam interponat; nam in casu nullimode appellatum fuit.

www.libtool.com.cn

APPENDIX XIII

ADDITIO AD EXCOMMUNICATIONES SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAS

Iam animadversum est, Constitutionem *Apostolicae Sedis* multiplices illas limitasse censuras, quae ad annum usque 1869 latae fuerant, nullum vero attulisse, vel afferre posse detrimentum iis, quae in posterum latae aut ferendae sunt.

Adest quapropter alia excommunicatio Romano Pontifici speciali modo reservata, quam duodecim illis iam explanatis subnectimus.

Excommunicatio scilicet lata in Canonicos et Dignitates Ecclesiarum Cathedralium vacantium, qui audeant Ecclesiae administrationem concedere electo aut praesentato a potestate laica sub quocumque praetextu; et in electos ac praesentatos qui ultra in eiusmodi administrationem sese ingerere praesumant. Demum in eos qui praemissis auxilium, consilium aut favorem praestiterint

Haec excommunicatio lata fuit in Constitutione *Romanus Pontifex*, quam Pius Papa IX edidit die 28 Augusti 1873, quamque integram fere referimus, tum ut lectores intelligant quid in ea Romanus Pontifex praecipiat, tum ut historicam aliquam notitiam de re habeant.

Ita ergo sese habet.

« Romanus Pontifex, pro munere sibi divinitus collato regendi ac gubernandi universam Christi Ecclesiam, non solum SS. Canonum observantiam urgere, sed etiam illorum certum et authenticum sensum declarare satagit, si quando quidpiam dubitationis in aliquo occurrat, ne diversis interpretationibus materia praebeatur, atque inde ecclesiasticae disciplinae unitas rumpatur, unum magno ecclesiastici regiminis detrimento.

« Sane iuxta antiquam Ecclesiae » disciplinam, Sede Episcopali vacante, dioecesis administratio ad » Capitulum cathedralis Ecclesiae » devolvitur; quod olim per seipsum, » dioecesim, toto tempore, quo sedes vacabat, administrare poterat, vel uni aut pluribus dioecesim administrandam committere, libera eidem relicta potestate deputatos eligendi, eisque » delegatam iurisdictionem, sive quoad usum, sive quoad » tempus arctandi et constringendi.

« At vero Concilii Tridentini Patres animadvertentes gravissima » quae passim oriebantur incommoda ex administratione viduatae » Ecclesiae coetui personarum diversi fere ingenii concredita, ad » ea vitanda sapienter decreverunt » ut *Capitulum Sede vacante, officialem seu Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi, constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui, saltem in iure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus. Si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur, et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta, Vicarium possit constituere.*

» Huiusmodi vero decretum varie » interpretati sunt privati canonicarum rerum scriptores. Quidam » enim censuerunt posse Capitulum » in constituendo Vicario aliquam » iurisdictionis partem sibi reservare; alii putaverunt fas esse Capitulo ad certum tempus Vicarium deputare; nec defuerunt » qui arbitrati sunt, licere Capitulo » Vicarium pro arbitrio removere, » et alium substituere.

» Recensitae Scriptorum sententiae a nonnullis Capitulis libenter » exceptae sunt: quo factum est, » ut in hac re tam magni momenti » disciplinae uniformitas deficeret, » et Tridentinum decretum optatum finem plene non attingeret. » Quamvis autem SS. Urbis Congregationes has sententias, suis » responsis in casibus occurrentibus » pluries reprobaverint, ita ut ex » earum responsis manifeste appareat quae fuerit mens Patrum » Tridentinorum in edendo Decreto » superius relato; attamen cum » nondum omnia ubique ad eam » mentem exigi videamus, ad submovendam prorsus quamlibet dubitationis causam vel obtentum, » iisdem responsis et Declarationibus » Apostolicae auctoritatis robur adiiciendum censemus.

» Quocirca motu proprio, ac » certa scientia, et matura deliberatione Nostris deque Apostolicae » auctoritatis plenitudine declaramus et decernimus: totam ordinariam Episcopi iurisdictionem,

» quae vacua Sede Episcopali ad » Capitulum venerat, ad Vicarium » ab ipso rite constitutum omnino » transire; nec ullam huius iuris- » dictionis partem posse Capitulum » sibi reservare, neque posse ad » certum et definitum tempus Vi- » carium constituere, multoque mi- » nus removere, sed eum in officio » permanere quousque novus Epi- » scopus Litteras Apostolicas de » collato sibi Episcopatu, Capitulo, » iuxta Bonifacii VIII Praedecesso- » ris nostri Constitutionem (1), vel » Capitulo deficiente, ei exhibuerit, » qui, ad normam SS. Canonum, » vel ex speciali Sanctae Sedis dis- » positione, vacantem Dioecesim » administrat, vel eiusdem Admi- » nistratorem, seu Vicarium depu- » tat.

» Quamobrem pro nullis haben- » dae sunt limitationes, seu quoad » iurisdictionem, seu quoad tempus » adiectae a Capitulo electioni Vi- » carii Capitularis, qui idcirco, iis » non obstantibus, officium semel » sibi rite collatum, toto tempore, » quo Sedes Episcopalis vacua fue- » rit, totamque ordinariam iuris- » dictionem Episcopalem libere et » valide exercere perget, donec » novus Episcopus Apostolicas ca- » nonicae suae institutionis litteras, » ut diximus, exhibeat.

» Hac autem occasione declara- » mus etiam et decernimus, ea quae » a Gregorio X decessore nostro » in Concilio Lugdunensi secundo » de electis a Capitulis constituta » sunt (2) comprehendere etiam » nominatos et praesentatos a su- » premis publicarum rerum mode- » ratoribus, sive imperatores sint, » sive reges, sive duces, vel prae- » sides, et quomodocumque nun- » cupentur, qui ex Sanctae Sedis » concessione, seu privilegio, iure » gaudent nominandi, et praesen- » tandi ad Sedes Episcopales in » suis respectivis ditionibus vacan- » tes; abolentes idcirco, cassantes » et penitus annullantes usum, seu » potius abusum sub quovis titulo, » vel praetenso et asserto privilegio, » quaesito colore, et quacumque

(1) Extravag. *Iniunctae* de electione inter comm.

(2) Cap. *Avaritiae* de electione in 6.

Avaritiae caecitas et damnandae ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quae sibi a iure interdicta, noverint, exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen Ecclesiarum electi, quia eis iure prohibente non licet ante confirmationem electionis celebratae de ipsis, administrationi Ecclesiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipsam sibi tanquam procuratoribus seu oeconomis committi procurant. Cum igitur non sit malitiae hominum indulgendum, Nos latius providere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut nullus de caetero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub oeconomatus vel procurationis nomine, aut alio de novo quaesito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum gerere vel recipere, aut illis se immiscere praesumat. Omnes illos qui secus fecerint, iure, si quod eis per electionem quaesitum fuerit, decernentes eo ipso privatos.

» causa, licet speciali et expressa » mentione digna, in quibusdam » regnis seu regionibus praesertim » longinquis invectum, quo Capi- » tulum Ecclesiae Cathedralis va- » cantis obsequens invitationi seu » mandato, licet verbis deprecatoriis » concepto, supremae civilis pote- » statis concedere et transferre prae- » sumit, ac de facto concedit et » transfert in nominatum et prae- » sentatum ad eamdem Ecclesiam » illius curam, regimen et admi- » nistrationem, eamque nominatus » et praesentatus sub nomine Pro- » visoris. Vicarii generalis, aliove » nomine gerendam suscipit ante » exhibitionem Litterarum Aposto- » licarum, uti superius dictum est, » de more faciendam, remoto pro- » inde Vicario Capitulari, qui ex » iuris dispositione, toto tempore » vacationis Ecclesiae eam admini- » strare ac regere debet.

» Confirmantes autem alia etiam » Decessorum nostrorum, et prae- » sertim sa: me: Pii VII decreta » et dispositiones, declaramus et » decernimus, ut si interea Vicarius » Capitularis decesserit, aut sponte » sua muneri renuntiaverit, aut ex » alia causa officium ipsum legitime » vacaverit, tunc Capitulum, vel » Capitulo deficiente, qui Potesta- » tem habet deputandi vacantis Ec- » clesiae administratorem, seu Vi- » carium, novum quidem Vicarium » vel administratorem eligat, nun- » quam vero electum in Episcopum » a Capitulis, aut a laica potestate » nominatum seu praesentatum ad » dictam Ecclesiam vacantem; cuius » electionem ac deputationem, si » eam Capitulum vel alius, uti su- » pra, peragere praesumpserit, » cassamus, annullamus, ac omnino » irritam declaramus.

« Confidimus autem Dignitates » et Canonicos Cathedralium Ec- » clesiarum vacantium, ac illos, qui » deficientibus Capitulis, Vicarios » deputant, aut vacantes Ecclesias » legitime administrant, plene exe- » quuturos, quae hisce nostris Lit- » teris declarata et decreta sunt.

» Ubi vero, quod Deus avertat, » ea exequi detrectaverint, ac con- » cedere et transferre in nomina- » tum et praesentatum ad eamdem » Ecclesiam eius curam, regimen, » et administrationem sub quovis » titulo, nomine, quaesito colore » ausi fuerint, praeter nullitatem » iam decretam praedictae conces- » sionis et translationis praefatos » Canonicos ac Dignitates excom- » municationis maioris, nec non pri- » vationis fructuum ecclesiastico- » rum Beneficiorum quorumcum- » que, aliorumque reddituum ec- » clesiasticorum per eos respe- » ctive obtentorum, similiter eo » ipso incurrendis poenis inno- » damus, et innodatos fore decer- » nimus et declaramus, ipsarumque » poenarum absolutionem seu re- » laxationem nobis et Romano » Pontifici pro tempore existen- » ti dumtaxat specialiter reser- » vamus

» In easdem poenas pariter reservatas ipso facto incurrunt nominati et praesentati ad vacantes ecclesias, qui earum curam, regimen et administrationem suscipere audent ex concessione et translatione a Dignitatibus et Canonicis, aliisque de quibus supra, in eos peractam.

» Nec non ii, qui praemissis paruerint, vel auxilium, consilium, aut favorem praestiterint, cuiusque status, conditionis, praeeminentiae, et dignitatis fuerint.

» Praeterea nominatos, et praesentatos, iure quod eis per nominationem et praesentationem forte quaesitum fuerit, decernimus eo ipso privatos.

» Si vero aliqui ex praedictis Episcopali charactere sint insigniti in poenam suspensionis ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu Ecclesiae ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, Sanctae Sedi pariter reservatam.

» Insuper quaecumque a sic nominatis et praesentatis in administratione vacantium ecclesiarum intrusis fiant, mandentur, decernantur, et ordinentur cum omnibus et singulis inde quovis modo secutis, et quomodocumque sequuturis omnino nulla, invalida, inania, irrita, et a non habentibus potestatem damnabiliter attentata, et de facto praesumpta, nulliusque valoris, momenti et efficaciae esse, et perpetuo fore tenore praesentium declaramus et decernimus, illaque damnamus et reprobamus.

» Haec volumus, statuimus, ac mandamus: etc. »

www.libtool.com.cn

Ne simus nimii in iis repetendis quae in relata Constitutione continentur:

1°. Tota ordinaria iurisdictio Episcopi, quae vacua Sede Episcopali ad Capitulum venerat, transit ad Vicarium a Capitulo rite constitutum.

2°. Capitulum nullam huius iurisdictionis partem posse sibi reservare, sed integram ad Vicarium Capitularem transire.

3°. A Capitulo costitui non posse Vicarium ad certum et definitum tempus, sed hunc debere in officio perdurare quousque novus Episcopus de collato sibi Episcopatu Literas Apostolicas Capitulo exhibeat.

4°. Nullas omnino esse limitationes seu quoad iurisdictionem seu quoad tempus a Capitulo adiectas electioni Vicarii Capitularis; hanc vero validam esse, nisi aliud obstet, non obstantibus ipsis limitationibus.

5°. Ea quae in Concilio Lugdunensi II constituta reperiuntur, comprehendere etiam nominatos et praesentatos a supremis rerum moderatoribus; non dari quapropter exceptioni locum.

6°. Qua de causa nullimode attendendam esse praesentationem supremae civilis potestatis, et nullius roboris esse acceptationem praesentati et electi factam a Capitulo, etiamsi praesentatus et electus re-

gimen Ecclesiae suscipiat sub nomine Provisoris, aut Vicarii generalis.

7°. Ecclesiam vacantem per mortem Episcopi regendam esse usque ad praesentationem litterarum apostolicarum a novo Episcopo peragendam, a Vicario Capitulari rite constituto.

8°. Vicario Capitulari decedente, vel renuntiante, vel alia de causa deficiente, eligendum esse novum Vicarium Capitularem, numquam vero acceptandum, sub poenis comminatis, praesentatum a Laica potestate.

Haec autem sapientissime constituta esse nemo non videt; praecluditur enim ambitioni aditus, ecclesiastici canones atque ecclesiae potestas sarta tectaque servatur.

www.libtool.com.cn

APPENDIX XIV.

DE EXCOMMUNICATIONE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATA, IN EOS LATA QUI DANT NOMEN « SOCIETATI CATHOLICAE ITALICAE PRO RECUPERATIONE IURIUM SPECTANTIUM AD POPULUM CHRISTIANUM, ET SPECIALITER AD POPULUM ROMANUM IN ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS. »

S. Poenitentiariae Apostolicae anno 1876 expositum fuit sequens dubium. « Eme et Rme Domine » Nonnulli Sacerdotes Confessarii in alma Urbe humiliter exponunt, hoc tempore per eam circumferri quoddam folium continens programma typis impressum cum adnexis schedis associationis, quo fideles sollicitantur ad adhaerendum cuidam Societati in eum finem institutae vel instituendae, ut quandocumque Apostolica Sedes vacaverit, populus Romanus concurrat in Pontificis electione.

Societati nomen inditum est - *Società cattolica italiana per la rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano ed in ispecie al popolo romano nella elezione del Sommo Pontefice.*

Qui autem huic societati dant nomen declarare expresse debent, prout ex schedarum forma, se assentire doctrinis in programmate enunciatis, et obligationem coram duobus testibus contrahunt, se operam daturos, ut tales doctrinae propagentur, et Societas ipsa dilatetur. Itaque accedentibus (Dei opitulante gratia) ad Sacramentalem Confessionem iis qui huius pravae Societatis promotores extiterunt, vel qui subscripserunt, coeterisque adhaerentibus et fautoribus, praefati Confessarii, ut eos rite absolvere valeant, programmatis et schedarum exemplum S. Poenitentiariae expen-

dendum remittunt, et sequentium dubiorum solutionem expostulant.

1. An omnes et singuli praedictae Societati nomen dantes, vel eam promoventes, aut ei quomodocumque faventes, vel adhaerentes, Excommunicationis poenam ipso facto incurrant?

2. Et quatenus *affirmative*, an huiusmodi excommunicatio sit Romano Pontifici reservata?

Sacra Poenitentiaria attentis omnibus expositis et inspecta natura ac fine huiusmodi Societatis; facta praemissorum relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, et eodem Sanctissimo Domino approbante, ad proposita dubia respondet ut sequitur.

Ad primum. *Affirmative.* Ad secundum. *Incurri excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam.*

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 4 Augusti 1876.

R. Card. Monaco Pro P. M.
Hip. Can. Palombi S. P. *Secr.*

Gravissimo perculsi infortunio, inopinato scilicet Romani Pontificis obitu, inter amantissimorum filiorum gemitus huic quaestioni pertractandae, dum Romana sedes interim vacat, non inopportune manus admovemus, et animum applicamus.

Non est equidem in proposito themate quod difficultatem ingerat, cum manifeste excommunicationem Romano Pontifici speciali modo reservatam incurrant omnes cuiuscumque status, sexus, conditionis, dignitatis qui praedictae societati vel dant nomen, vel eam promovent, vel ei quomodocumque favent aut adhaerent.

Et quidem iuste sapienterque. Agitur enim de re gravissima, quae et varias Romanorum Pontificum Constitutiones in irritum deducit, et electionem Romani Pontificis perturbare potest et retardare, schismata et acres in Ecclesia Christi dissensiones introducere.

Programma illud insuper et conditiones adiectae in Apostolicam Sedem Romanosque Pontifices tot convicia congerunt, ut stomachum moveant.

Ad lectorum nostrorum notitiam programmatis partes necessarias deducimus, et nemo scandalum sumat.

« Equidem Papatus sicut ab ini-
» tio se constituit, ita et nunc
» permanet in suis perniciosis in-
» stitutionibus, legibus contra mo-
» rem inductis, praesumptis juri-
» bus, ut populum christianum ty-
» rannide opprimat. In suis usur-
» pationibus roboratus favore cu-
» iusvis nationis praepotentium, ple-
» bium ad fanatismum, atque stu-
» pidum feticismum impulsarum,
» numquam e Vaticana arce civili-
» tati, progressui, scientiae et liber-
» tati maledicere intermisit.

» Nos ea in sententia versamur, et
» manet alta mente repostum, divi-
» nam Providentiam sicut olim Ro-

» mae idolorum cultui addictae glo-
» riosum munus concredidisse con-
» stituendi et fundandi bases essen-
» tiales iuris nationalis, ita Romae
» Christianae concredidisse Missio-
» nem excellentiorem, Primatus cu-
» iusdam in quodam morali influxu
» constituti, mediante scilicet li-
» bera electione sui Episcopi inter
» omnes Ecclesiae Episcopos pri-
» matum habentis, inita populari
» suffragio, quod amputat, destruit,
» in nihilum deducit illam malam
» arborem effraenis, et arrogantis
» theocratiae, quae barbarica ae-
» tate nomen Papatus assumpsit. »

Huic eximiae praefationi, in qua nescio quid primatum habeat, impietas vel ignorantia, subnectuntur conditiones sequentes:

1°. Programmati adhaerenti propria manu subscribenda erit associationis schedula coram duobus testibus, qui pariter illi subscribent.

2°. Socio cuilibet incumbit onus tum doctrinas in programmate contentas diffundendi, tum subscriptiones procurandi.

Hisce vero praemissis sequitur Conclusio.

« Sit igitur nos inter pax et con-
» cordia; et tunc coniuncti atque
» fortes iurium nostrorum, in aciem
» prodibimus aggrediendi et di-
» ruendi gratia hanc postremam
» arcem papalis tyrannidis, cui iam
» nil aliud superest, quam crude-
» liter fidelium conscientias ad li-
» bitum perturbare. Nemo de vi-
» ctoria dubitet. Quamvis enim pa-
» patus, prout semetipsum consta-
» bilivit, spem omnem reformatio-
» nis excludat, iuramentorum hor-
» ribilium causa, quibus perversi-
» tati colligatur, attamen sicut Ec-
» clesia, etiam iuxta rigidiorum
» Canonistarum sententiam, neque
» in solo Papatu, neque in solo
» Episcopatu, neque in solo clero
» constituitur, sed in unione o-
» mnium fidelium; ita isti iure gau-
» dent, imo et munere, petendi et
» exigendi ut malum cuius caussa
» tantopere tristitia afficiuntur, tan-
» dem aliquando finem habeat, in-
» super apta remedia proponendi
» ut iterum opus Christi resplen-
» deat in sua antiqua puritate, et
» nativa simplicitate (1).

Ut quisque videt, programma

(1) *Italice* Pur troppo il Papato rimase come da se stesso erasi organizzato forte delle sue perniciose istituzioni, delle sue leggi immorali, delle sue invadenti pretensioni, a tiranneggiare la cristianità fino al giorno d'oggi, favorito nelle sue usurpazioni, dai prepotenti d'ogni nazione, dalle plebi fanatizzate col più stupido feticismo, nè cessò mai di maledire dalla rocca Vaticana alla civiltà, al progresso, alla scienza, alla libertà.

Noi siamo convinti che come la Divina Provvidenza affidò alla Roma pagana il compito glorioso di stabilire e di fondare le basi essenziali del diritto nazionale, così abbia affidato alla Roma cristiana la missione anche più eccellente di un tal quale Primato d'influenza morale, mediante la libera elezione del suo Vescovo (primo tra i pastori della cristianità) fatta col suffragio popolare, che tronca, distrugge, annichilisce la mala pianta di quella sfrenata orgogliosa teocrasia che in barbari tempi ebbe nome di Papato.

ejusmodi doctrinas adeo insanas circa Pontificatus institutionem infert, atque tot convicia et calumnias in Romanos Pontifices congerit, ut merito esset proscribendum.

Ignoscendum quidem ignorantiae auctoris est, quem nedum institutio primaeva Pontificatus latet, sed et historia quaelibet Romanae Ecclesiae Pontificum.

Attamen in citato programmate auctor unum confitetur, de quo ei gratias plurimas agimus, Pontificatum scilicet Romanum in suis institutionibus ita permansisse, ut ab initio fuerat constitutus. Quoniam vero in Romano Episcopo Primatus praecipue attenditur, quod egregius programmatis auctor quomodocumque confitetur: (primo tra i pastori della Cristianità); primatus vero a Christo fuit institutus et Petro collatus; qui de cetero illum ut a Christo acceperat suis in Episcopatu Romano successoribus, ut par erat, reliquit, ex confessione praestantissimi auctoris iure meritoque inferimus, Pontificatum Romanum usque nunc in illis institutionibus permansisse quae a Christo traditae et a Beato Petro Apostolo exercitae fuerunt.

Quod si auctor loqui intendat de dominii temporalis assumptione, quod iuxta communiorem sententiam a Gregorio II coepit, nemo non videt in quanta confusione versetur. Confundit enim iura temporalia cum iuribus spiritualibus; quin imo, ut mihi videtur, nescit omnino quid dicat, cum quaeratur non de dominio temporali, sed de fidelium conscientiis tyrannide oppressis. Primatus autem praecipue fuit institutus, ut per Romanos Pontifices scirent fideles quid credendum quidque agendum, quid consonum divinae scripturae et traditioni, quidque dissonum; lege autem conscientia ligatur, non opprimitur.

Verum hisce praetermissis, societas ista in Constitutione *Apostolicae Sedis* fortasse non comprehendebatur, ideoque novo anathemate erat percutienda.

Si enim eam comprehendi dicemus, in duobus fortasse capitibus

Art. 1. Chi aderisce al Programma dovrà di suo pugno sottoscrivere la scheda di associazione alla presenza di due testimonii che egualmente la firmeranno.

Art. 3. Ogni Socio assume l'obbligo di adoperarsi per le adesioni alle idee del programma e per le iscrizioni alla Società.

Sia adunque pace e concordia fra noi, e allora uniti e forti dei nostri diritti, potremo scendere in campo combattere e crollare quest'ultimo baluardo della tirannide papale cui oggimai null'altro più rimane che sbizzarrirsi atrocemente nello strazio delle coscienze. La vittoria non può fallire perchè sebbene il Papato, come si fu costituito, da sè escluda ogni speranza probabile di riforma pei tremendi giuramenti che lo legano al disordine; tuttavia siccome la Chiesa, anche giusta le più rigide forme canoniche, non è nè il Papato solo, nè l'Episcopato solo, nè il Clero solo, ma l'unione di tutti i fedeli; così questi hanno il diritto, e aggiungasi pure il dovere, di chiedere e di esigere la cessazione del gran male che li contrista, e di proporre i mezzi adatti a far risplendere di nuovo l'opera di Cristo nella sua antica purezza e nativa semplicità.

primo scilicet et tertio. Primo quidem, quo excommunicantur omnes a christiana fide apostatae, et omnes ac singuli haeretici quocumque nomine censentur, et cuiuscumque sectae existant. At manifestum est, in citato Capite comprehendi haereticos et sectas notorias, quae scilicet nomen habent, non vero novas sectas quae in futurum fortasse exorientur; sin minus enim nulla erit circa futuras haereses excommunicatio inferenda, cum omnes in citato capite excommunicatione perculsae reperiantur. Addo quod auctor programmatis tanta in scribendo confusione laboret, ut non adeo facile sit determinare quale fidei caput impetat et negare conetur.

Scopus autem societatis illius non est fidei dogmata denegare, sed populo christiano, Romano praecipue, iura vindicare quae ad ipsos spectare dicit in electione Summi Pontificis; ut Pontifex scilicet eligatur non a Cardinalibus vel a clero tantummodo, sed etiam a populo.

Et in hoc nullam haeresim deprehendi datur.

Sed e contra programmatis auctor ita imperitus deprehenditur, si eius verba nude sumantur, ut, nedum populo Romano, sed etiam populo christiano universo iura tribuat in electione Summi Pontificis (rivendicazione dei diritti spettanti al popolo cristiano, e specialmente al popolo Romano nella elezione del Sommo Pontefice); quasi contigerit aliquando, ut praeter populum Romanum, etiam aliarum Urbium populi suffragium in electione Romani Pontificis dederint.

Sed neque in Capite III quo excommunicantur schismatici et illi qui a Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt, comprehendi nomen huic dantes societati videntur.

Schisma enim, ut iam monitum est, est subtractio ab obedientia capitis Ecclesiae formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiae. Iam vero ex primo capite qui eiusmodi Societati Italicae nomen operamque tribuunt, dici schismatici non possunt, cum reapse ab Rom. Pontificis hic et nunc existentis obedientia non se subtrahunt, eiusque obitum expectent, ut plebi christianae, et populo Romano praesertim sua iura in electione Summi Pontificis restituant. Qua de causa, tunc essent uti schismatici habendi, cum a Romani Pontificis obedientia de more a Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus electo sine populi suffragio sese subtraherent, non autem ante eiusdem electionem. – Sed neque ex altero capite, quo recedere putarentur ab unione universalis Ecclesiae.

Haec enim separatio considerari potest vel tempore Sedis vacantis, vel post Pontificem electum; si post Pontificem electum sine populi suffragio, nulla quaestio esse potest quod schisma proprie dictum ha-

beatur; recederent enim ab Ecclesiae capite formaliter sumpto; sed etiam hoc in casu, non vi initae societatis, sed ex reali separatione quae post electionem pontificis haberetur.

Si autem separatio consideratur tempore Sedis vacantis, quisque cogitet, nomen dantes huic societati non se ab unione universalis Ecclesiae vel separare velle, vel de facto se separasse, sed tantummodo intendere ut electio Romani Pontificis ad pristinam, ut aiunt, consuetudinem reducatur; in quo proprie dicti schismatis definitio non includitur, cum ex hoc quod quis vel novam consuetudinem introducere in Ecclesia conetur, vel antiquam in pristinum revocare, nequeat uti schismaticus haberi. Schisma enim non est quid speculativum, sed res de facto, subtractio scil cet realis vel ab obedientia Romani Pontificis, qua est Ecclesiae caput, vel ab unione universalis Ecclesiae. Haec autem in praefata Societate de facto non deprehenduntur, etiamsi ingenue affirmandum sit, ideas in programmate contentas ad schisma deducere.

Demum nemo uti Schismaticus est habendus ni vel ab Ecclesia uti schismaticus iudicetur atque damnetur, vel ipsemet aperte profiteatur se ab Ecclesia recedere.

At Romanus Pontifex etiamsi illa molientes excommunicationi specialiter reservatae subegerit, schismaticos autem nullimode declaravit; ipsi vero nullimode se ab unione universalis Ecclesiae segregare se velle affirmarunt.

Nomen igitur dantes huic italicae societati non comprehendebantur sub censuris in Constitutione Apostolicae Sedis latis, sed erant nova excommunicatione merito plectendi.

Iam vero, ut hoc caput historice pertractemus; nemini dubium esse potest quin ab initio de Ecclesiae Romanorumque Pontificum consensu Romani etiam Episcopi electio a Clero et Romana Plebe facta fuerit, quae circa electum et praesentatum a Clero suffragium ferebat; quod suffragium referebatur ad bonum testimonium de vita et idoneitate praesentati.

Etenim et in Ecclesia Romana mos obtinebat qui in Ecclesia universali per dictum consensum vigebat.

Attamen in electione Summi Pontificis sive ob muneris gravitatem, sive ob plura suborta schismata, quibus non adeo facile occurri poterat, varia et inconstans Pontificis eligendi disciplina fuit, et variis vicissitudinibus obnoxia, inde ortum habentibus, quod ob varias circumstantias, et speciales rationes generali disciplinae circa electionem Romani Episcopi derogatum legitime fuit.

Haec igitur singularia (non tamen omnia) quae in electione Summi Pontificis pro temporum varietate inducta sunt ad lectorum eruditionem primum investigabimus, et postea formam eligendi Pontificis, ut nunc habetur, trademus.

Itaque circa eiusmodi caput, quid singulare primum introduci coepit tempore Bonifacii I circa annum 419. Orto enim schismate ob electionem Bonifacii et Eulalii, circa quos Clerus et populus suffragia diviserant, quod deinceps schisma pacatum fuit a Concilio 250 Episcoporum, qui Bonifacii iura recognoverunt, hic ut futurae electioni sui Successoris consuleret, primum quidem statuit, ut nemo per ambitum Apostolicam Sedem conscenderet, deinde, ut si inter medium schisma duo ordinati forte fuissent, uterque iure caderet, et ad novam electionem deveniretur. Haec autem cum sine ullo populi suffragio statuisset, iam tunc patebat plebis christianae testimonium ad validitatem electionis necessarium non esse; si enim necessarium fuisset, illa statuere sine populi consensu Bonifacius per se minime potuisset. Quae enim ad valorem actus sunt necessaria, sine partium saltem consensu variari non possunt. Attamen et tunc temporis populus Romanus ad electionem a Clero faciendam admittebatur, et saeculis subsequentibus, ut patet ex libro diurno Romanorum Pontificum, in quo circa electionem Romani Praesulis haec Clerus Romanus scribere ad Ravennae Exarchum solitus erat: « In unum convenientibus, ut moris erat, cunctis Sacerdotibus, ac proceribus Ecclesiae et universo Clero, atque optimatibus, et universa militari praesentia, seu civibus honestis, et cuncta generalitate populi Romanae Urbis, a parvo usque ad magnum. » *Tit. 2 Decretum de electione Pontificis*.

Neque inficiamur temporibus, quibus Romana Urbs Graecis Imperatoribus subdebatur, id Romanum Clerum consuevisse, ut talem Pontificem eligeret qui Imperatori foret acceptus; ne scilicet, si ab illo electus Pontifex respueretur, dissensiones, caedesque exorirentur; sicut neque inficiamur, ob illorum temporum calamitates resque Ecclesiae adversas petitam ab Imperatoribus Graecis Pontificum electorum confirmationem, quin imo ipsis quamdam pecuniae summam seu tributum solutum pro confirmatione fuisse (1), qui deinceps abusus a Constantino Pogonato sublati fuere, primum condonato Agathoni tributo, deinde circa annum 685 facta Benedicto II Papae potestate, ut in posterum quicumque a Clero et populo in Pontificem electus legitimis suffra-

(1) Ex Can. 22 Dist. 68. Agatho natione Siculus, cuius legatione fungens Ioannes Episcopus Portuensis dominico die octavo paschae in Ecclesia Sanctae Sophiae publicas missas coram principe et patriarcha latine celebravit hic suscepit ab illo divalem, id est regiam epistolam secundum suam postulationem, per quam relevata est quantitas pecuniae quae solita erat dari pro ordinatione Pontificis facienda; sic tamen ut si contigerit post eius transitum electionem fieri, non debeat ordinari qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, ut cum eorum conscientia et iussione debeat ordinatio prosperari.

gis fuisset, is, etiam irrequisito Imperatore, Romanae Ecclesiae Episcopus pleno iure haberetur.

At plane negamus, ab Hadriano postquam Imperium a Graecis ad Francos translatum fuit, circa annum 780 factam fuisse Imperatori potestatem tum eligendi Pontificem, tum Apostolicam Sedem ordinandi; quae ortum habuere ex Can. XXII Dist. 63 (1).

Merito enim hic canon a criticis ut apocryphus reiicitur, tum quia eius auctor Sigebertus scriptor undecimi saeculi et Henrico Imperatori pontificales investituras sibi adserenti acceptus, tum quia nullus antiquior historicus, ne ex iis quidem qui Caroli Magni gesta scripserunt, et ad sidera extulerunt de illa concessione Hadriani ullam fecere mentionem; tum quia Legati Ludovici II in electione Hadriani II etsi Romae adessent, tamen ad Pontificem eligendum advocati non fuere; ut patet ex Can. 29 eiusdem distinctionis: « Cum Hadrianus II » ad Romanum Pontificatum ab Ecclesia Dei Genitricis dominae nostrae quae dicitur ad praesepe, » traheretur ad Lateranense Patriarchium; certatim a populo et clero et proceribus deportatus est, » quod audientes missi Ludovici » Imperatoris moleste tulerunt et » indignati sunt, quod dum praesentes essent, non fuerunt invitati, nec optatae a se futuri praesulis electioni interesse meruerunt; qui accepta ratione, quod » non causa contemptus Augusti, » sed futuri temporis prospectu hoc » commissum fuerat, ne videlicet » legatos principum in electione » Romanorum Praesulum expectandi mos per huiusmodi fomitem » inolesceret, omnem indignationem medullitus sedaverunt, et » ad salutandum electum etiam ipsi » humiliter accesserunt. »

Haec autem si vera sunt, commentum de facta ab Hadriano Primo Carolo Magno potestate tum eligendi Pontificem, tum Romanam Ecclesiam ordinandi funditus evertunt; quomodo enim praeteriri Legati Ludovici Secundi poterant, quando ad ipsos pertinebat electio? Vel quomodo placari ea responsione poterant, dum per eam ius imperatorium evertebatur?

His tamen praetermissis, certum

(1) Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesiae postulavit. Carolus vero Romam veniens, Papiam obsedit; ibique relicto exercitu, in sancta resurrectione ab Hadriano Papa Romae honorifice susceptus est. Post sanctam resurrectionem reversus Papiam cepit Desiderium Regem; deinde Romam reversus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in patriarchatu Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris; quae Synodus celebrata est a 158 Episcopis religiosis et Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo ius et potestatem eligendi Pontificem et ordinandi Apostolicam Sedem; dignitatem quoque patriciatus ei contulerunt. Insuper Archiepiscopos et episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit; ut nisi a Rege laudetur et investiatur Episcopus, a nemine consecretur; et quicumque contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit; et nisi resipisceret, bona eius publicari praecepit.

ex historia est, plebem Romanam in electione Pontificis admissam fuisse usque ad saeculum XII, etiamsi Cardinales iam praecipuas partes in eligendo Pontifice habuisse constet, ut patet ex iis quae Nicolaus II constituisse an. 1059 fertur. « Decernimus atque statuimus ut obeunte » huius Romanae Ecclesiae universalis Pontifice, imprimis Cardinales Episcopi diligentissime simul » de electione tractantes, mox Christi clericos Cardinales adhibeant; » sicque reliquus Clerus et populus ad consensum novae electionis accedant. » Can. 1 Dist. 23.

Paullatim vero factum est, ut soli Cardinales, saltem ab Innocentii II tempore Romanum Pontificem eligerent.

Id vero edita Sanctione decretum fuit ab Alexandro III in Concilio Lateranensi III an. 1179. Cum enim in eius electione pauci Cardinales suffragia contulissent primum in Octavianum, seu Victorem IV, deinde in Guidonem, seu Paschalem III, demum in Ioannem, seu Callistum III, id vero praepotentia et suasione Friderici I Germanorum Imperatoris, Alexander tot tantisque malis finem imponere curavit; propterea que sancivit 1°. ut soli Cardinales ad electionem Pontificis admitterentur. 2°. ut is rite electus haberetur, in quem duae ex tribus Cardinalium partes consensissent, 3°. ut a tertia tantummodo parte electus excommunicationi subiaceret, si Pontificatum suscipere moliretur; 4°. ut eidem poenae subiaceret qui electus a paucioribus quam a duabus partibus Pontificatu non abstineret, nisi maior concordia intercesserit, id est nisi qui dissenserant, electioni consentirent, et eiusmodi consensione duas ex tribus partes plenas conficerent. « Licet de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a Praedecessoribus Nostris » constituta manaverint; quia tamen » saepe post illa per improbae ambitionis audaciam gravem passa » est Ecclesia scissuram, nos etiam » ad malum hoc evitandum, de consilio fratrum nostrorum et sacri » approbatione Concilii aliquid decrevimus adiungendum. Statuimus ergo ut si forte (inimico homine superseminante zizaniam) » inter Cardinales de substituendo » summo Pontifice non poterit esse » plena concordia, et duabus partibus concordantibus, pars tertia » concordare noluerit, aut sibi alium » praesumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus Pontifex » habeatur qui a duabus partibus » concordantibus electus fuerit et » receptus. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus, » quia rem non potest, sibi nomen » Episcopi usurpaverit, tam ipse, » quam ii qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, et totius sacri Ordinis privatione multentur, ita ut viatici etiam eis » (nisi tamen in ultimis) communio » denegetur; et si non resipuerint

» cum Dathan et Abiron (quos ter
» ra vivos absorbuit) accipiant por-
» tionem. Praeterea si a pauciori-
» bus quam a duabus partibus ali-
» quis electus fuerit ad apostolatus
» officium, nisi maior concordia in-
» tercesserit, nullatenus assumatur,
» et praedictae poenae subiaceat, si
» humiliter noluerit abstinere.

» Ex hoc tamen nullum canonici-
» cis constitutionibus et aliis eccle-
» siis praeiudicium generetur, in
» quibus debet maioris et sanioris
» partis sententia praevalere; quia
» quod in eis dubium venerit, su-
» perioris poterit iudicio definiri.
» In Romana vero Ecclesia speciale
» aliquid constituitur, quia non po-
» terit ad superiorem recursus ha-
» beri. »

Nil scilicet Summi Pontifices praetermiserunt in iis statuendis, quae tum ad canonicam, tum ad pacificam Vicarii Christi electionem conferre possent. At etiam post Alexandrum III inimicus homo in sacro Cardinalium Collegio et in Ecclesia ipsa superseminavit zizania; quare a successoribus Pontificibus novae edendae Constitutiones fuere.

Hinc Summus Pontifex et Beatus Gregorius X cum vidisset S. R. E. Cardinales Viterbii in Conclavi collectos triennio pro eligendo Pontifice decertasse, ita ut Christi fideles thaedio, et fortasse ira abrepti Conclavis tectum discooperuerint, in Concilio Lugdunensi II Generali XIV an. 1274 multa iterum statuit, atque Conclavis disciplinam primus instituit (1).

Definivit igitur, ut cum Pontifex moriatur ea in civitate, in qua cum sua Curia residebat, Cardinales qui fuerint ipsa in civitate praesentes teneantur expectare absentes spatio decem tantummodo dierum, quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, ex tunc omnes conveniant in palatium, in quo Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis vel laicis,

(1) Constitutionem referre ducimus. Can. IV. « Ubi periculum maius intenditur, ibi » procul dubio est plenius consulendum. Quam gravibus autem sit onusta dispendiis, quot » et quanta sit plena periculis Ecclesiae Romanae prolixa vacatio, exacti temporis consideratio » edocet, et considerata prudenter illius temporis discrimina manifestant. Hinc Nos evidens » evocat ratio ut dum reformandis etiam minoribus nostra solerter vacat intentio, ea quae » periculosiora sunt, nequaquam absque remedio reformationis accommodae relinquamus. » Ideoque omnia, quae pro vitanda discordia in electione Romani Pontificis a nostris sunt » Praedecessoribus et praecipue a felicis recordationis Alexandro Papa tertio in Concilio » Lateranensi salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, (nihil » enim illis detrahere intendimus, sed quod experientia deesse probavit, praesenti constitu- » tione supplere) hoc sacro Concilio approbante statuimus:

» Ut si eumdem Pontificem in civitate in qua cum sua Curia residebat diem claudere » contingat extremum Cardinales qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes expectare » decem diebus tantummodo teneantur; quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, » ex tunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli » singulis tantummodo clericis servientibus vel laicis, prout duxerint eligendum; illis ta- » men, quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, eiusdem » electionis arbitrio reservato.

prout duxerint eligendum, nisi patens necessitas postulet duos ad famulatum adsciscere.

Sic congregatis Cardinalibus praecipitur ut in eodem palatio, in uno conclavi, nullo intermedio pariete,

» In eodem autem Conclave, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent » in communi; quod (servato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut » nullus intrare valeat vel exire, nulli ad eosdem Cardinales aditus pateat, vel facultas » secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de » voluntate omnium Cardinalium inibi praesentium, pro iis tantum, quae ad electionis in- » stantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit ipsis Cardinalibus, vel eorum » alicui nuncium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel » nuncium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo, ipso facto sententiam excommuni- » tionis incurrat. In conclave tamen praedicto aliqua fenestra competens dimittatur, per » quam eisdem Cardinalibus ad victum necessaria commode ministrentur; sed per eam nulli » ad ipsos patere possit ingressus.

» Verum si, quod absit, infra tres dies, postquam, ut praedicitur iidem Cardinales in- » traverint, non fuerit ipsi Ecclesiae de pastore provisum, per spatium quinque dierum » immediate sequentium, singulis diebus in prandio quam in coena, uno solo ferculo sint » contenti. Quibus provisione non facta decursis, ex tunc tantummodo panis et vinum et » aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque huius » modi pendente negotio, dicti Cardinales nihil de Camera Papae recipiant, nec de aliis » eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undequaque, sed ea omnia vacatione » durante, sub eius, cuius fidei et diligentiae Camera eadem est commissa, custodia ma- » neant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, » teneantur ex tunc a perceptione quorumlibet redditnum ad ipsos spectantium abstinere, » donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant.

» Iidem quoque Cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se de alio » negotio nequaquam intromittant, nisi forsan necessitas adeo gravis incideret, quod eos » oporteret de terra ipsius Ecclesiae defendenda, vel eius parte aliqua providere, vel nisi » tam grande tamque evidens aliquod periculum immineret, quod omnibus et singulis Car- » dinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum.

» Sane si aliquis de praedictis Cardinalibus Conclave praedictum, ut supra exprimitur, » non intraverit, aut intrans absque aliqua manifesta causa infirmitatis exierit, ipso mi- » nime requisito, nec in eiusdem electionis negotia ulterius admittendo, per alios ad eli- » gendum Summum Pontificem libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente, idem » Conclave aliquem ex eis exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante poterit eius suf- » fragio non requisito ad electionem procedi. Sed si ad alios post sanitatem sibi redditam » seu antea redire voluerit; vel etiamsi alii absentes, quos post decem dies diximus expe- » ctandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem Ecclesiae sit de pastore provi- » sum; in eodem negotio, in eodem statu, in quo ipsum invenerint, admittantur, praemissa » tam de clausura, quam de servientibus, cibo ac potu et reliquis cum aliis servaturi.

» Porro si quando Romanum Pontificem extra civitatem praedictam, in qua erat cum » sua Curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur Cardinales in civitate, in » cuius territorio, seu districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta » vel contra Ecclesiam romanam in aperta rebellione persistat. Quo casu in alia viciniore » conveniant, quae similiter nec interdicto sublaceat, nec sit, ut praedicitur, aperte rebellis. » In hac etiam civitate tam quoad aspectationem absentium, quam quoad habitationem comu- » nem, clausuram et cetera omnia in domo episcopali, vel alia qualibet eisdem Cardina- » libus deputanda, eadem observentur, quae superius obeunte dicto Pontifice in ea in qua » cum sua residebat Curia, sunt expressa.

» Praeterea quia parum est iura condere, nisi sint qui eadem tueantur, adiiciendo sanci- » mus, ut Dominus, aliique Rectores et officiales civitatis illius, in qua Romani Pontifices

seu alio velamine, omnes in communi inhabitent, quod, reservato libero ad secretum cubiculum aditu, ita claudatur undique, ut nemo illud intrare valeat, vel eo exire; item ut nemini ad eosdem Cardina-

» celebranda fuerit electio, auctoritate nostra et eiusdem approbatione Concilii, potestate sibi
» tradita, praemissa omnia et singula plene ac inviolabiliter sine fraude ac dolo aliquo faciant
» observari, nec Cardinales ultra quam praemittitur arctare praesumant. Super his autem
» taliter observandis statim audito Summi Pontificis obitu, coram Clero et populo universo
» civitatis ipsius ad hoc specialiter convocandis praestent corporaliter iuramentum. Quod
» si forte in praemissis vel circa ea fraudem commiserint, aut ipsa diligenter non observa-
» verint, cuiuscumque sint praeminentiae, conditionis, aut status, omni cessante privilegio,
» eo ipso excommunicationis sint vinculo innodati, et perpetuo sint infames, nec umquam
» eis portae dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur; ipsos insu-
» per feudis et bonis ceterisque, quae ab eadem Romana, vel quibuslibet aliis Ecclesiis
» obtinent, ipso facto decernimus esse privatos, ita quod ad Ecclesias ipsas plene ac libere,
» revertantur, administratorum earumdem Ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua
» disponenda. Civitas vero praedicta non solum sit interdicto supposita, sed et Pontificali
» dignitate privata.

» Ceterum quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquid
» obligationis cuiuscumque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi,
» Cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiae Dei nostri, per aspersionem sui
» pretiosi sanguinis obtestamur, ut pensantes attentius quid eis imminet, cum agitur de
» creatione Vicarii Iesu Cristi successoris Petri, Rectoris universalis Ecclesiae, gregis do-
» minici directoris, omni privatae affectionis inordinatione deposita, et cuiusvis pactionis,
» conventionis et obligationis necessitate, nec non condicti et intendimenti contemplatione
» cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, non quae sua sunt
» quaerant, non commodis privatis intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicio,
» nisi Deo, puris et liberis mentibus, nuda electionis conscientia utilitatem publicam libere
» prosequantur. Omni conatu et sollicitudine, prout possibilitas patitur, illud acturi tan-
» tummodo, ut eorum ministerio acceleretur utilis et pernecessaria totius mundi provisio,
» idoneo celeriter eidem Ecclesiae Sponso dato. Qui autem secus egerint, divinae subia-
» ceant ultioni, eorum culpa, nisi gravi propter hoc peracta poenitentia, nullatenus abo-
» lienda.

» Et nos nihilominus pactiones, obligationes, condicta et intendimenta omnia, sive iura-
» menti, sive cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, et
» viribus decernimus omnino carere; ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit
» adstrictus; nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servatae, sed
» non indignae laudis potius titulum mereatur, cum lex etiam humana testetur, Deo magis
» transgressiones huiusmodi, quam iurisiurandi observationes acceptas.

» Quia vero fidelibus non est tam de sollicita quantumcumque inventione fidendum,
» quam de instantia humilis et devotae orationis sperandum, huic adiicimus sanctioni ut
» in omnibus civitatibus ceterisque locis insignibus, ut primum de memorati Pontificis obitu
» certitudo claruerit, a Clero et populo solemnibus pro exequiis celebratis, singulis diebus,
» donec de Ecclesiae ipsius provisione indubitatus rumor pertulerit veritatem, humiles
» preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse qui con-
» cordiam facit in sublimibus suis, sic officiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo
» concordia, quod provisio celer, concors et utilis, prout animarum salus exigit, et totius
» requirit orbis utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur.

» Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum ignorantiae negligi praetextu con-
» tingat, districte praecipimus, ut Patriarchae Archiepiscopi, Episcopi et alii Ecclesiarum
» Praelati, ceterique, quibus concessum est proponere verbum Dei, Clerum et populum
» propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum pre-

les aditus pateat, nec facultas secrete loquendi cum eis; nec ipsi aliquos ad se venientes admittant nisi eos qui de voluntate omnium Cardinalium ibi praesentium pro iis tantum, quae ad electionis instantis negotium pertinent vocarentur. Insuper ut nemini fas sit ad ipsos Cardinales, vel eorum aliquem nuncium mittere vel scripturam, indicta ipso facto adversus eos, qui colloquia habuerint, vel nuncium literasque miserint, sententia excommunicationis. Imo ut cautius haec fierent, statutum est, ut quae Cardinalibus ad victum necessaria forent, per fenestram ad id apertam inferrentur.

Quod si intra tres dies electio Pontificis secuta non fuerit, statutum est, ut Cardinales per quinque subsequentes dies, tam prandii quam coenae causa, uno ferculo contenti essent; elapsis autem etiam quinque diebus, accipiant tantummodo panem, vinum et aquam. Insuper adiectum est, ut vacante Sede, Cardinales nihil de Camera Papae recipiant, nec de aliis eidem Ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undecumque, sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub eius, cuius fidei et diligentiae camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur ex tunc a receptione quorumlibet reddituum ad eos spectantium abstinere, donec de receptis plenariam satisfactionem impendant.

Praeterea mandatur Cardinalibus ut quantocius in electionem incumbant, eamque ob rem ab aliis negotiis vacent, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, ob quam oporteret, eos de terra ipsius Ecclesiae defendenda, vel eius parte aliqua providere; vel nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum immineret, cui omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus concorditer videretur celeriter occurrendum.

Quod si aliquis ex Cardinalibus Conclave non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis exierit, facultas facta est ceteris Cardinalibus, eo minime requisito, ad electionem libere procedendi. Si vero ob infirmitatem idem conclave ex eis aliquem exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante, potest, eius suffragio non requisito, electio fieri. Sed si reparata salute vel etiam adhuc infirmitate detentus redire voluerit, vel etiam si alii absentes post decem superius designatos dies supervenerint, re integra, id est ante factam electionem, admitti in conclave poterunt, eadem regulas servaturi.

Porro si quando contingat, Romanum Pontificem extra civitatem,

» cum suffragia pro celeri et felici exitu tanti negotii frequentanda solerter hortentur. Et » ipsis eadem auctoritate solum orationum frequentiam, prout circumstantia pensandus » suaserint, ieiuniorum indicant. »

in qua cum curia residebat, obire, obligantur Cardinales in civitate in cuius territorio, seu districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra Ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat, quo casu in alia viciniore conveniant, quae nec interdicta sit, nec Ecclesiae Romanae rebellis, eodem ritu observando in ceteris in hac urbe, qui Romae observaretur, si Romae Pontifex obivisset.

In §. *Praeterea* eiusdem Capituli executio huius constitutionis mandatur dominis, aliisque rectoribus et officialibus civitatis illius, in qua electio fuerit celebranda, certis ibidem indictis poenis adversus eos, qui Concilii formam non essent servaturi.

In §. *Coeterum* monentur Cardinales ut sincere religioseque ad optimi Pontificis electionem deveniant, pactionibus omnibus penitus improbatis.

Denique in §. ultimo suadetur universo populo christiano, ut pro optimi Pontificis electione preces ad Deum enixas fundat, quod ut commodius fiat, Episcoporum omnium sollicitudo excitatur.

Vim huius Constitutionis Hadrianus V et Ioannes XX suspenderunt vel abrogarunt, sed eam restituit confirmavitque S. Coelestinus V, ratamque habuit Clemens V qui et nonnulla adiecit; scilicet 1° ut officia camerariorum (1) ac poenitentiariorum morte Pontificis non expirent; 2° si vacante pontificia Sede camerarium aut poenitentiarium quemdam mori contigerit ut valeat Cardinalium coetus ad tempus vacationis alios Camerarios pro numero deficientium, item alios poenitentiarios etiam in ulteriore numero, si videatur concorditer expedire, subrogare; tertio ut nomine territorii civitatis, in qua Pontifex obierit extra urbem designati in laudato Concilio Lugdunensi, intelligatur

(1) Eo tamen proviso quod sit eiusdem Ecclesiae Camerarium, aut maiorem, vel aliquos » alios ex poenitentiariis (quorum officium per obitum eiusdem Pontificis nolumus expirare) » per mortem, vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem coetus ad tempus » vacationis huiusmodi, pro numero deficientium, vel ampliori etiam quantum ad poeni- » tentiarios, si hoc eidem coetui concorditer expedire videbitur, alios surrogare.

» Sane cum iuxta Constitutionem praedictam Papa extra civitatem, in qua cum sua » erat Curia, moriente, in civitate in cuius districtu seu territorio moritur, sit regu- » lariter successoris electio celebranda, districtus seu territorii nomine dioecesim hoc casu » intelligenda fore censemus. Eo tamen adiecto, quod si in certo loco causarum et litera- » rum apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, sed ubi » praedicta fuerit audientia, memorata electio celebretur, etiamsi eadem audientia tempore » mortis huius vacare noscatur, nisi forsan ante mortem eamdem ordinatum esset per » Papam de Curia transferenda; quo casu servetur provisio Constitutionis praedictae.

» Porro si Romano non electo Pontifice Cardinales omnes simul vel successive (quod » absit) exire contingeret conclave deputatum eisdem, hi ad quos pertinet executio Consti- » tutionis praedictae, illos ex ipsis, quibus infirmitas corporis aut nota debilitas excusa- » tionem non dabit, idem conclave quam cito poterunt reintrare compellant; poenas in dicta

Dioecesis; eo etiam adiecto, ut si in certo loco causarum et litterarum Apostolicarum audientia remanente, Pontificem alibi mori contingat, non ibi, sed ubi praedicta fuerit audientia, electio celebretur, etiamsi audientia tempore mortis huius vacare noscatur; nisi forsan ante mortem Pontificis Papa mandasset Curiam transferri.

Quarto, si Romano non electo Pontifice, Cardinales omnes vel simul, vel successive contingeret exire Conclave, ut ii, ad quos pertinet executio iuxta Constitutionem laudatam Gregorii X, Cardinales legitime non impeditos iterum, et quam cito poterunt, ingredi Conclave compellant, ad electionem processuros secundum statum, in quo erant in conclavi unde exiverunt.

Postremo ut nullus Cardinalium cuiuslibet excommunicationis, suspensionis, aut interdicti praetextu a dicta valeat electione repelli.

Porro hae Constitutiones, multis etiam adiectis, confirmatae sunt a Clemente VI in Constitutione *Licet* anni 1351; ab Iulio II, in Constitutione *Cum tam divino* anni 1503; a Clemente VII in Constitutione *Cum carissimus* anni 1529, et in Constitutione *Licet variae* anni 1533.

Paulus IV novam edidit de re Constitutionem anno 1558 adversus eos, qui ambitu curarent, ut ad Sedem Pontificiam promoverentur, et vivente adhuc Pontifice de successoris electione tractarent. Incipit: *Cum secundum Apostolum.*

Clarius etiam explicavit laudatas Constitutiones, quibus et nonnihil adiecit anno 1562 Pius IV in sua Constitutione *In eligendis;* et supremam manum admoverunt Gregorius XV in Constitutione quae incipit *Ad Romani* anni 1625. Alexander VII in Constitutione *Inter ceteras* anni 1669. Et Innocentius XII in sua Constitutione *Romanum decet* anni 1692.

In his porro Constitutionibus nihil praetermiserunt Romani Pontifices quo electio Vicarii Christi in terris integre sancteque perficeretur. Ex iis insuper patet, electionem eiusmodi ad Cardinales esse devolutam, tum quia hi constituerent Romanae Ecclesiae Clerum, tum ex approbatione Conciliorum generalium, tum ex consensu universalis Ecclesiae, tum ex antiqua consuetudine; ita ut a veritate vere exorbitent illi, qui in dubium re-

» constitutione contentas, nisi hoc fecerint incursuri. Cardinales autem huiusmodi Conclave » reintrantes ad electionem iam dictam procedant; et alias Constitutionem praefatam ob- » servarent secundum statum, in quo erant in eodem Conclavi, quando ipsum, ut praemit- » titur, exiverunt.

» Coeterum ut circa electionem praedictam, eo magis vitentur dissensiones et schismata, » quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas, decernimus ut nullus Cardinalium cu- » iuslibet excommunicationis, suspensionis aut interdicti praetextu, a dicta valeat electione » repelli. Iuribus aliis circa electionem eamdem hactenus editis plene in suo robore du- » raturis. »

vocant legitimam Romanorum Pontificum electionem, quod hi a Cardinalibus eligantur.

Ut autem de modo eligendi Pontificis aliquid dicamus.

Primo die post Pontificis obitum in generali Congregatione Cardinales audiunt, et iurant pontificias Constitutiones in eligendo se observaturos; sigilla eius frangunt, gubernatorem Urbis eligunt (loquor quasi adhuc re integra), aliquot ipsorum operi conclavis praeficiunt, et funus deducunt. Secunda die ministros et officiales confirmant, qui alias confirmari ipso iure praesumuntur, urbis conservatores audiunt et praefectos conclavis. Tertia die confessarium Conclavis eligunt, et sepulturae tradunt cadaver defuncti Pontificis. Quarta et quinta, medicos, chirurgum, aromatarium, barbitonsores Conclavis destinant. Sexto cellas conclavis sorte distribuunt. Tum caeremoniarum magistri non participantes exhibent indulta brevium sibi concessa ingrediendi conclave. Septimo audiuntur, qui tertium conclavistam indulgendum sibi postulaverint, nam duo cuilibet Cardinali ordinarie assignantur. Octavo Cardinales duos eligunt ad inquirendas et probandas qualitates conclavistarum. Nono tres alios Cardinales praeficiunt custodiae et curae conclavis. Decimo celebrata Missa de Spiritu Sancto Conclave ingrediuntur, et indulta Cardinalium, qui sacros ordines non susceperint disquirunt, nam qui in sacris constituti non sunt iure eligendi carent, destinant coementarium et lignarium. Undecimo ad clausuram Conclavis ritu solemni procedunt, relectasque inibi constitutiones Apostolicas, iurant iterum eas se observaturos, Concionem Decani audiunt, atque ad inchoandam electionem procedunt.

Hae autem variae actiones ex Coeremoniali Gregorii XV ita per singulos dies fuere distributae; non quod in cit. Caeremoniali prout refertur in Constit. *Decet Romanum Pontificem*, ita distributae reperiantur.

Electio autem Romani Pontificis tribus modis perfici potest, *per scrutinium, per compromissum*, et *quasi inspirationem*.

Fit scrutinium, electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quae *certa*, sine *ulla conditione*, et sine *ulla ambiguitate* esse debent. Eaque colligenda sunt secreto, ut plurimum in scriptis *singillatim* non a pluribus coniunctim; *iusto ordine*, ut scrutatores invicem a seipsis suffragia excipiant, deinde a ceteris secundum ordinem et praerogativam gradus, quem unusquisque obtinet; *diligenter*, ut vel ipsi, vel iis praesentibus, tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, seu patefaciant, ut electus censeatur, in quem, ut dictum est, duae ex tribus Cardinalium partes consenserint.

Cum electio fit per scrutinium

etiam *accessus* adhibetur. Nimirum cum publicato scrutinio, nemo electus deprehenditur a duabus vel tribus eligentium partibus, novum *in accessu* suffragium ferre possunt Cardinales illi qui mutato consilio alium eligunt, non vero illi qui Cardinali, pro quo fit accessus, iam suffragium dedere; sin minus bi duo suffragia in unum conferrent.

Scrutinii forma tres actiones continet; altera ante scrutinium, altera quae scrutinium, altera quae post scrutinium appellari potest.

Actus antescrutinii ex Caeremoniali Gregorii XV quinque sunt; praeparatio schedularum scrutinii et accessus; extractio scrutatorum, et deputatorum pro votis infirmorum per sortem; scriptio schedularum scrutinii; earum complicatio et obsignatio. Scrutinii autem actus sex numerantur; nimirum delatio schedulae, iuramentum (1), positio schedulae in calicem, schedularum in filum insertio, depositio.

Si postscrutinii electio secuta non sit, septem sunt actus; accessus, sigillorum et signorum aperitio, adnotatio, suffragiorum examen, eorumdem numeratio, recognitio et schedularum combustio

In accessu eadem servantur ac in scrutinio quoad inscriptionem, obsignationem, complicationem, delationem, positionem in calicem, numerationem, publicationem, notationem suffragiorum, insertionem in filum, et depositionem. Excipe 1.° quod schedulae pro accessu sumantur ex disco schedularum accessus. 2.° Quod fieri non possit accessus, nisi ad eum cardinalem, qui in illo scrutinio saltem unum obtinuerit suffragium, non vero ad eum qui ab ipsomet Cardinali fuit in scrutinio nominatus. 3.° Quod quamvis non liceat plures nominare, licebit tamen accedere uni ex pluribus a se nullimode nominatis, dummodo eidem ab alio saltem suffragium non nulliter datum sit. 4.° Quod non praestetur iuramentum aliud. 5.° Quod denique Cardinales infirmarii deferant ad infirmos tum schedulas accessus, tum folium impressum, in quo notatus sit suffragiorum numerus palam recognitus.

Ad haec fit aperitio sigillorum et signorum, eorumdem adnotatio, et suffragiorum examen, numeratio, recognitio, combustio.

Denique si per scrutinium electio sortita sit, postscrutinii tres erunt actus, scilicet numeratio schedularum, recognitio suffragiorum, et schedularum combustio. Hinc signo tintinnabuli facto Capellam ingrediuntur. Secretarius S. Collegii et magister caeremoniarum, quorum adsistentia Cardinales Decanus, primus Episcopus, primus Presbyter, primus Diaconus, et Camerarius ad electum accedunt, quem Decanus rogat: *acceptas ne electio-*

(1) Iurant huiusmodi. *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.*

nem de te canonice factam in Summum Pontificem?

Habito consensu, cognito nomine, quod sibi imponere vult, primus magister caeremoniarum coram testibus rogat publicum instrumentum. Denique indutus vestibus Pontificalibus ad osculum manus et ad amplexum excipit electus ipse ordine Cardinales, et primus Diaconus alta voce novi Pontificis creationem manifestat in superiore magno ambulacro, quod valvae maiori S. Petri innixum est.

Secundus modus est per compromissum (excribo ipsum Caeremoniale Gregorii XV in cit. Const. *Decet.*) quando scilicet Cardinales, ad electionem per hanc formam seu viam procedere volentes, committerent aliquibus ex patribus eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae provideant de Pastore. Cuius formae praxis potest esse huiusmodi. Primo omnes et singuli Cardinales in Conclavi praesentes, nemine eorum dissentiente, in aliquos ex Patribus compromissum faciunt, ex. gr. in hanc formam. *In nomine Domini. Amen. Anno ab eiusdem etc. mense etc. die etc. nos Episcopi, Presbyteri et Diaconi S. R. E. Cardinales omnes et singuli in Conclavi existentes, videlicet NN.* (et singillatim omnes nominentur Cardinales) *elegimus et eligimus per viam procedere compromissi, et unanimiter et concorditer, nemine discrepante, eligimus compromissarios NN. et N. Cardinales etc. quibus damus plenariam facultatem et potestatem providendi S. R. E. de Pastore, sub hac forma, videlicet etc.* (hic optimum erit, ut Cardinales compromittentes exprimant modum et formam, secundum quam compromissarii debebunt eligere, et secundum quam electus debet censeri verus et legitimus Papa, ut puta, si electi sint tres compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida prius proponere debeant sacro Collegio personam vel personas ab ipsis nominandam, vel nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere; an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat, quod duo in unam concordent, et an debeant nominare aliquem de collegio, vel etiam aliquem extra collegium, et his similia). His autem, vel aliis similibus expressis, addi compromissioni solet tempus, ad quod usque volunt Cardinales, potestatem compromissarios habere eligendi, et postea subiunguntur haec verba: *Et promittimus nos illum pro Romano Pontifice habituros, quem Domini Compromissarii secundum formam praedictam duxerint eligendum;* vel alia ad formam Compromissariis praescriptam accommodata.

Secundo, completo huiusmodi mandato, compromissarii ad partem in aliquo loco separato se conferunt, et de electione facienda tractant. et solet inter eos praemitti

protestatio, quod per quamcumque prolationem verborum suum dare consensum non intelligunt, nisi in scriptis illum expresse ponant. Et haec protestatio videtur necessaria inter compromissarios, ut verbis humanis et reverentialibus inter se sine praeiudicio uti possint.

Tertio, facta per compromissarios electione secundum formam eis praescriptam, et servatis iis quae Gregorius XV in sua Constitutione iussit, electus per huiusmodi viam compromissi est canonicus et verus Papa.

Tertius modus, qui in cit. Constitutione primo loco recensetur, est qui quasi per inspirationem vocatur; quando scilicet omnes Cardinales, quasi Spiritu Sancto afflati, aliquem unanimiter et viva voce Summum Pontificem proclamant, circa quem modum ex Constitutione Gregoriana infrascripta notari possunt.

Primum haec forma electionis practicari potest solum in conclavi, et eo clauso. Secundo debet fieri electio secundum hanc formam ab omnibus et singulis Cardinalibus in Conclavi praesentibus. Tertio, communiter, et nemine eorum dissentiente. Quarto, nullo praecedente de persona tractatu, et per verbum *eligo* intelligibili voce prolatum, aut scripto expressum, si voce non possit proferri.

Exemplum autem huius potest esse huiusmodi: si aliquis patrum, clauso conclavi, nullo, ut praefertur, praecedente speciali tractatu, diceret: *Reverendissimi Domini, perspecta singulari virtute et probitate R. D. N., iudicarem illum eligendum esse in Summum Pontificem, et ex nunc ego ipsum eligo in Papam.* Deinde hoc audito, si ceteri patres, nemine excepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo *eligo* intelligibili voce prolato, aut si non potest, in scriptis expresso, eumdem N. de quo nullus specialis tractatus praecessit, communiter eligerent, ipse N. esset canonice electus et verus Papa, secundum hanc electionis formam, quae dicitur per inspirationem.

Post haec Dominum Deum nostrum humiliter deprecemur, ut cum Ecclesiae Suae vigilem sanctumque Pontificem concedere dignatus sit, illum incolumem conservet.

APPENDIX XV.

IN CLAUSULAM QUA ABSOLVUNTUR EXCOMMUNICATIONES LATAE SENTENTIAE SPECIALI MODO ROMANO PONTIFICI RESERVATAE.

Recensitis excommunicationibus speciali modo reservatis, aliquid dicendum superest in clausulam, qua absolvuntur. Inquit ergo Pontifex; » A quibus omnibus excommunicationibus huc usque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari; et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus; revocatis insuper earumdem respectu quibusque indultis concessis sub quavis forma et quibusvis personis etiam Regularibus cuiuscumque ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem praesumentes sine debita facultate, etiam quovis praetextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatae innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint. »

Scilicet et in hac clausula instauravit ea quae in Bulla coenae continentur, ut legenti patebit: « Coeterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standо Ecclesiae mandatis, et satisfaciendo, cautione praestita, absolvi possint, etiam praetextu quarumvis facultatum et indultorum, quibuscumque personis ecclesiasticis, saecularibus, et quorumvis Ordinum, etiam mendicantium, ac militiarum Regularibus, etiam episcopali vel alia maiori dignitate praeditis, ipsisque Ordinibus, et eorum Monasteriis, Conventibus et domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, et locis piis, nec non Laicis, etiam imperiali, regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per nos et dictam Sedem, ac cuiusvis Concilii Decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere vel in specie concessorum et innovatorum, aut concedendorum et innovandorum.

» Quod si forte aliqui contra te-
» norem praesentium talibus excom-
» municatione et anathemate la-
» queatis, vel eorum alicui excom-
» municationis beneficium impen-
» dere de facto praesumpserint,
» eos excommunicationis sententia
» innodamus, gravius contra eos spi-
» ritualiter et temporaliter, prout
» expedire noverimus, processuri ».

In clausula igitur qua concludun-tur excommunicationes hucusque recensitae sequentia continentur.

1. Absolutionem a praedictis cen-suris esse Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam.

2. Nullo pacto sufficere ad valide et licite ab iis absolvendum gene-ralem concessionem alicui factam absolvendi a censuris et casibus Romano Pontifici reservatis.

3. Revocata esse quaecumque in-dulta sub quavis forma et quibus-vis personis ad hoc concessa.

4. Praesumentes absolvere, etiam quovis praetextu, a dictis excom-municationibus, innodari excommu-nicationis vinculo Romano Pontifici reservatae, dummodo non agatur de mortis articulo.

5. Constitutis tamen in dicto arti-culo imponendam esse obligationem standi mandatis Ecclesiae si con-valuerint.

Et quidem quoad primum Caput, adeo Romano Pontifici eiusmodi censuras reservatas esse affirmamus. ut ab iis absolvere neque Nunciis aut Legatis Pontificiis etiam a la-tere sit licitum. Quamvis enim sub nomine Sedis Apostolicae veniant etiam legati a latere, numquam ta-men hi veniunt sub nomine Ro-mani Pontificis, quo persona, et per-sonalis auctoritas papalis intelligi-tur. Qua de causa Legati a latere, multo minus Nuncii, ab iis censu-ris absolvere non possunt, nisi eis per Romanum Pontificem fiat spe-cialis potestas. Quod etiam ex pra-xi demonstratur, cum Legati a la-tere sine speciali auctoritate, num-quam a casibus Romano Pontifici reservatis absolvere consueverint, eisque a Canonistis haec facultas denegetur, quamvis hi affirment, eos absolvere posse in casibus San-ctae Sedi reservatis.

At ex secundo capite omnino liquet nedum Praelatis Regularibus, sed etiam Episcopis ablatam fuisse potestatem eis a Concilii Triden-tini Patribus factam Sess. XXIV c. VI de Reformat. absolvendi a quibus-libet censuris ex delicto occulto Apostolicae Sedi reservatis; quae facultas ita in Tridentino legitur: « Liceat Episcopis in irregularita-
» tibus omnibus et suspensionibus
» ex delicto occulto provenientibus,
» excepta ea, quae oritur ex homi-
» cidio voluntario, et exceptis aliis
» deductis ad forum contentiosum,
» dispensare; et in quibuscumque
» casibus occultis etiam Sedi Apo-
» stolicae reservatis, delinquentes
» quoscumque sibi subditos, in dioe-
» cesi sua per seipsos, aut Vica-
» rium ad id specialiter deputan-
» dum, in foro conscientiae gratis

» absolvere, imposita poenitentia sa-
» lutari. Idem et in haeresis crimi-
» ne in eodem foro conscientiae
» eis tantum, non eorum Vicariis
» sit permissum.

Quandoquidem hanc revocationem diserte asseruit in nostra Constitutione Romanus Pontifex, dum ait: « Firmam tamen esse volumus » absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam » *Sess. XXIV. c. VI de Reformat.* » in quibuscumque censuris Apostolicae Sedi hac nostra constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicae Sedi speciali modo reservatas declaravimus ».

Episcopis quapropter utique a censuris Romano Pontifici simpliciter reservatis, dummodo sint occultae, absolvere licebit, non autem a censuris speciali modo eidem Pontifici reservatis, quae in praesentiarum quatuordecim numerantur.

Cum autem hae censurae neque ab Episcopis, neque a Nunciis, aut a Legatis a latere absolvi possint, sed tantummodo a Romano Pontifice, quid agendum cum eo qui Romam ad absolutionis beneficium impetrandum se conferre nequiret?

Quandoquidem in iure antiquo et Clemens III. Cap. *Quod de his 26 De sententia excommunicationis* (1) et Bonifacius VIII Cap. 22 de sententia excommunicationis in 6. (2) Episcopis hanc facultatem concesserant.

Revocata igitur est ne per Constitutionem Apostolicae eiusmodi concessio Episcopis facta, cum praesertim in ea dicantur excommunicati absolventes *quovis praetextu, dummodo non agatur de mortis articulo?* excipiatur scilicet tantummodo mortis articulus?

Ut iam animadversum est dum ageretur de absolventibus complices, pia mater Ecclesia non vult ut aliquis vel sine poenitentiae sacramento decedat, vel ad diuturnum tempus Sacramentorum fructu, quibus ad gratiam divinam redimus, privetur. Cum vero excommunicationes recensitae speciali modo reserventur Romano Pontifici, ita ut nullus alius ab iis absolvere possit, qui impedimento vel perpetuo, vel diuturno laboraret Romam se conferendi, in manifesto periculo versaretur vel sine absolutionis beneficio decedendi, vel saltem ad diuturnum tempus gratia divina carendi; quod non est in inten-

(1) « Is qui asserit se in Canonem latae sententiae incidisse, non aliter quam per » sedem Apostolicam, vel eius legatum absolutionis potest beneficium obtinere; nisi forte » in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate, vel senectute tanta gravaretur, quod » ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento » canonico retrahatur. »

(2) « Eos qui a sententia Canonis vel hominis, cum ad illum, a quo alias de iure » fuerunt absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedi- » mentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum, ab alio absolvuntur. »

www.libtool.com.cn

tione Ecclesiae; qua de causa de eiusmodi impedimento idem iudicium ferendum esse existimarem ac de articulo mortis; ac talem absolvendum conditione adiecta ut Romam se conferat, vel ad habentem facultatem a censuris contractis absolvendi si tandem convalescat.

www.libtool.com.cn

Haec autem nedum ex rationibus adductis, sed etiam ex Ecclesiae praxi et consuetudine demonstrari possunt. Etenim et in Bulla Coenae Domini, et in Constitutionibus latis a Benedicto XIV contra sollicitantes et absolventes compli ces eadem restrictio continetur quae habetur in Constitutione *Apostolicae Sedis*, ut nemo scilicet tales absolvere posset, nisi essent in mortis articulo constituti; et tamen omnes tum Canonistae, tum Theologi affirmarunt, posse eos absolvi qui Romam ad Romanum Pontificem, vel alibi ad Superiorem facultates opportunas habentem se conferre nequirent; cum igitur eaedem rationes militent, non videtur R. Pontifex hunc casum excipere voluisse.

Neque ulla afferri potest declaratio SS RR. Congregationum, quae hanc sententiam respuat; quin immo cum Episcopus Patavinus Secretarium S. Poenitentiariae interrogasset: « utrum per Constitutio» nem *Apostolicae Sedis* derogatum » ulla ex parte fuerit potestati, » quam ius et consuetudo univer» salis Episcopis concesserat circa » impeditos personaliter Romam » proficisci. » Secretarius S. Poenitentiariae, quamvis privato prorsus modo, rescribere dignatus est: *Nihil esse innovatum.* (1) Cavisset autem Rmus Secretarius, quamvis privata auctoritate, haec respondere, si aliquo in dubio versari S. Poenitentiariae Patres vidisset.

Neque quis scrupulis angi debet in inquirendo quinam sint illi qui impedimento laborant Romam proficiscendi; illi enim sunt qui in iure canonico recensentur, nonnullis ob praesentes circumstantias rationabiliter exceptis.

Itaque 1. personae quae sui iuris non sunt, uti uxores, filii familias qui sub parentum potestate vivunt, mancipia proprie dicta, non autem servi aut domestici, et milites militiae actualiter addicti hoc impedimento laborant. Ex Capp. *Mulieres* (2) *Relatum* (3) *De sententia excommunicationis in 6.*

2. Senes sexagenarii et septua-

(1) Comment. Patav. Par. 1. pag. 109.

(2) « Mulieres vel aliae personae quae sui iuris non sunt, ab Episcopo Dioecesano absolvi » possunt si manus in Clericum iniecerint violentas.

(3) » Relatum est nobis quod cum aliqui servi propter iniectionem manuum in clericum » violentam, in canonem incidunt sententiae promulgatae, allegantibus Dominis eorumdem » quod carere mancipiis suis nolunt, venire ad Sedem Apostolicam absolvendi non curant » per occasionem huiusmodi eludentes ecclesiasticam disciplinam. Quocirca mandamus » quatenus eos venire compellas ad Sedem Apostolicam absolvendos, cum plus sit Deo quam

genarii atque impuberes, qui absolvi ab Episcopo poterunt etiamsi absolutionem excommunicationis incursae ante pubertatem, post pubertatem petant. Ex Capp. *Ea noscitur 13* (1). *Et Pueris* (2) *60 de sententia excommunicationis.*

3. Personae religiosae, et ii qui communem vitam sub superiore et sub regula ducunt. Ex capp. *Monachi 2.* (3) *Cum illorum 32* (4) *De Monialibus 33* (5) *De sententia excommunicationis.* Hi quapropter poterunt a propriis Episcopis, non amplius a propriis superioribus absolvi, etiamsi excommunicationem incurrerint ante ingressum in religionem. Atque Episcopi eandem absolutionem poterunt impertiri alumnis in Seminariis vel in Collegiis aut universitatibus degentibus, cum et sint filii familias, et plerumque impuberes, et non modico damno afficerentur ratione studiorum intermittendorum, praesertim si ex regionibus valde dissitis Romam se conferre deberent; uti pauperes deinde sunt considerandi, cum nil proprii habeant; atque demum pro eis militet Caput *Quoniam 9 de vita et honestate clericorum* quo S. Gregorius VII Episcopis potestatem facit absolvendi a censuris ob Clerici percussionem eos qui simul vivunt: « Indulge» mus etiam ut si quispiam eorum » qui simul vivunt, pro manus » iniectione in socium a commu» nione meruerit fieri alienus, re» conciliandi et poenitentiam im-

» homini deferendum, nisi fecerint hoc in fraudem, et sic detrahant se obsequio domino» rum aut ipsi domini propter hoc sine culpa sua grave damnum incurrant. Tunc enim in » utroque casu poteris eos ex indulgentia nostrae provisionis absolvere, cum nimis sint ab » Apostolica Sede remoti.

(1) » Consultationi tuae duximus respondendum quod mulieres, senes, et valetudinarii, » seu membrorum destitutionibus impediti, licet ad Apostolicam Sedem non veniant, ab » Episcopis valeant fidelium communioni restitui, satisfacto iuxta facultates suas his quibus » per eos constiterit iniurias irrogatas.

(2) » Pueri si in canonem inciderunt sententiae promulgatae sive ante, sive post pubertatem » postulent se absolvi, potest dioecesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri, cum » propter defectum aetatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine tem» perandus.

(3) » Monachi vero et Canonici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, » non sunt ad apostolicam Sedem mittendi, sed secundum providentiam sui abbatis disci» plinae subdantur. Et si discretio abbatis non sufficit ad eorum correctionem, est provi» dentia Dioecesani Episcopi adhibenda.

(4) » Cum illorum absolutio etc. « Nos in religionis favorem, et ut evagandi materia » subtrahatur, maiorem eis gratiam exhibere volentes, eorum praelatis, quod etiam talibus » (Monachis violentas manus in Clericum vel monachum iniicientibus) absolutionis beneficium » impertiri valeant indulgemus.

(5) » De monialibus tua a nobis fraternitas requisivit, per quem eis sit beneficium » absolutionis impendendum, si vel in se invitem,...vel conversas suas... manus iniecerint » temere violentas. Super hoc igitur consultationi tuae respondemus, ut per Episcopum in » cuius dioecesi monasteria fuerint, absolvantur. »

» ponendi potestatem plenariam ha-
» beatis, nisi forte atrocitas facti
» poenam graviorem expectet ».

Cum enim circa eos qui Romam ad absolutionis beneficium consequendum se conferre non possunt, nil sit innovatum; dispositio iuris antiqui in suo robore et integritate manet; qua de causa hac iuris dispositione ii omnes etiam nunc gaudent, qui ante Constitutionem *Apostolicae Sedis* gaudebant.

Hinc mulieres quamvis nulla infirmitate laborent, nullaque alia de causa impediantur quominus Romam sese conferant, unica ratione excusantur fragilitatis sui sexus. Hoc autem ex Cap. *Quamvis 58 de Sententia excommunicationis*, quod integrum referimus, cum plurimi alii casus in eo contineantur: « Quamvis incidens in canonem la-
» tae sententiae propter violentam
» manuum iniectionem, iuxta pro-
» prias facultates eis satisfaciat qui-
» bus iniuriam irrogavit, non ta-
» men aliter quam per Sedem Apo-
» stolicam, vel eius legatum abso-
» lutionis potest beneficium obti-
» nere. Nisi imminente mortis ar-
» ticulo, infirmitate, inimicitia, aut
» inopia, puerili vel senili aetate,
» fragilitate sexus seu alia corporis
» impotentia, sive quolibet impe-
» dimento canonico retrahatur, quo-
» minus Romanum Pontificem possit
» adire, vel nisi iuris beneficio a la-
» bore huiusmodi exscusetur. Cete-
» rum quibusdam praedictorum, vi-
» delicet qui temporali impedimen-
» to laborant, exceptis pueris, sub
» debito iuramenti, quod secundum
» Ecclesiae formam praestare tenen-
» tur, consuevit iniungi, ut impedi-
» mento cessante, ad apostolicam
» sedem accedant, mandatum ipsius
» humiliter suscepturi ».

Neque ab eiusmodi concessione excipiendae videntur sanctimoniales foeminae clausura exeuntes extra casus ac formam a S. Pio V in Constitutione *Decori* praescriptam (1) quae

(1) S. Pius V. in Constitutione *Decori* edita die 24 Ianuarii 1570 haec constituit. §. 1. « Sane periculo et scandalo plena res est, ac regulari observantiae vehementer adversatur sanctimoniales aliquando, parentes, fratres, sorores, aut alios agnatos vel cognatos, nec non monasteria et alia filiationes nuncupata, etiam eis subiecta, visitandi, vel infirmitatis causa aliove praetextu a monasteriis exire, et per saecularium personarum domos discurrere et vagari, quo veluti colore eximium quoque honestatis et pudicitiae decus in discrimen committunt. §. 2. Unde Nos malo huic, pro nostro pastoralis Officii debito salubriter occurrere volentes inhaerentes etiam decreto sacri Concilii Tridentini de Clausura Monialium disponenti, ac aliis nostris litteris desuper huiusmodi clausura editis adicientes, volumus, sancimus et ordinamus, nulli abbatissarum, Priorissarum, aliarumve monialium, etiam Carthusiensis, Cisterciensis S. Benedicti, et mendicantium, et quorumcumque aliorum ordinum etiam militarium, ac statuum, graduum, conditionum, dignitatum ac praeminentiarum existentium, etiam a regia vel illustri prosapia ortarum de cetero, etiam infirmitatis seu aliorum monasteriorum etiam eis subiectorum, aut domorum, parentum aliorumve consanguineorum visitandorum, aliave occasione et praetextu, *nisi ex causa magni incendii vel infirmitatis, lepræ aut epidemiae, quae tamen infirmitas praeter alios ordinum superiores, quibus cura monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci ordinarium, etiamsi praedicta monasteria ab Episcoporum et Ordinariorum iurisdictione exempti*

praeterquam a Romano Pontifice, a nullo alio, nisi in mortis articulo, absolvi poterant; quae lex firmiter adeo observabatur, ut, referente Fagnano in Comment. ad V libros Decretalium, Cap. *Dilectus 15 De temporibus Ordinationum* n. 32. et 33, cum Episcopus Florentinus a Sancta Sede postulasset, an Episcopus posset saltem eiusmodi sanctimoniales absolvere, si casus esset occultus, responsum ei fuerit negative. Nec, inquam, hic casus est excipiendus. Cum enim excommunicatio lata in Sanctimoniales clausuram violantes sit n. VI in Constitutione *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici simpliciter reservata, per hanc novam dispositionem, atque declarationem, « quod ex quibus» cumque censuris sive excommu» nicationis, sive suspensionis, sive » interdicti, quae per modum latae » sententiae, ipsoque facto incur» rendae hactenus impositae sunt, » nonnisi illae quas in hac ipsa » Constitutione inserimus, *eoque* » *modo* quo inserimus, robur exin» de habeant »; patet specialissimam a S. Pio V inductam reservationem nunc esse abrogatam, illamque excommunicationem esse simpliciter Romano Pontifici reservatam.

Cum autem in hac ipsa Constitutione integra servetur facultas Tridentinis Patribus Episcopis facta absolvendi *a quibuscumque censuris Apostolicae Sedi* simpliciter *servatis;* manifesto liquet Episcopos, dummodo casus sit occultus, posse absolvere sanctimonialem quae exeundo Monasterii septis, clausuram violavit.

Neque quidquam refert quod S. Pius V Episcopo Florentino negative responderit. Potuit enim voluitque tantus Pontifex severius agere, integramque dispositionem suam servare; sed hic agitur quod illa dispositio fuerit abrogata; qua de causa tanti valet, et ad tantum extenditur quanti valet, et ad quantum extenditur in Constitutione *Apostolicae Sedis*. Non enim S. Pii V dispositio lata fuit pro aliquo Monasterio particulari, aut locis peculiaribus, quae particulares dispositiones intactae in hac ipsa Constitutione servantur, sed erat dispositio generalis, cuius tenor etiamsi quantum ad substantiam attinet innovatus fuerit, non tamen quantum ad poenam adiectam omni ex parte, cum excommunicatio inducta per Constitutionem *Decori* prius esset specialissime Romano Pontifici reservata, nunc autem simpliciter.

Ex citato cap. *Quamvis* Romam pariter abire excusantur qui pauperes sunt, neque itineris expensas

» *esse reperiantur, cognita et expresse in scriptis approbata sit, a monasteriis praefatis*
» *exire, sed nec in praedictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus stare licere.*
» Aliter autem quam ut praefertur egredientes, excommunicationis maioris latae sententiae
» vinculo statim eo ipso, absque aliqua declaratione, subiacere, a quo praeterquam a Romano
» Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi nequeant. »

sustinere possunt, (excipe tamen mendicos, qui mendicare de loco in locum soliti sunt) qui inimicitias gerunt, timentque ne ab hostibus offendantur; infirmitate aliqua laborantes, nam in cit. cap. aperte distinguuntur infirmi a constitutis in mortis articulo, tum pueri et qui alio quolibet impedimento detinentur quominus ad Romanum Pontificem pergere possint; atque exinde theologi excusant etiam captivos et in carceribus detentos, qui libertate destituuntur; insuper eos qui munia publica seu magistratum exercent, vel qui iter suscipere nequirent, quin vel sibi, vel suis, vel subiectis grave praeiudicium sive temporale, sive spirituale inferrent.

Hi, inquam, omnes in antiqno iure ut impediti habebantur quominus Romam proficiscerentur. Et quidem causae, quibus excusabantur gravissimae tunc temporis erant.

At vero circa nonnullos ex. gr. inimicitias, etiam capitales gerentes etc. causae quibus Romam venire excusabantur nunc non ita sunt graves, ut tunc erant: quid enim iis timendum est ne ab hostibus interficiantur, et aliis etc. ne ob loci distantiam grave praeiudicium inferant sibi vel subiectis, cum nunc viarum ferrearum velocitate, distantiae fere sublatae sint, uti et expensae plurimae, neque ulla propemodum sint ab inimicis timenda pericula, ut patet? Qua de causa rationes quibus Romani Pontifices moti fuere ad temperandos aliquorum Canonum rigores nunc temporis vel omnino cessarunt, vel tales evaserunt ut omnino sint parvipendendae quoad nonnullas praesertim causas et loca; atque putandi sunt legum latores, nullimode a se latas poenas temperaturos si iis in circumstantiis versati essent, quibus nos versamur. Ratio legis igitur cessasse putanda est; at cessante ratione legis, cessat ipsa lex.

Episcopus itaque ad quem aliqua excommunicatio occulta defertur speciali modo Romano Pontifici reservata, duo omnino investigare tenetur.

1. An rationes, quibus Romam excommunicatus abire prohibetur ita in Sacris canonibus recenseantur, ut veluti favorabiles simpliciter habendae sint, ut quae ex. gr. latae pro pueris, mulieribus, sanctimonialibus, infirmis etc. Hisce enim in casibus, cum circa eos qui Romam pergere non possunt, nil sit innovatum, atque rationes, quibus canonum rigor temperatus est, immobiles et nunc maneant, tuto ad eos absolvendos procedere potest.

2. Si autem rationes illae, quibus canonum rigor mitigatus est fundentur in circumstantiis temporum, locorum, personarum, quae cum Canones lati sunt reapse gravissimae erant, nunc autem vel omnino cessarunt, vel parvipendendae sint, non puto posse Episcopum absolutionem ab incursa ex-

sura impertiri; cum ob defectum et cessationem rationum lex cessasse putanda sit.

His adde, quod omnino evidens videatur, novum legislatorem antiquis privilegiis favoribusque limitem apposuisse atque velle, ut in casibus, quibus ad Romanum Pontificem recursus haberi nequit, causae reapse gravissimae intercedant, quales nunc illae haberi non possunt quas recensuimus; neque enim lex sine ullo incommodo observari debet. Qua de causa etiamsi circa praesentem casum nil sit innovatum quoad aliquas personas, v. e. sanctimoniales, infirmos, mulieres quae sola sexus fragilitate excusabantur etc et quoad eos qui gravissimis de causis etiam nunc existentibus Romam vel pergere omnino non possunt, vel non sine gravissimo aut saltem gravi incommodo; innovatum tamen aliquid est circa extensionem iuris antiqui, ut scilicet nullae sint nunc temporis habendae rationes aliquae, quibus antiquitus excusabantur, quo ad Romanum Pontificem se praesentarent fideles ad beneficium absolutionis impetrandum, cum rationes illae nunc non amplius existant.

Cum igitur reale impedimentum existit Romam abeundi, Episcopus ab incursa excommunicatione fideles absolvere potest; at non omnes eodem pacto. Considerare enim debet an impedimentum sit temporaneum vel perpetuum: Cum enim in impedimento perpetuo beneficium absolutionis impendere possit sine praestita promissione Romani Pontificis adeundi; id in impedimento temporaneo peragere non potest, cum impeditus temporaliter non sit absolvendus nisi praestita prius promissione quantocius ad Sedem Apostolicam se praesentandi, eiusque standi mandatis, ni velit in excommunicationem iterum incidere ut patet ex relato Capite *Eos qui 22 De sententia excommunicationis* in 6°, in quo dicitur: « Si cessante postea periculo vel » impedimento huiusmodi, se illi » a quo his cessantibus absolvi de» bebant, quam cito commode pote» runt, contempserint praesentare, » mandatum ipsius super illis pro » quibus excommunicati fuerant, » humiliter recepturi et satisfactu» ri, prout iustitia suadebit; decer» nimus, ne sic censurae illudant » ecclesiasticae, in eamdem senten» tiam recidere ipso iure ».

Ex quo sequitur, hanc reincidentiae poenam etiam nunc vigere etiamsi de ea nulla in Constitutione *Apostolicae Sedis* mentio occurrat. Cum enim illa constituat partem iuris ipsius, et ratio adducta, *ne sic censurae illudant ecclesiasticae*, posset verificari in singulis casibus, idque certe Romani Pontifices nolint, hoc ipso servata videtur.

Quod si in dicta Constitutione mentio reincidentiae non occurrat, id fortasse factum est, quod cum prima censurarum classis Romano Pontifici sit specialissime reserva-

ta, ablataeque singulis, quibus ir. iure antiquo licebat, eas absolver. di facultates, de poena reincidentiae sermo non erat instituendus, cum per ipsum Romanum Pontificem absolverentur.

Exinde vero, nemini concludendum erit: ergo reincidentiae poena sublata est; potius enim contrarium sequitur; cum enim Romani Pontifices per seipsos eiusmodi excommunicationes absolvere velint, semper putandi sunt id velle, nisi de contraria intentione expresse constet, ac proinde reincidentiae poenam integram servare, cum haec ipsorum Pontificum expressam voluntatem compleat.

Dictum est, in iure antiquo aliquas numerari causas absolutas, perpetuas ipsi personarum conditioni inhaerentes, quibus hae excusantur Romam pergere. Hinc in decernendo quando impedimentum sit temporaneum vel perpetuum, ne in maximos prolabamur errores et legem in favorabilibus restringamus, causas illas omnino attendamus oportet. Si enim impedimenta tantummodo physica ex. gr. infirmitates consideremus, quisque videt mulieres, filias familias, pueros, sanctimoniales sanitate fruentes etc. esse omnino ad Sedem Apostolicam mittendas cum physico impedimento neque perpetuo, neque temporali, pueris exceptis, laborent; et ipsae sanctimoniales parere mandatis S. Sedis, clausura nihil obstante, compelluntur.

Cum igitur SS. Canones mulieres quasque, pueros, senes, viros religiosos, sive quod iuris sui non sint, sive ratione aetatis, sive quod simul vivant, sive ob sexus debilitatem a Romano itinere instituendo diserte excludant, hi censendi sunt impedimento perpetuo laborare, etiamsi perfecta sanitate fruantur; absolvendi proinde sunt sine ulla conditione.

Quoad ceteros qui in Sacris Canonibus non excluduntur absolute, impedimentum tunc censendum est perpetuum, cum quis nedum ex.gr. incurabili infirmitate detinetur, vel aliquo membro ex. gr. brachio, pede, non tamen oculo, destituitur, sed etiam si tali infirmitate laboret, ut in ea diuturno tempore versari oporteat, puta per quinque, sex, septem annos. Hi enim ab Episcopo poterunt sine conditione absolvi. Qui vero secus, hi censendi sunt impedimento temporaneo laborare, et absolvendi tantummodo conditione adiecta se ad Sedem Apostolicam praesentandi, si et quando convaluerint.

Episcopis igitur in hoc tantummodo casu quo excommunicati speciali modo Romam venire non possent facultate etiam num manet eos absolvendi absolute vel conditionate iuxta qualitatem impedimenti, si tamen casus sint occulti. Si enim sint manifesti, vel Romam mittendi sunt, vel si impedimento adeundi Romanum Pontificem laborant, petenda est toties quoties facultas eos absolvendi.

Verum laborantes impedimento Romanum Pontificem adeundi, laborare etiam possent impedimento adeundi Episcopum, praesertim si excommunicatus vasta in Dioecesi degat, neque adeo faciles et commodi commeatus reperiantur; Episcopis quapropter deneganda non est facultas subdelegandi nedum in casibus particularibus, sed etiam generaliter alios Sacerdotes ad ejusmodi excommunicatos absolvendos, cum hi secus vel diu, vel semper, iuxta impedimenti qualitatem, absolutione carere deberent; quod est contra expressam et absolutam Ecclesiae voluntatem. Addo, quod cum in hisce casibus Episcopis ex iure communi restituatur absolvendi facultas, si quando absolvunt, potestate ordinaria, quae proprio officio inhaeret, absolvunt; at qui potestate ordinaria fruitur, potest eam aliis subdelegare. Quin immo in hisce casibus excommunicati neque tenentur ad Nuntium seu Sanctae Sedis legatum sese praesentare, neque ad Pontificem pro absolutione consequenda litteras mittere: cum in iure sit omnino provisum, Episcopis concessam esse facultatem absolvendi ab censuris Romani Pontifici speciali modo reservatis eos, qui quominus Romam se conferant impediuntur, neque ullo modo praecipiatur, Episcoporum loco adeundos S. Sedis, Legatos si in eo regno adsint.

Paucis praecipitur personalis praesentatio ad Romanum Pontificem; quare si reus id praestare non potest, ad aliud ex iure non tenetur.

Verum hic ardua exurgit quaestio, an qui nedum Romanum Pontificem, sed ipsum Episcopum adire non possunt, absolvi queant a quocumque Sacerdote ad Confessiones excipiendas approbato.

Et quidem pro utraque sententia rationes adsunt. Affirmantes enim ab illo principio argumentantes, *hac in re nihil esse innovatum*, ergo, concludunt, cum in iure antiquo ex concessione Innocentii III licitum esset hoc in casu (1) simplicibus sacerdotibus poenitentes absolvere aliqua Pontifici ipsi excommunicatione reservata perculsos, etiam nunc licet.

Deinde; causa qua Romani Pontifices ducti fuere ad eiusmodi absolutionem etiam simplicibus Confessariis, concedendam, fuit, ne fideles periculum vitae aeternae subirent ob absolutionis dilationem; at haec ratio etiam num militare videtur pro iis qui neque Episcopum adire possunt.

Attamen contrariam sententiam tenentes, dicunt, revocatas nunc esse quascumque facultates et privilegia absolvendi ab excommuni-

(1) Ea Innocentii III sanctio. « Verum si difficile sit ex aliqua iusta causa quod ad » ipsum excommunicatorem absolvendus accedat, concedimus indulgendo, ut praestita iuxta » formam Ecclesiae cautione, quod excommunicatoris mandato parebit, a suo absolvatur » Episcopo, vel proprio Sacerdote. »

cationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis, nullum excipi casum; simplicibus Confessariis quapropter post Constitutionem *Apostolicae Sedis* non esse hanc tribuendam facultatem.

Nemo non videt rationes utriusque partis gravissimas esse, atque summopere attendendas. Quid nobis videatur humiliter pro mediocritate nostra exponimus.

Certum itaque unicuique esse debet, non esse in intentione Ecclesiae ut poenitentia, quam per absolutionis Sacramentalis beneficium plerumque et ordinario consequimur, differatur, quia dilatione etiam periculum subire possumus illam numquam assequendi. Haec Ecclesiae voluntas, quae ipsius Christi voluntas est, cuicumque legi supereminet; aliaeque leges latae intelligendae sunt sub huius legis universalis, constantis, et absolutae moderatione. Neque quis dubitare de re poterit, si consideret, Ecclesiam in inductis a se etiam durissimis reservationibus, excepisse semper mortis articulum; hunc autem ad tot casus extendi, quot alibi in hoc ipso Commentario enumeravimus.

Casus vero de quo loquimur eiusmodi est, ut si quis nequiret Episcopum pro absolutionis beneficio adire, poenitens deberet diu sine sacramentali absolutione manere; comprehendi itaque, in aliquibus praesertim circumstantiis ex. gr. paupertatis, infirmitatis, debilitatis, longae distantiae etc. sub eo casu videtur, quo quis impediatur quominus Romanum Pontificem adeat. Sicut igitur hic casus nunc quoque excipitur, etiam alius exceptus esse censetur.

Dictum est insuper, circa praesentem quaestionem per Constitutionem *Apostolicae Sedis nihil esse* innovatum, ni decreto edito, saltem de facto. Si nihil innovatum est, concessiones ergo illae quae in animarum salutem factae a Romanis Pontificibus reperiebantur, immotae perseverare debent. Sed Innocentius III omnino sancivit casu quo poenitens non possit neque Romanum Pontificem, neque ipsum Episcopum adire, a proprio sacerdote, iuramento praestito absolveretur; ergo haec sanctio immota permanere censenda est.

Neque quis verbis Pianae Constitutionis niti potest ad contrariam sententiam statuendam, cum in ea nihil reperiatur quo vetusti Canones abrogati putandi sint in peculiari hac circumstantia. Quid enim dicit Piana Constitutio? 1. generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere ut quis collatam sibi putet facultatem absolvendi ab excommunicationibus Romano Pontifici speciali modo reservatis. 2. revocata insuper esse earumdem respectu quaecumque indulta concessa sub quavis forma, et quibusvis personis etiam regu-

www.libtool.com.cn